






RACCOLTA
di
TESTI PER RAGAZZI
TRADOTTI IN LATINO

Pinoccchio - Max und Moritz - Struwwelpeter

Paperino - Asterix - Sherlock Holmes







RACCOLTA
di
TESTI PER RAGAZZI
TRADOTTI IN LATINO

Pinocccchio, tradotto da Ugo Enrico Paoli (non integrale), pag. 5

Pinocchio, tradotto da Enrico Maffacini, pag. 133

Max und Moritz, tradotto da Peter Wiesmann, pag. 249

Struwwelpeter – Pierino Porcospino, tradotto da Franz Schlosser, pag. 327

Sherlock Holmes, tre avventure, tradotte da Stanislaus Tekieli, pag. 403

Paperino, due episodi, pag. 463

Asterix il legionario, pag. 555

Ugo Enrico Paoli

PINOCULUS LATINUS



Ugo Enrico Paoli

PINOCULUS LATINUS

Editus ex aedibus
bibliopopularum Turicensium
qui Artemidos numem sibi vindicant

Le illustrazioni sono di Enrico Mazzanti,
create per la prima edizione
di Pinocchio del 1883

Il testo digitalizzato è stato corretto
con il correttore ortografico latino
della www.drouizig.org

CAPUT I

Fuisse quondam aiunt ...

„Regem", pueros qui haec legunt statim dicturos suspicor.

Erravistis, pueri; non rex fuit illud, sed caesum quoddam lignum nullius pretii, qualia ea sunt quae ex materia in struem congesta hieme in domesticos caminos conicere solemus, ut ignis suscitetur vel vapor per aedium conclavia diffundatur.

Lignum hoc, nescio quomodo, in tabernam fabri lignarii pervenerat, qui, quamquam ei nomen erat Antonius, ‚Magister Cerasum' ab omnibus ob id vocabatur, quod illius nasus ita in acumine lucidus erat et rubescens, ut, potius quam nasi, maturi cerasi speciem referret.



Ubi primum Magister noster Cerasum in lignum illud oculos coniecit, magno gaudio adfectus est, atque, postquam semel atque iterum manum manu sibi ob laetitiam confricuit submissa voce:

„Peropportune", inquit, „lignum hoc mihi obvenit; pes mensae mihi reficiendus est; ad id illo utar".

Nec mora; acutam securim adripuit, ut dempto cortice lignum dolando poliret. Cum vero primum ictum illaturus esset, bracchio in altum sublato, immobilis suspensusque haesit; audiverat enim tenuem quandam subtilemque vocem, suppliciter orantem:
„Ne me gravius, precor, percusseris!".



Quo stupore optimus ille senex correptus sit facile conicias; adtonitos oculos per totam tabernam circumferens cognoscere conabatur unde vocula illa emissa esset, at neminem vidit. Sub ter mensam inspexit: nemo ibi latebat; intra armarium etiam inspexit, quod numquam aperire solebat, corbulamque perscrutatus est in qua scobis et ligni ramenta servabantur: ne illic quidem quisquam erat. Januam denique patefecit attente explorans si quis forte in via praeteriret: nemo aderat. Quidnam igitur?
Risit; atque caput scalpens ficticiis crinibus contectum: „Intellego", ait; „voculam illam mens mea temere finxit; operam intermissam igitur resumamus".
Tum securi rursus adrepta lignum magna vi percussit.
„Hei mihi! Eheu! quantum a te percussum doleo!".
Qua voce audita, Magister Cerasum in tantam animi perturbationem est coniectus, ut se loco movere nullo modo

posset; stetit ille immobilis, oculis ex cavis exsilientibus, lingua usque ad mentum dependente: lapideam personam illum diceres fonti ornamento adfixam.

Ubi primum vocem edere potuit, tremens ob metum ac balbutiens:

„Undenam emissa", ait, „vocula haec ‚Hei mihi!' dixit? Nemo hic adest; an forte lignum hoc puerorum more fiere ac queri didicit? Vix credam; quid enim id est nisi lignum in caminum iniciendum, ceterorum lignorum prorsus simile? Quod lignum, si igni imposuero, ad phaselos in fervefacta olla coquendos aptissimum erit. Quidnam igitur? An aliquis hic latet? Si quis lateat, male illi erit: scio quid agendum sit".

Miserumque illud lignum utraque manu adreptum in tabernae parietes nulla misericordia illidere coepit. Aures deinde intendit, si qua vox vel gemitus audiretur. Paulisper exspectat: nihil audit; exspectat diutius: nihil; tandem, dum ridere conatur et capillamentum digitis turbat:

„Intellego", ait, „voculam illam mihi ipse finxi: nunc rursus ad operam".

Ut ingentem illum metum, qui eius animum invaserat, sibi levaret, tempus cantitando terere expertus est; securi seposita runcinam sumpsit, ut lignum ex arte poliret; dum, runcina eunte et redeunte, in illo opere intentus est, solitam vocem audivit, quae, ridens:

„Ohe!" inquit, „Desine tandem id efficere ut corpus totum mihi pruriat".



Nimis id erat; ut fulmine ictus, Magister Cerasum exanimatus cecidit. Faciem mutasse videbatur; summus etiam nasus, tanto premente metu, ex violaceo caeruleus factus est.

CAPUT II

Eodem puncto temporis quendam ianuam pulsantem audivit.

„Introite", inquit; nondum enim fractae vires illum exsurgere sinebant.

Tum vir quidam, aetate senex, sed integris viribus et alacer, tabernam ingressus est. Josephulus ei nomen erat, sed vicinitatis pueri illum, ut ira exardesceret, ‚PuIticulam' appellare solebant, quod croceum illius capillamentum ex zea polentae simillimum erat. Eo ingenio losephulus erat, ut iracundia facillime efferretur. Vae illi, si quis eum ‚Pulticulam' vocaverat; caeco statim furore agebatur, neque illum quisquam ad rationem redigere poterat.

„Have, Antoni", Josephulus ait; „quidnam agis sic humi sedens? ".

„Formicas doceo rationes subducere".

„Quod tibi prosit".

„Quid te huc adduxit?".

„Crura, scilicet; sed aliquid a te petiturus veni".
Tum ille, dum genibus nixus adsurgere conatur:
„Loquere, quaeso", inquit; „nam si tibi in aliqua re inservire possum, id haud gravate faciam".
„Audi: hoc mane singulare aliquid mihi venit in mentem".
„Quid cogitaveris enarra".
„Statui equidem ligneum pupulum meis ipse manibus conficere, qui, mirum populorum exemplum, et se ad numerum movere sciat, et apte rudibus battuendo uti,



et temerario saltu ad summa emicare. Mihi est in animo hoc pupulo comite diversa orbis terrarum loca peragrare; nec frustum panis mihi deerit, opinor, nec vini poculum. Quidnam sentis, tu, de hac re?".
„Bene, Pulticula!", eadem illa vox exsibilavìt.
Cum se Pulticulam appellari audivit, sic Josephulus erubuit, ut piperitis eius accensa facies videretur; fabrum lignarium ut furiata bellua intuens:
„Cur me", inquit, „tali contumelia adficis?".
„Quisnam te laesit?".
„Pulticulam me vocasti".
„Non ego".

„Num ipse hanc vocem edidi? Tu id fecisti".
„Minime".
„Te fecisse aio".
„Non feci".
„Fecisti".
Magis magisque animis incalescentibus a contumeliis res est ad rixam perducta; alter alterum adreptum unguibus laceravit, momordit, male mulcavit.
Postquam rixari tandem destiterunt, Antonius croceum Josephuli capillamentum manibus suis haerens vidit; illius vero ex ore fabri capillamentum pendebat.
„Meos mihi capillos redde", Antonius inquit.
„Et tu meos, atque in pacem redeamus".
Commutatis igitur capillamentis, alter alterius dexteram strinxit; iuraverunt deinde se totam vitam fidos amicos futuros.
„Dic igitur, Josephule" faber ait, ut re ipsa se in amicitiam redisse testaretur; „quomodo tibi morem geram?".
„Parvo tigillo egeo, ut pupulum illum conficiam; daturusne es?".
Magna laetitia subito perfusus Antonius lignum, quod tantum illi metum iniecerat, ex mensa sustulit, ut Josephulo traderet. Sed quidnam fit? Lignum ipsum concutitur, deinde e fabri manibus elabitur atque in losephuli tibias senili macie arescentes magno impetu impingitur.
„Hac tu urbanitate, Antoni, munera tua porrigis? Mirum quod me claudum non reddidisti".
„Nulla mea culpa, crede, id evenit".
„Ipse igitur me contudi".
„Hoc lignum in culpa est".
„Credo equidem; sed tu illud in mea crura coniecisti".

„Non ego".
„Vir mendax es".
„Noli, Josephule, mecum contumeliose agere, nisi vis a me Pulticula appellari".
„Asine!".
„Pulticula!"
„Asinium caput, tu".
„Pulticula!".
„Turpis simioli facies!".
„Pulticula!".
Non tulit Josephulus se tertium Pulticulam appellari atque, oculis paene ob iram occaecatis, furens in fabrum irruit. Rursus atrox pugna committitur: alter alterum rabide pulsat verberatque.
Cum tandem rixari destiterunt, Josephuli nasum bis unguibus notatum cerneres, alterius vero tuniculam duobus ligneis globulis carentem. Pares rationes erant, manibusque igitur iunctis iuraverunt iterum se totam vitam fidos amicos futuros.
Tum Josephulus grates quam maximas Antonio egit, lignumque secum gestans claudicante pede domum rediit.



CAPUT III

Admodum parvum cubiculum Josephulus habitabat, quod plano pede situm lucem per foramen a quodam obscuro loco admittebat vacuo sub scalis relieto. Cubiculi supellectile nihil simplicius; squalidum subsellium, sordidus grabatulus, labans putrisque mensa. In adverso pariete domesticus caminus cernebatur in eoque ardens ignis; sed pictus ignis erat, picta etiam olla iuxta ignem fervens, unde umidus vapor sic in nubis modum diffundebatur, ut purum putum vaporem quivis illum diceret.

Ubi primum Josephulus domum est ingressus, fabrilia adripuit lignumque incidere coepit, ut pupuli forma inde exsisteret.

„Quod nomen illi imponam?", pressis labiis immurmuravit; „Pinoculus ille erit; fortuna huic nomini favebit; nam memini me quondam Pinoculorum familiam novisse; Pinoculus pater, Pinocula mater liberique omnes in tantis lautitiis vivebant, ut qui illorum ditissimus erat stipem colligendo victitaret".

Invento nomine, alacriter in operam incubuit primumque capillos fecit, deinde frontem et oculos. At quo stupore animadvertit oculos illos mobiles esse seque intentius intueri! Quod cum aegre ferret, vocem aspere attollens:

„O lignei contumacesque oculi", inquit, „cur me sic intuemini?".

Nemo respondit.

Confectis oculis ad nasum fingendum se paravit;

sed nasus ille vix e Ugno est excisus, cum in longitudinem crescere coepit adeoque crescendo prominuit, ut nullus unquam nasus longius porrectus sit. Frustra Josephulus nasum ad aequam mensuram redigere cona-

batur; nam quo magis illum circumcidere ac decurtare properabat, eo pervicacius nasus ille crescere perseverabat.



Post nasum os; quod quidem nondum piane excisum erat, cum ridere coepit artificemque suum petulanter ludificare.
Imperiose Josephulus subita ira exardescens: „Ne diutius rideas", iussit; sed idem est adsecutus, ac si parietes adlocutus esset.
„Desine, aio", minaci voce iterum exclamavit.
Ridere Pinoculus desiit, sed in illum illudens linguam totam exseruit.
Josephulus, ne susceptum laborem intermitteret, pupuli petulantiam neglexit, id tantum agens ut opus quam citissime absolveret; mentum post os fabricatus est, ac deinde collum, umeros, stomachum, bracchia, manus.
Vix manus confectae sunt, cum Josephulus capillamentum sibi abripi sensit. Suspexit viditque ... Quidnam vidit? Croceum capillamentum in pupuli manibus esse.
„Capitis tegumentum redde, Pinocule!", inquit; „age, propera!".



Tantum afuit ut ille dicto pareret, ut, capillamento sibi imposito, quasi submersus subter capillos delituerit.
Ludibrio habitus Josephulus tanta tristitia conturbatus est, quanta numquam alias, atque his verbis Pinoculum est adlocutus:
„Heus, perfide pusio; te nondum totum finxi, ac tanta irreverentia cum patre tuo agere coepisti: malum id est auspicium, fili mi". Ac simul lacrimam sibi abstersit.
Cruribus ac pedibus adhuc Pinoculus carebat; postquam vero Josephulus pedes quoque perfecit, summum nasum sibi calce peti sensit.
„Merito id patior", submurmuravit; „nam re parum consulta id opus aggressus sum; at nunc sera est paenitentia".
Manibus deinde sub bracchiis iniectis sic sublatum pupulum in cubiculi pavimento deposuit, ut paulatim ambulare disceret. Sed torpentia crura illum primos gradus facere non sinebant. Tum Josephulus manu illum ducens ostendebat quomodo alternis gressibus crura movendo ambulare posset.
Cum vero Pinoculus iam se certo gradu incedere animadvertit, primum per cubiculum currere coepit ac denique per ianuam celeri fuga in viam se proripuit.

Josephulus illum est insecutus, neque tamen adprehendere poterat; nam pravus ille pupulus leporum more subsultim currebat viamque lapide stratam ligneis pedibus pulsans talem crepitum exciebat, qualis viginti paribus sculponearum supplodentibus fieret.



„Prehende illum! Prehende illum!" clamitabat; sed praetereuntes, cum pupulum ut ferum equum currentem adspexissent, obstupefacti consistebant risumque tenere non poterant.

Cum magna turba magnusque tumultus inde esset exortus, quidam eorum militum, qui, civium tutelae legibusque servandis praepositi, Italice Carabinieri' appellantur, ratus equum consternatum aurigae habenis non parentem in repentinam fugam se dedisse, ne quid gravius accideret, divaricatis cruribus viam totam animose occupavit, Pinoculumque, frustra inter illius crura iter quaerentem, naso adreptum Josephulo tradidit.



At vulgus, cum ab Josephulo minaciter Pinoculum compellari audivisset, immurmurare coepit: ,,O miserrimum pupulum! Quid de ilio futurum est, si in eum Josephulus insaevire coeperit?Mansueta est illa quidem istius senis facies, sed sub ficto simulatoque vultu mores tyrannici latent". Cum rumor hic increbresceret, miles, mutato consilio, Pinoculum dimisit atque Josephulum in carcerem coniciendum secum duxit.

CAPUT IV

Ut igitur, pueri, res et malefacta Pinoculi narrando persequar, sciendum est pupulum illum, dum Josephulus nullius culpae reus in carcerem ducitur, a fero armigero dimissum in pedes se dedisse. Transversum iter per agros faciens, quo celerius domum perveniret, praerupta loca, saepes spinis horrentes, foveas aquae plenas ea pedum pernicitate — tanta illum festinandi cupiditas ceperat — transiliebat, ut si caprea esset aut lepus, quem venatores agitarent.

Postquam ante Josephuli aedes pervenit, ostio, quod non obseratum invenit, impulso, cubiculum ingressus est ianuaque pessulo obdita humum se proiecit ibique sedens

magnum ob gaudium longum suspirium ex intimo pectore duxit. Non diu tamen in illa laetitia permansit, nam nescio quem audivit hanc voculam edentem:
„Cri-cri-cri".
Metu correptus Pinoculus:
„Quis me vocat?", inquit.
„Ego".
Respexit Pinoculus magnamque locustam vidit per parietem lento gradu repentem.
„Dic mihi, Locusta, quisnam es?'".
„Locusta-loquens sum; domum hanc amplius iam centum annos habito".
„Meum tamen hodie hoc cubiculum est; tuque, si morem mihi gerere vis, quam citissime nec respiciens abito".
Cui illa: „Discedam equidem; non ante tamen quam aliquid, quod verissimum esse scio, tibi dixero".
„Loquere, igitur, ac propera".
„Vae pueris illis qui parentibus suis oboedire recusant, qui paternas aedes temere relinquunt! Numquam illis animi tranquillitate frui in his terris licebit, sed eos paenitebit aliquando tam contumaciter se gessisse".
„Garri, Locusta, garri ut libet. Id unum certo scio; me cras primo mane hinc discessurum; nam, si mansero, id profecto patiar, quod ceteris omnibus pueris accidisse audio: me in ludum itare necesse erit; in studia incumbere me vel invitum cogent; at mihi, si vera inter nos loqui volumus, nulla discendi cupido est; papiliones insequi malo, id quod iucundius est, vel arbores inscendere, ut avicularum nidos deprehendam"
„Me miseret, stulte, amentiae tuae! An ignoras te, id si egeris, asinum, o quam belle!, futurum, omnium irrisioni obnoxium?".

„Visne tandem tacere, importuna atque obscena Locusta?", Pinoculus exclamavit.
Illa vero, quae philosophorum more magna patientia uti consueverat, nedum pupuli contumaciam aegre ferret, eodem vocis tenore prosecuta est:
„Si vero in ludum itare non vis, cur non artem aliquam discis, ex qua honestum quaestum facere possis ac panis frustulum merere?".
Pinoculus, qui iam stomachari coeperat:
„Visne me", inquit, „vere aperteque loqui? omnium artium, quas homines in his terris factitant, una tantum mihi probatur".
„Quaenam?".
„Artem illam aio, cuius proprium est edere, potare, dormire tempusque terere se delectando atque sine ulla cura a mane ad vesperum ubicumque libet vagari"
At Locusta, sedatam placidamque vocem, ut solebat, emittens:
„Ut bene id scias", inquit, „haec ars plerumque, si quis in ea se exerceat, aut ad nosocomium ducit, aut ad carcerem".
„Vae tibi, infausta canens Locusta! Si me in furorem egeris, vae tibi!".
At illa: „Miseret me tui", inquit.
„Cur te mei miseret?".
„Quod, pupulus cum sis, ligneum caput geras!".



Quibus verbis auditis Pinoculus adeo ira exarsit, ut ligneum malleum ex mensa adreptum in Locustam coniecerit. Neque fortasse ille mortalem ictum se illaturum putaverat; sed mala sorte accidit ut malleus ipsum locustae caput feriret. Miserae illi bestiolae id tantum animae relictum est, ut cri-cri-cri ederet, statimque obtrita interiit ac parieti tamquam forma sine corpore inhaesit.

CAPUT V

Fame Pinoculus torqueri coepit atque ad ollam cucurrit iuxta ignem ferventem, sperans se in illa aliquid comedendum inventurum; sed ubi spe deiectus ollam pictam esse cognovit, longus illius nasus longior factus est. Frustra deinde totam domum est perscrutata, si quid quod comederet invenir et; frustra ovi, quod forte inter domus purgamenta invenerat, putamen fregit; nam parvus pullus inde alacer evolavit grates Pinoculo agens, quod sibi laborem exemisset putaminis frangendi.



Statuit igitur in proximum vicum se conferre ut panis frustulum ibi emendicaret.

CAPUT VI

Nox procellosa et vere Tartarea erat; vento sibilante arboribusque per rura crepitantibus, perpetuum intonabat caelumque tam crebris fulguribus sulcabatur, ut totum flagrare videretur. Turbida illa tempestas vehementer Pinoculum terrebat nihil magis quam tonitrua ac fulgura metuentem. Fames tamen metum vicit. Subsultim ac praecipiti cursu in vicum anhelans ac dependente lingua pervenit;sed clausae domus omnes, clausae tabernae erant. In extremam desperationem adductus aedium, quibus primum occurrit, funiculo iuxta ostium posito semel atque iterum tracto, effecit ut tintinnabulum sonum ederet. Seniculus quidam in viam e patefacta fenestra despiciens quidnam quaereret rogavit. Pinoculus ut sibi frustulum panis deiceret supplex oravit; at seniculus, ratus malum aliquem pusionem se ludificare velle, paulisper illum morari iussit, statimque reversus aqua frigida ex magno catino effusa Pinoculum tam largiter irroravit ut languescens geranium ir-

rorari solet.
Domum igitur revertit – quid aliud enim illi faciendum erat? –; ibique fame, lassitudine, frigore paene exanimatus in scamno consedit pedibusque caldano prunis repleto impositis obdormivit.
At ligneipedes, concepto igne, paulatim arserunt atque in cinerem abierunt.
Vox Josephuli dormientem excitavit.



CAPUT VII

Subito experrectus Pinoculus, ubi primum patris vocem audivit, neque adhuc sibi pedes combustos esse animadverterat, semisopitus ex scamno exsiluit, ut ostii pessulum reduceret; sed postquam labante gressu bis terve incedere conatus est, humi procubuit eumque strepitum cadens edidit, ut si plurima lignea cochlearia ex summa domo corruissent.
„Ostium aperi!" Josephulus ex via clamabat.
„Quomodo possum, pater?", flens atque humi se volutans Pinoculus respondit.
„Cur non potes?".
„Pedes meos comederunt".
„Quisnam comedit?".
„Feles, opinor", Pinoculus inquit, cum felem videret ali-

quot ligni ramenta in altum cruribus iactantem.
At iterum Josephulus:
„Aperi ostium, aio", inquit, „nisi vis a me discere quo cibo feles utatur".
„Stare nequeo, crede. O me miserum, quem per totam vitam genibus nixum ambulare necesse est!".
Josephulus credidit sic illum eiulare, ut se ludificaret, atque, ne res diutius duceretur, murum ascendit domumque per fenestram introiit.
Erat ei in animo acerbius in Pinoculum animadvertere; sed cum illum combustis pedibus humi iacentem vidit, amore simul ac misericordia permotus, ad pectus premere atque osculari coepit sexcentisque blanditiis consolari; deinde lacrimis per genas manantibus singultiens:
„O mi Pinocule", inquit, „quomodo evenit ut pedes tui comburerentur?".
Tum Pinoculus confuso ac perplexo sermone enarrare incipit quid sibi domum reverso acciderit: quae Locusta-loquens se admonuerit, quomodo ipse ira accensus illam invitus eliserit; ex ovi putamine deinde pullum evolavisse, postremum vero perfidum quendam seniculum se panem petentem aqua gelida perfudisse. Quid ille loqueretur non satis Josephulus intellexit, praeter id unum: Pinoculum suum ut famelicum lupum esurire. Tria pira igitur, quae paulo ante emerat ut prandium sibi essent, illi edenda porrexit. Pira Pinoculus statim degluttivit cum ipsis caulibus ac putaminibus, quae prius fastidiose aspernatus, posterius tamen, fame impellente, avidissime voravit.

CAPUT VIII

Expleta fame Pinoculus submurmurare atque eiulare coepit, ut pater sibi novos pedes fabricaretur; at Josephulus ut aliquam poenam ille admissi malefacti solveret, paulisper flentem ac desperationis plenum neglexit.

„Cur novos tibi pedes fabricer?", aiebat; „an ut iterum domo effugias?".
Cui ille singultiens: „Meos mores polliceor ab hodierno die tales futuros, quales boni ac lepidi pueri mores esse decet".
„Pueri omnes, si quid adsequi volunt, eadem loquuntur".
„Polliceor me in ludum iturum summamque ibi laudem consecuturum".
„Pueri omnes, cum aliquid adsequi volunt, hanc historiolam recinere solent".
„At non idem ego sum atque alii pueri; puerorum omnium optimus sum; vera semper loquor. Tibi, pater, polliceor fore ut aliquam artem discam; eumque quaestum ex illa faciam, ut aliquando te senem sustentare et consolari possim".
Josephulus, quamquam tyrannorum more trucibus oculis Pinoculum intuebatur, vix tamen lacrimas cohibere poterat ac magno angore premebatur quod ille tam foede debilitatus esset. Nihil respondit, sed fabrilibus instrumentis adreptis duobusque fragmentis lectis bene arefacti ligni, alacer opus aggressus est. Dicto citius pedes confecti sunt; at qui pedes! pernices, sicci, mobilissimi, ut si magni ingenii artifex illos finxisset.
Perfecto opere: „Claude oculos atque obdormisce", Josephulus inquit.

Oculos Pinoculus clausit seque dormire simulavit; tum Josephulus in ovi putamine paululum glutinis diluit pedesque tam apte cruribus agglutinavit, ut nullum iuncturae indicium appareret.
Vixdum Pinoculus se pedibus iterum praeditum esse sensit, ex mensa ubi iacebat desiluit, atque crura quoquoversus iactare coepit saltusque circumvoluto corpore dare, ut si magnum illud gaudium in insaniam evasisset; patrem deinde adlocutus:



„Ut mercedem aliquam pro tanto beneficio a me acciperes, statim in ludum itare statui".
„Recte".
„Sed quomodo in ludum eam, si veste careo?".
Tanta inopia Josephulus premebatur, ut ne unus quidem nummulus in eius sacculo esset; vestem tamen illi confecit ex charta pictis floribus exornata, calceos ex arboris cortice, pilleolum vero ex molliore panis parte fictum.
Tali ornatu gaudens statim Pinoculus ad catinum aquae plenum cucurrit, ut suam ipsius imaginem ibi contemplaretur, atque, dum gloriosus se iactat:
„Nonne", inquit, „dives et lautus videor?".
„Sane quidem; illud enim memento, non exquisitam vestem decus hominibus addere, sed mundam".

„At ituro mihi in ludum aliquid adhuc deest; id deest, aio, quod maxime est necessarium".
„Quidnam?".
„Elementorum libellus".
„Iure id dicis. At quomodo libellus ille paratur?".
„Nihil facilius; apud bibliopolam emitur".
„Sed unde nummos eliciam ad libellum comparandum?".
„Nummos ais? Nummis ego careo".
„Et ipse", optimus ille senex inquit obnubilato vultu.
Pinoculus quoque, quamquam et puer erat et ingenio hilari, tristis factus est; namque inopia quid sit, cum domus aliqua summa indigentia premitur, edam pueri bene intellegunt.
At Josephulus subito consurgens foras exiit; cum rediit, elementorum libellum dextera manu agitabat, sed exteriore illa tunicula, quae prius ab illius bracchis et umeris frigus arcebat, non iam indutus erat. Ningebat; at ille vestem vendiderat ne libello filius suus careret.

CAPUT IX

Vix Pinoculus viam erat ingressus, quae ad ludum ducebat, cum audire sibi visus est fistulas haud procul cum magno tympani sonitu canentes.



,,Quidnam id est?", inquit, rei novitate adlectus.
Paulum cunctatus, statuit discendi initium in posterum diem differre; currens igitur eo pervenit unde fistularum cantum ac tympani sonitum profcisci senserat, ibique parvum theatrum ex ligno pictisque linteis aedificatum adspexit, cuius in adverso fastigio rubris litteris tamquam ignis splendentibus inscriptum erat:

MAGNUM NEUROSPASTORUM SPECTACULUM

Comoediam lignei pupuli erant acturi, magnaque hominum multitudo eum locum occupabat, qui ad theatri ostium aditum dabat. Sed, si quis theatrum ingredi cupiebat, quattuor nummulos illum solvere necesse erat. Pinoculus, quem curiositas tamquam febris aestus urgebat, non erubuit adulescentulum quendam, qui aderat, orare, ut quattuor nummos sibi mutuos daret. Abnuenti illi tuniculam qua indutus erat venalem obtulit.
,,Quanti chartacea vestis valere putas?", ait ille irridens; ,,quam si imber madefecerit, cuti adhaerentem exuere non licebit?".
Tum Pinoculus:,, Visne calceos meos emere?".
,,Ad id tantum calcei isti idonei sunt, ut ignem in camino suscitent".
„An meum pilleolum?".

„Pulcrum sane negotium! Timendum erit ne mures in caput insiliant ut illum comedant".
Quid tum Pinoculus? Elementorum libellum quattuor nummulis scrutario cuidam vendidit solutoque introitus pretio theatrum ingressus est.
Quis non meminerit Josephulum domi mansisse frigore trementem, quod exteriorem vestem vendiderat, ut librum illum emeret?

CAPUT X

Iam comoedia agi coepta erat, atque Arlechinus et Pulcinella, ut illorum mos est, acerrime rixabantur. Contumeliis alter alterum magno cum risu spectantium obruebat ac mox colaphis baculoque petiturus erat, cum subito Arlechinus:
„Di boni! Nisi fattor, exclamat, Pinoculus ille est".
Quibus verbis auditis, ceteri pupuli, visendi studio impulsi, in scaenam universi se proripuerunt atque una voce:
„Pinoculus procul dubio pupulus ille est", clamare coeperunt; „Pinoculus, frater noster. Euge! Huc veni, Pinocule, ut te amplexari possimus".
Pinoculus ex ultimis theatri locis super spectantium capita saltando in scaenam insiluit neurospastisque illis se immiscuit. Quis enarrare potest quanta fraterni amoris significatone, quam multis amplexibus, vel etiam ligneum caput ligneo capiti impingendo suum quisque animum effuderit? Sed eos qui comoediam spectatum venerant morae illius taedere coepit.
„Ohe!", clamitabant; „satis est: comoedia tandem agatur".
Improvisus neurospastorum magister apparuit.
Vir erat corpore ingenti, horribili facie, adspectuque ipso magnum iniciebat terrorem. Spissa atque horrida barba, atramenti macula nigrior, usque ad pedes fluebat, adeoque longa erat, ut ipse ambulare non posset, quin pedes

in illa incedendo poneret.
Oris hiatus patefacto fumo amplior erat, oculi vero duae vitreae lanternae videbantur incluso igne fulgurantes, eiusque in dextera flagellum in altum sublatum minaciter insonabat, cuius angues pro loris erant vulpinis caudis intorti.



Eius adventu obmutuerunt omnes. Volantem muscam audires; miserrimi illi pupuli, et mares et feminae, ut arboris folia tremebant. Tum ille fusca gravedinosi Orci voce Pinoculum compellans ex eo quaesivit:
„Cur theatrum meum es ingressus, ut tantum tumultum excitares? ".
Cui ille: „Nulla mea culpa, crede, id factum est".
„Ne quid amplius addideris; huius rei rationem mox a te reposcam".
Comoedia peracta neurospastorum magister in culinam se contulit, ubi bene saginatus aries, quem cenaturo sibi paraverat, veru infixus lente volvebatur; cum vero ligna deficerent, ut illum bene assatum comederet, Arlechinum et Pulcinellam arcessivit:

„Pinoculum huc ducite", inquit, „clavo adfixum eum invenietis; ex bene arefacto ligno factus est; ac pro certo habeo illum, si in focum iniecero, magnam flammam excitaturum, quod quidem oportet fieri, ut aries bene assetur".
Haesitaverunt illi quid facerent; sed domino minaciter intuenti parere coacti sunt. Paulo post reverterunt brachiis Pinoculum gestantes, qui in tanto discrimine ut anguilla ex aqua subducta totum se distorquebat atque eiulans:
„O, mi pater", aiebat, „pereunti mihi succurre! perire nolo; hei mihi! perire nolo".

CAPUT XI

Neurospastorum magister, homo et adspectu fero et nomine ipso metuendus — Ignivorus enim vocabatur — pravi tamen ingenii non erat; cum igitur Pinoculum tam miserabili voce „perire nolo" clamitantem audivit, sternuere coepit, quod bonum omen esse Arlechinus in aurem Pinoculi insusurravit; nam, ut in ceteris hominibus misericordia veras aut fictas lacrimas elicit, Ignivorus, si forte misericordia permotus esset, crebris id sternutamentis ostendebat. Rogavit igitur Pinoculum num eius parentes adhuc viverent.
„Matrem meam ignoro", respondit ille; „sed pater vivit". Tum Ignivorus, ne tantum dolorerem Pinoculi patri afferret, si illum in prunas conici iussisset, statuit Pinoculi loco Arlechinum comburere.
„Eia, agite, armigeri!", clamavit.
Ilico duo lignei armigeri apparuerunt statura procera, arido corpore, lato militari tegmine caput induti, gladio destricto. Quibus Ignivorus imperavit:

„Arlechinum artis vinculis constrictum in focum comburendum inicite, ut aries cenanti mihi bene assatus adponatur".
Quibus verbis auditis Arlechinus tanto metu est correptus, ut flexis cruribus humi procubuerit. Non tulit Pinoculus miserum illud spectaculum ac flens ad Ignivori pedes prostratus illius barbam profluentibus lacrimis irrorare ac supplex orare coepit:
„Miserere illius, domine Ignivore!".
„Nullus est hic dominus".
„Miserere, eques!".
„Nullus est hic eques".
„Torquate eques, miserere!".
„Nullus eques torquatus hic est".
„Misereat tandem Excellentiam Vestram ...".
Ignivorus, cum se „Excellentiam" appellari audivit, mitior factus est; atque ore ad osculum composito:
„Quidnam igitur a me petis?", inquit.
„Ut clementia utaris atque Arlechinum dimittas".
„Quid mihi de clementia loqueris? Tibi quidem peperci, oportet tamen meus aries bene assatus sit".
Tum Pinoculus adsurgens pilleolum pane confectum procul abiecit ac ferox exclamavit:
„Si igitur id statuisti, scio quid mihi faciendum sit. Agedum! Accedite, armigeri, meque vinculis obligatum in flammas proicite. Iniquum est Arlechinum mortem pro me obire".
Haec verba summa voce pronuntiata eoque sono, quem fortem virum edere decet, id effecerunt ut omnes qui aderant lacrimas tenere non possent. Ipsi armigeri, quamquam ex ligno confecti erant, ita flebant ut lactentes agni balare solent. Ignivorus, ut glaciei fragmentum ri-

gens, in sua sententia perstare videbatur; sed paullatim mollescere ac sternuere coepit, postremum denique post quattuor vel quinque sternutamenta Pinoculum in sinum suum excepit atque:
„Bonus puer es", inquit, „huc veni ac me osculare".
Celerrime Pinoculus per Ignivori barbam irrepsit summumque illius nasum magno amore osculatus est.
„Estne igitur venia impetrata?", adeo submissa voce Arlechinus quaesivit, ut vix audiretur.
„Impetrata est", Ignivorus ait. „Id patiar. Arietem meum semicrudum comedam necesse est; sed si quis iterum talia ausus erit ... vae illi!".
Postquam remissae poenae nuntius ligneis pupulis adlatus est, universi in scaenam accurrerunt omnibusque lucernis lampadibusque accensis saltare ac tripudiare coeperunt. Illuxit; neque tamen pupuli saltare desierant.



CAPUT XII

Postero die Ignivorus seductum Pinoculum interrogavit.
„Quod nomen est patri tuo?".
„Josephulus".
„Quamnam artem exercet?".
„Inopiam".
„Magnumne quaestum ex illa facit?".
„Tantum lucri facit, quantum necesse est ut nullum unquam nummulum in sacculo habeat. Id considera: ut elementorum libellum mihi emeret, exteriorem tuniculam vendere coactus est; quae tunicula pluribus locis sarta atque adsutis pannis refecta merum vulnus hians videbatur".
„Infelix! Miseret me illius. En, quinque hos aureos nummos accipe; abi, illos propera patri tuo adferre eumque meo nomine salvere iube".
Ut quivis suspicari potest, grates egit Pinoculus quam plurimas; deinde singulos pupulos ipsosque armigeros amplexatus magna perfusus laetitia iter suscepit ut domum rediret.
Nondum quingentos passus progressus erat, cum illi fiunt obviam Vulpes uno crure clauda ac Feles utroque oculo caeca, quae altera alteri auxilium ferentes, ut quas mala sors comites fecisset, tarde incedebant. Clauda Vulpes Felis umeris innitebatur, Feles, caeca cum esset, a Vulpe ducebatur.
„Have, Pinocule", Vulpes ait comiter pupulum appellans.



„Unde nomen meum didicisti?", quaesivit ille.
„Patrem tuum novi".
„Ubi cognovisti?".
„Heri vidi illum in limine domus suae stantem".
„Quidnam agebat?".
„Cum exteriore tunicula careret, tremulo frigore quatiebatur".
„Heu, miser! Sed hodie tremere desinet".
„Quomodo?".
„Ditissimus factus sum".
„Divesne tu?", Vulpes exclamavit illius verba contumacissimo risu in ludibrium vertens. Feles etiam ridebat, sed simulato vultu anterioribus pediculis superioris labri pilos sibi pectebat.

„Quid rides?", Pinoculus ait subita ira permotus, nummosque aureos ostendit ab Ignivoro acceptos. Quos cum mali illi soci vidissent, Pinoculum consilium suum ostendentem in ludum quam primum itandi ab incepto deterrere coeperunt. Querebatur Vulpes se propter stultam illam discendi cupiditatem crus unum amisisse comitemque suam, aiebat, ob id ipsum caecam esse factam.
Forte candida merula prope viam saepis ramusculo insidebat.

,,Cave, pupule", ait illa, ,,ne prava ista consilia audias; quod si feceris, te aliquando paenitebit".



Vix loqui desierat; Feles subito saltu merulam adorta correptam devorabit ac Pinoculo illius necis causam quaerenti:
,,Discet illa illa", inquit, ,,nemini licere alienis negotiis se immiscere".
Incipit deinde Vulpes Pinoculum edocere quomodo quinque illi aurei nummi mille vel duo milia fieri possint. Nihil facilius; in regione, quae ,Bubonum terra' appellatur, portentosum quendam agrum situm esse; si quis ibi nummum aureum severit, noctu arborem ex humo crescere, ex qua subsequenti die nummorum racemos decerpere liceat.
Tam facile deceptus Pinoculus, spe concepta exsultans, comitibus suis oblatam mercedem graviter recusantibus:
,,Eamus", inquit; ,,vobiscum veniam".

CAPUT XIII

Viam igitur igressi sunt. Postquam magnum diei partem ambulando consumpserunt, labore atque itinere defatigati ad cauponulam quandam pervenerunt, cui nomen erat ,ad Cancrum Rubrum'.
Tum Vulpes: ,,Cur non hic tamdiu moramur, quantum temporis satis est ut aliquid comedamus ac paulisper quiescamus? Media nocte iter rursus suscipiemus, ut

primo mane ad Portentosum Agrum perveniamus".
Cauponulam ingressi ad mensam adsederunt, sed nulla edendi cupiditas erat illis. Feles enim, cum cruditate misella laboraret, nihil aliud comedit quam mullos triginta quinque in lycopersici iure incoctos, quattuor insuper vitulini omasi fercula Parmensi more bene cocti; quod omasum cum non satis conditum videretur, ter butyrum petiit caseumque radula tritum. Vulpes vero libenter se aliquid pransuram fuisse fatebatur, nisi medicus sibi praecepisset ut cibo admodum tenui uteretur; ne igitur diaetae leges violaret, unum tantum leporem comedit iure quodam inspersum quod gustatu mordax erat ac dulce; leporem in longa patina appositum saginatae gallinulae ac pulii gallinacei coronabant, quos Vulpes non est aspernata. Lepore altilibusque voratis, ut cibi fastidium vinceret, pingue quoddam minutal sibi adferri iussit ex advenis vernaculisque perdicibus confectum immixtis cuniculis, ranunculis, lacertis atque uvae acinis melle dulcioribus. Nec quicquam aliud comedit, cum cibos omnes adeo fastidiret, ut illos ne ad os quidem admovere posset.



Parcior Pinoculi cena fuit; dimidiam nucem cum panis frustulo sibi appositam intactam in patina reliquia Miser ille pupulus, qui nihil aliud cogitaret quam Portentosum Agrum, antecapta aureorum nummum cruditate laborabat.
Post cenam sic Vulpes cauponem adloquitur:
„Appara, sis, cubicula duo, quae nos deceant: alterum clarissimo huic pupulo, Pinoculo, alterum nobis. Paululum quiescere statuimus antequam eo proficiscamur quo nobis est iter; ne obliviscaris tamen nos media nocte excitare, ut iterum viam ingrediamur".
„Quod iussisti fiet", ait ille, simulque altero oculo nictabatur significans se probe quid agendum esset intellexisse ac rem inter ipsos convenisse.

Cubiculum ingressus Pinoculus artissimo somno statim correptus est mirumque somnium somniavit. Sibi enim videbatur medio in agro versari plurimis arbusculis consito. Arbusculae racemis oneratae erant, e quibus aurei nummi pendebant iucundum tinnitum edentes, quasi dicere vellent: ,,Cuivis nos decerpeve licet"; iamque Pinoculus manus porrexerat, ut quam plurimos nummos adriperet, cum cauponem ter ianuam vehementer pulsantem audivit. Mediam noctem esse nuntiabat. Quaerenti Pinoculo num vulpem etiam et felem excitavisset, rettulit ante duas horas illas profectas esse, quod feles nuntium accepisset filiolum suum perniunculis laborantem in maximo vitae periculo versari; Pinoculum illas in Portentoso Agro conventuras.
,,Solveruntne illae cenae pretium?", Pinoculus ex eo quaesivit.
„Minime. Noluerunt enim te hac contumelia adfici".
,,Ipse vero hanc contumeliam libenter tulissem", Pinoculus ait, aureoque nummo cauponi soluto profectus est.

Nox erat intempesta; densas per tenebras et in silentio noctis incedere necesse erat; nocturnae aves Pinoculi nasum rapidis alis everberabant. Subsultim recedens clamabat ille: ,,Quisnam adest?", ac propinqui colles eius vocem reddentes: ,,Quisnam adest?" iterabant, ,,Quisnam adest?". Dum iter facit, bestiolam tenui lumine lucentem adspexit, tam exili voce praeditam, ut si ex inferis emissa esset. Se Locustae-loquentis larvam esse professa est.

,,Quidnam vis?", Pinoculus ait.

Tum illa: „Audi me, Pinocule; domum revertere, ubi flens pater tuus, dum te exspectat, magno dolore conficitur; ne credas illis qui faciles divitias tibi pollicentur. Te decipere statuerunt; si sapias, revertere. Nox perobscura est nec tutum a latronibus iter".

Cum Pinoculus illius monitis parere contumaciter recusasset, locusta ,,vale" dicto lucem emittere desiit, ut si quis igniculum flando restinxisset.

CAPUT XIV

„Profecto", tacitus Pinoculus aiebat, „puerorum condicio quam tristis est! Nos omnes increpant, admonent; Consilia dant omnes nobis; et patres sunt omnes, si illos audias, et magistri, loquentibus locustis non exceptis. Nunc, quod odiosam illam locustam audire recusavi, quam multa mala ex illius sententia obiturus sum! Mene in latrones incidere! Bene est quod latrones ego nullos esse semper arbitratus sum. Parentes illos commenti sunt, ut pueros deterrerent quominus noctu ambularent. Fac tamen me in itinere latronibus incursurum. Num metum ullum mihi incutiant? Minime. Illis obviam ibo et corani elata voce sic loquar: ,Clarissimi latrones, quid mihi vo-

biscum? Scitote me eum esse quicum iocari non oporteat; hinc igitur nullo verbo addito abite quam celerrime ad vestra negotia agenda'. Hanc oratiunculam serio habitam si audiverint, miseros illos latrones in pedes statim se daturos arbitror ac vento celeriores fugituros; currentes illos cernere mihi videor. At si forte tam male morati sint, ut fugere recusent, quid tum? Fugiam ipse, ac res acta erit"... Sed mutum illum sermonem intermittere coactus est; animadvertit enim folia post tergum levi ter strepere. Respexit, ac quidnam vidit? Duae incertae formae, quae vix in tenebricoso aere cernebantur, atratae, minaces, nigris saccis indutae quibus carbonarii utuntur, leviter salientes suspenso gradu illum tamquam lemures insequebantur.

„En, illi sunt", tacite inquit, atque cum nesciret ubi aureos nummos absconderet, in os illos ipsam sub linguam introduxit. Deinde in fugam se dare est conatus; sed nondum gradum unum fecerat, cum brachia sibi deprensa sensit duasque simul voces audivit horribili ac fusco sono iubentes:
„Aut cruminam aut vitam".



Pinoculus, ne nummos ore absconditos proderet, nullum verbum edere poterat; gesticulatim igitur ac multiplici corporis inclinatione omnia expertus est, ut nigris illis formis, quarum nulla corporis pars cernebatur praeter oculos per saccorum foramina lucentes, persuaderet inopem se pupulum esse nec quicquam habere in crumina, ne nummulum quidem unum minimi pretii ac dolo excusum.
At minaciter illi: „Nullis hic verbis est opus; nummos trade!".
Pinoculus nutu capitis ac manuum agitatione varie gesticulabatur, quasi significare vellet: „Nulli mihi nummi sunt".
Latronum alter qui socium suum statura superabat:
„Nisi nummos tradideris", inquit, „peribis!".
„Peribis!", latronum alter iteravit.
„Te necato, etiam patrem tuum necabimus".
„Patrem tuum", latronum alter iteravit.
„Ne quid in illum, scelesti, ne quid in illum audeatis!", perditus Pinoculus exclamavit: „O miserum patrem meum!".
Loquentis in ore nummi sub lingua absconditi tinnitum ediderunt.
„Sub lingua igitur, furcifer, nummi aurei latent; ilico exspue illos".
Pertinax Pinoculus iussa contempsit.
„Hem! surdum te esse simulas; attende paululum: res nostra erit quomodo illos exspuas".
Tum latronum alter summum nasum pupuli adripuit, mentum alter, atque intentis viribus uterque in diversam partem trahere coepit, ut eum os aperire cogerent; sed nihil profecerunt: diceres os pupuli clavis confixis ac re-

tunsa cuspide firmatis obseratum esse.
Tum qui statura minor erat cultro e sinu educto atque in os Pinoculi infixo tamquam vecte aut scalpro usus est. At Pinoculus, fulgure celerior, illius manum mordicus adreptam obtruncavit atque exspuit. Quo stupore animadvertit felis pediculum se exspuisse!

Hac prima Victoria elatus Pinoculus vi ex latronum unguibus se eripuit ac per agros fugere coepit. Quindecim fere passuum milibus peractis, cum vires se deficere sensisset, proceram arborem nactus in summos illius ramos inscendit, quo latrones



frustra reptare conati manibus pedibusque abrasis ab incepto desistere coacti sunt. Tum illi aliquot arefactos ramusculos circum arboris truncum collocaverunt, quibus incensis effecerunt ut statim arbor ignem conciperet. Pinoculus, ne flammis advolutus velut assatus Columbus periret, subito desiluit rursusque in pedes se dedit. Illucebat, nec tamen currentem Pinoculum latrones infesto animo currentes insequi desierant.
Forte perventum est ubi lata fovea ad foedam aquam colligen-

dam per transversam viam obducta iter impediebat. Velox Pinoculus in oppositam ripam transiluit; at latrones, dum idem facere conantur, in illuviem illam praecipites inciderunt.



„Balneum vobis prosit", Pinoculus inquit, sperans latrones aquis submersos perituros. At respiciens celeriter illos post se currentes adspexit sic aqua rorantes ut fiscinae amisso fundo.

CAPUT XV

Iam Pinoculus humum se proicere ac victum se fateri in animo habebat, cum parvam domum procul ut nivem candescentem adspexit.

„Ibi forsitan", inquit, „salutem inveniam".

Postquam eo currendo pervenit, ianuam pulsavit; nemo respondit. Vehementius iterum pulsavit; vox nulla audiebatur. Tum pedes iactando et caput impingendo in ianuam saepius irruere coepit.

Tunc e fenestra pulcherrima quaedam puella caput protulit. Caerulei illius capilli erant, facies vero eo pallore suffusa, ut cerea imago esse videretur. Obductis palpebris, sinum implexis manibus premens immotisque labiis tenuemque vocem emittens, quam e mortuorum sede editam diceres:

„Nemo hic est", inquit, „omnes mortui sunt".
„At saltem tu, obsecro, ostium aperi", flens Pinoculus ac suppliciter oravit.
„Et ipsa mortua sum", respondit.
„Mortuan tu? Quidnam igitur agis iuxta fenestram? ".
„Sandapilam", inquit, „quae me efferat exspecto".
Statimque dilabitur; fenestra sine ullo strepitu ipsa clauditur.
„O pulcra puella caeruleis capillis", Pinoculus clamitabat, „si qua est in te misericordia, ostium aperi. Infelicis huius pupuli te misereat, qui, actus a latron ...".
Sed medium sermonem abrupit; nam sibi collum elidi sensit duasque simul metuendas voces audivit minaciter murmurantes:
„Non iam effugies".
Mortem sibi instare Pinoculus intellexit, eoque tremore concuti coepit, ut lignei crurum articuli strepuerint, ac nummi sub lingua absconditi tinnitum ediderint.
„Quidnam igitur?", latrones ex eo quaesiverunt; „visne annon os aperire? Hem, respondere non vis? Nostrum id erit, nec difficile est, quomodo os aperias".
Longis cui tris igitur eductis, novaculis acutioribus, *zaff!,* duas plagas in illius tergum intulerunt. At frustra; nam, cum Pinoculus, quod illi saluti fuit, ex ligno admodum duro confectus esset, confracti cultri in sexcenta fragmenta abierunt. Obstupefacti latrones obtruncatos capulos manibus destringentes alter alterum intuebantur.
„Video", illorum alter ait; „suspendio pereat necesse est; suspendamus illum".
„Suspendamus", iteravit alter.
Dicto citius Pinoculi manibus post tergum obligatis et gutture in laqueum inserto ramosae ac vetustae arbori il-

lum suspenderunt, cui nomen erat ‚Quercus magna'. In herba deinde consederunt exspectantes dum pupulus postremo calcis ictu aerem verberaret.
Sed post tres horas Pinoculus, oculis nondum clausis et micantibus cruribus, ab arbore obserato ore pendebat. Latrones, quos eius rei taedere coeperat, Pinoculum cachinnantes adlocuti:
„Vale", inquiunt; „cras redibimus; sperandum est fore ut, quae tua est humanitas, mortuus ac patefacto ore inveniaris". Sic locuti abierunt.
Gelidus aquilo interdum exortus est, qui vehementer spirans ac rabide mugiens suspensum pupulum huc illuc iactabat, ita ut miser ille mallei imaginem redderet aes sacrum percutientis, cum dies festus celebratur.



Atrociter Pinoculus corporis iactatione cruciabatur laqueusque, cum magis magisque eius gulam oblideret, illius spiritum intercludebat. Sensim oculi obtenebrari coeperunt; sed, quamquam mortem sibi appropinquantem sentiebat, sperare tamen non desierat misericordem aliquem hominem eo venturum qui sibi succurreret. Diu suspenso animo exspectavit; cum vero neminem apparere animadvertit, patris illi in mentem venit moriensque:

„O, mi pater", inquit, „utinam hic adesses!".
Nec quicquam aliud deficiente spiritu addidit; clausis oculis atque ore patefacto crura protendit atque, postquam subsultim totum corpus concussit, rigens corpus ab arbore pependit.

CAPUT XVI



Dum Pinoculus semianimis a magna quercu pendet, pulcra puella caeruleis capillis rursus caput e fenestra protulit. Erat illa aetherea quaedam diva, quae prope silvani iam amplius mille annos habitabat; tum, cum miserum illum pupulum suspensum ac vento iactatum vidisset, ter manibus plausit. Quo signo audito, ingenti corpore falco ad fenestram advolavit.
„Quidnam iubes?", rogavit.
„ Videsne pupulum illum a quercu pendentem? illuc advola; laqueum, quo illius fauces eliduntur, forti tuo rostro praecide, pupulumque humi sterne".
Falco statim evolavit ac paulo post reversus iussa se fecisse rettulit.
„ Vivusne est an mortuus?".
„ Vivit adhuc".
Tum puella eodem manuum plausu barbatum canem advocavit, qui apud illam aurigae munere fungebatur. Medoro ei nomen erat, nec quicquam in eo desiderabatur, quod amplissimae domus aurigam decet; insignis enim illius ornatus erat: album

et cirratum capillamentum, magnifica famularis tunica pretiosis globulis instructa, purpureae bracae, serica tibialia, cetera generis eiusdem. Quid fieri vellet aetherea puella Medoro enuntiavit, ac properans ille miram quandam raedulam ex equilibus eduxit, quae aerem colore simulabat, atque intus avicularum Canariarum plumis ac spumeo lactis flore instrata erat; centum soricum paria colore candido trahebant illam. In sellam igitur Medorus inscendit atque insonante scutica profectus est.



Paulo post Medorus revertit; aetherea puella Pinoculum raedula vectum sinu excepit atque, cubiculum ingressa cuius parietes unionum conchis obducti erant, in lectulo deposuit. Deinde vicinitatis medicos, qui clarissimi erant, advocavit.

Statim illi advenerunt, alius post alium; tres erant: Corvus, Noctua, Locusta-loquens. Sic illos aetherea puella adlocuta est:

„Scire velini utrum miser hic pupulus vivat adhuc, an mortuus sit".

Tum Corvus ad pupulum appropinquavit, micantem venam pressit, nasum deinde minimosque pedum digitos tetigit; postquam vero totum illum hic illic palpavit, sollemniter hanc sententiam edidit:

„Mortuum illum esse pro certo habeo; si tamen, quod di avertant, nondum mortuus sit, certum id indicium erit illum adhuc vivere".



Tum Noctua: „Fateri piget; at non eadem est mihi sententia ac praeclaro huic collegae meo; pupulum enim adhuc vivere puto; si tamen, quod di avertant, iam non vivat, certum id erit indicium mortuum illum esse".
„Quidnam tu?", e Locusta-loquenti aetherea puella quaesivit.
„Prudentis medici esse arbitror, nisi quidnam dicendum sit bene noverit, tacere. Quamquam pupuli istius facies mihi non est incognita; iamdudum cognovi illum".
Quae cum illa dixisset, Pinoculus, qui usque ad id tempus iners immobilisque tamquam tigillum iacuerat, subito fremitu concussus est, ita ut grabatulus ipse subsiluerit.
„Pupulus iste, inquam", Locusta-loquens addidit, „malus atque improbus pusio est".

Pinoculus palpebras sustulit ac subinde demisit.
„Nihil illo nequius invenies; discendi impatiens est, errandi cupidus ...".
Obductis linteis Pinoculus faciem abscondit.
„Nemini ille parere vult, atque id aliquando efficiet, ut eius pater maerore atque aegritudine adflictus moriatur".
Vix Locusta loqui desierat, cum mirum quiddam accidit; vox in cubiculo audita est, ut si quis submisse fleret ac singultiret. Magnus omnium stupor fuit, cum, sublatis linteis, Pinoculum ipsum flentem ac singultientem eam vocem edere intellexerunt.
„Tum mortuus flere solet", Corbus edidit, ,,cum ad sanitatem rediturus est".
At Noctua: „Piget me clarissimo amico et collegae meo contradicere; mortuum enim tum fiere puto, cum taedet illum quod sibi moriendum sit".

CAPUT XVII


Postquam medici abierunt, aetherea puella ad Pinoculum accessit eiusque frontem tetigit. Statim animadvertit aestu febrique illum vehementer iactari. Tum aliquantum pulveris albi in aqua, quae dimidium poculum implebat, diluit eamque potiunculam Pinoculo praebuit; ac benigno vultu:
„Hauri", inquit; „duos post dies haec medicina te ad sanitatem reducet".
Pinoculus primum poculum adspexit, os deinde paululum distorsit quaesivitque:
„Dulcisne est an amara?".
,,Amara est illa quidem, sed tibi proderit".
„Amaram potionem haurire nolo".

„Audi me, bibe illam".
„Non libet mihi amara bibere".



„Hauri, sis; cum illam hauseris, sacchari globulum tibi datura sum, ut amara illa potiuncula nihil iam in ore sapiat".
„Ubi globulus iste?".
„En globulus", inquit illa; atque globulum ex aurea pyxide sumptum ostendit.
„Prius sacchari globulum mihi dari volo; tum taetram illam potionem hauriam".
„An polliceris?".
„Polliceor".
Globulum igitur aetherea puella Pinoculo porrexit, qui illum frangere ac degluttire properavit; deinde labia sibi lingens:
„Oportuit", inquit, „saccharum quoque in medicinarum numero esse; cotidie profecto tali medicamento ad corpus purgandum uterer".
„Nunc te promissum servare opus est; id tantulum guttarum efficiet ut valeas ac salvus sis".
Tum Pinoculus poculum aegre accepit, deinde summo naso in illud iniecto ad os admovit, postremum cum iterum eo nasum iniecisset;

„Nimis amara haec potio est", ait; „nimis est amara; illam haurire nequeo".
„Quomodo id dicere potes, si nondum illam libavisti?".
„Quae sit ex ipso odore suspicari licet; at, alterum globulum si mihi dederis, bibam".
Tum illa, ut mater patiens, alium sacchari globulum in os Pinoculi inseruit rursusque poculum porrexit. At ille:
„Sic ut est, haurire nequeo".
„Cur?".
„Nimis enim pulvinus ille pedes meos premit".
Pulvinum illa amovit.
„Nihil profuit; ne sic quidem haurire possum".
„Quidnam aliud obstat?".
„Cubiculi ianua non bene clausa est".
Surrexit illa ianuamque clausit.
Tum Pinoculus, lacrimis ac fletu prorumpentibus, clamitare coepit:
„Taetram hanc potiunculam haurire nolo; numquam hauriam illam, numquam".
„Vide, puer, ne te huius contumaciae aliquando paeniteat".
„Quid mea interest?".
„Cito haec febris te in mortuorum regnum detrudet".
„Quid mea interest?".
„Adeo mortem non times?".
„Non timeo; mori praestat quam foedam illam potionem haurire".
Vix loqui desierat, cum ianua patefacta est; quattuor nigri cuniculi, atramento nigriores, parvam sandapilam umeris gestantes cubiculum sunt ingressi.
Exterritus Pinoculus ex grabatulo exsurgens:
„Quid vobis mecum?", exclamavit.



„Huc venimus ut te efferremus", respondit ille qui magnitudine corporis ceteris praestabat.
„Mene vos efferre! Sed nondum mortuus sum".
„Nondum; sed vitae tempus quod tibi superest non multum est, quoniam medicinam haurire noluisti; quam nisi recusasses, brevi febri caruisses".
„O, mea puella, mea aetherea puella", Pinoculus eiulare coepit; „poculum illud mihi porrige; quid cessas? propera, obsecro, namque mori nolo. Apage te, Mors, a me; apage te". Poculoque utraque manu adrepto potionem uno haustu ebibit.
Tum cuniculi: „Patienter id ferendum est; frustra hoc iter fecimus"; sandapilaque umeris sublata murmurantes, ut qui rem iniquo animo ferrent, discesserunt.

Id pupulis proprium est, ut raro aegrotent, cito convalescant. Potiuncula hausta, Pinoculus sanus atque alacer ex grabatulo desiluit.
„Nunc mihi enarra", quaesivit ex eo puella, „quomodo factum

sit ut in latrones incideres". Paruit Pinoculus ac perplexo sermone, ut solebat, narrare coepit quid sibi accidisset, ex quo quinque aureis nummis ab Ignivoro acceptis viae se commiserat, ut domum reverteretur, usque ad postremum illud latronum facinus, qui eum a magna quercu suspenderunt. Quaerenti ubi nummos aureos deposuisset: „Amisi", inquit, nam mentiebatur, nam nummi in illius sacculo erant.

Vix mendacium illud dixerat, cum longus eius nasus duobus digitis longior factus est.

„Ubinam amisisti illos?".

„Haud procul hinc, in silva".

Pinoculi nasus magis magisque crescere.

„Si nummos in silva amisisti, eos procul dubio recuperabimus, nam quicquid in illa amissum est invenitur".

„Nunc bene memini", confusus ac perturbatus Pinoculus ait; „dum amaram illam potionem haurio, imprudens nummos degluttivi".

Tertium hoc mendacium narrantis adeo longus nasus factus est, ut Pinoculus quo se verteret nesciret; nam hinc lectulus vel vitrei obices obstabant, illinc parietes vel cubiculi ianua. Si vero caput erigere conabatur, periculum erat ne nasum in puellae oculum infigeret.

Ridens illa Pinoculum adspiciebat.

„Cur rides?", Pinoculus rogavit, sollicitus atque anxius, cum sibi nasum continuo crescere videret.

„Mendacia tua risum mihi movent".

„Unde scis me mendacem fuisse?".

„Mendacia, puer, facile agnoscuntur; duo enim mendaciorum genera sunt: alterum brevibus cruribus insigne, longo naso alterum. Mendacium tuum a longo naso agnoscitur".

Adeo Pinoculum puduit, ut, cum locus nullus esset ubi

delitesceret, e cubiculo effugere conatus sit; sed in tantam longitudinem nasus eius creverat, ut ianuam praetergredi nullo modo ille posset.

CAPUT XVIII

Nihil est turpius in puero quam si mendacia narret; aetherea puella igitur, ut turpe illud Pinoculi vitium emendaret, diu illum fiere atque eiulare passa est. Denique, cum pupulum in summa rerum desperatione versari animadvertit, consueto manuum plausu magnam multitudinem advocavit illarum avium, quibus ‚pici' nomen est. Advolaverunt illae atque duris acutisque rostris enormem illum nasum ad naturalem formam redegerunt.



„Quam benigna es, aetherea puella", Pinoculus exclamavit lacrimulam sibi tergens;„quantum te diligo!"
„Et ipsa te diligo", respondit illa; „si vis igitur mecum hic habitare, tu meus fraterculus eris, tua sororcula ego".
Cui Pinoculus: „Libenter et ipse tecum mansurus essem ..., sed quidnam erit de misero illo patre meo?".
„Omnia providi; pater tuus huius rei nuntium accepit; sub noctem aderit".
„An vera dicis?", Pinoculus inquit, dum ob laetitiam alacriter subsilit. „Ergo, nisi quid obiciendum putas, mihi est in animo illi obviam ire. Quam vehementer cupio senem illum osculari! Quam multa ille mea culpa passus est!".
„Nihil contra habeo; illud unum te monitum volo: cave a recto itinere deerres; per silvam iter facito; ibi procul dubio patri tuo occurres".
Pinoculus profectus est, atque silvam ingressus ut caprea currere coepit; postquam vero eo pervenit, ubi procera illa quercus eminebat unde paulo ante moriturus pependerat, subito constitit; nam frutices iuxta viam positi strepitu quodam, ut si quis ibi lateret, agitari visi sunt. Nec fallebatur; de improviso fiunt illi obviam, id quod fortasse suspicati eritis, et vulpes illa et feles, quibus comitantibus in cauponula ‚ad Cancrum Rubrum' cenaverat.
„Quem video!", hilaris Vulpes exclamavit;„Pinoculus noster hic est"; illumque semel atque iterum amplexata atque osculata: „Unde et quo? ", rogavit.
„Unde et quo?", Feles iteravit.
„Longum est enarrare omnia", respondit ille; „id unum scitote: postquam me in cauponula reliquistis, dum solus iter facio, incurro in latrones".

„In latrones? o te miserum! quid erat illis in animo?".
„Nummos aureos per vim mihi auferre conati sunt".
„O scelesti homines!", Vulpes exclamavit.
„Scelestissimi!", Feles iteravit.
„Quid ego? in pedes statim me dedi; at illi fugientem me sunt insecuti; currebam ego, celerius currebant illi, donec deprehensum me ab alto illius quercus ramo suspenderunt".
Quae cum dixisset, Pinoculus quercum illam digito monstravit.
„Quidnam atrocius audiri potest?", Vulpes ait; „ubi terrarum probi nos atque integri vivimus inter huiusmodi homines versari coacti! Quo fugituri sumus, ut tutis ac securis esse nobis liceat?".
Dum ita colloquuntur, Pinoculus animadvertit felem anterioris cruris pediculum amisisse; crus illud enim digitis cum ipsis unguibus carebat.
„Quidnam, misera", ait, „pediculo tuo accidit?".
Feles, paulisper cunctata, tandem aliquid respondere conata est; sed confusa tantum ac turbata verba edere valuit.
Tum Vulpes: „Nimis est illa modesta; quid egerit tacere mavult, quam palam facere; rem ipsa enarrabo. Dum iter facimus, in senem lupum incidimus macie confectum, qui esuriens et paene exanimatus stipem a praetereuntibus petebat. Quid nos? Nummorum nihil in sacculo erat, ne spina quidem piscis, ut ita dicam, quam illi daremus. At comes haec mea Caesarem ipsum magnanimitate vincit: sine ulla mora cruris pediculum mordicus obtruncatum ad lupum proiecit, ne quid illi deesset quod comederet".
Haec Vulpes locuta lacrimulam ex oculis detersit.

At Pinoculi animum ea verba moverunt: ad Felem accessit eiusque in aurem insusurravit:
„Beati mures, si feles omnes tui similes essenti".
Tum Vulpes: „At tu", inquit, „quidnam causae est cur his locis verseris?".
Cui Pinoculus: „Patrem meum exspecto; mox ille est huc venturus".
„Dic modo: de nummis illis aureis quidnam factum est?".
„In sacculo meo sunt, praeter unum; tanti enim cena illa in cauponula ‚ad Cancrum Rubrum' mihi stetit".
„Scisne quae mihi cogitatio sponte subierit? Quam facile quattuor isti nummi mille vel duo milia fieri possunt! Cur me non audis? Ne cuncteris illos in Portentoso Agro serere".
„Hodie id facere nequeo; ad aliam diem rem differam oportet".
At Vulpes: „Posterius sero erit".
„Cur?".
„Vir quidam praedives agrum illum emit; a crastina die nummos in eo agro serere nemini licebit".
Haesit Pinoculus atque: „Quam longe abest Ager iste Portentosus?", rogavit.
„Vix duobus milibus passuum; visne nobiscum venire? Cito illuc pervenies; si quattuor istos nummos ibi severis, paulo post duo milia nummum colliges. Agedum; eamus".
Pinoculus paulum est cunctatus; nam et aetherea puella caeruleo capillo et Josephulus pater ei venerunt in mentem; eaque insuper quae sapiens illa locusta humano sermone praedita quondam admonuerat. Vicit tamen consilium deterius, quod quidem pravis pueris saepe evenire solet; Pinoculus bis terque capite nutavit, ut du-

bius quid faceret, ac deinde:
„Eamus", inquit, „vos comitari paratus sum".
Viam protinus ingressi sunt.
Postquam mediam diei partem ambulando consumpserant, ad urbem quandam pervenerunt, quae ‚Stultorum Aucupium' appellabatur. Quod spectaculum Pinoculi oculis se obtulit, ubi primum ille urbem intravit! Strigosi ubique canes paene pilis carentes per vias urbis errabant atque oscitabant esurientes; oves tonso vellere frigore tremebant; gallinae rubris paleis abscisis zeae granum emendicabant; papiliones etiam passim conspiciebantur, humi aegre repentes, quod, cum splendidas variasque alas vendidissent, non iam evolare poterant, vel pavones sine caudis, quos in publicum prodire pudebat. Tacitae phasiacae aves humum pedibus scalpebant, illarum pinnarum desiderio oppressae, quas prius auro argentoque splendentes ostentare solebant, sed iamdudum sine ulla spe amiserant.



Per mediam illam turbam mendicorum tanto in dedecore vitam degentium aliquot sumptuosae raedae interdum transitabant quibus vehebantur vel vulpes, vel pica furax, vel mala quaedam ac rapax avis.

„Ubi Ager ille Portentosus situs est?", Pinoculus rogavit.
Cui Vulpes: „Haud procul abest".
Dicto citius urbem post se reliquerunt. E moenibus egressi in desertum quendam agrum pervenerunt, ubi, praeter tacitam quandam solitudinem, nihil fere erat quod a quovis alio agro differret.
„Hic est locus", Vulpes ait; „nunc submissis genibus humum manibus erue parvuloque scrobiculo facto aureos nummos ibi condito".
Paruit Pinoculus effossamque humum, quattuor ibi nummis qui supererant depositis, rursus operuit.
„I nunc ad proximum rivum", vulpes iussit, „paululum aquae situla hauri, humum deinde, ubi nummos tuos sevisti, respergito".
Cum Pinoculus Vulpis iussu ad rivum pervenisset nec situlam ullam secum haberet, exutam soleam aqua implevit, ac rediens humum foveae superiectam irroravit, rogavitque:
„Quidnam aliud faciendum est?".
„Nihil aliud".
Post hoc Vulpes et Feles, Pinoculo grates quam maximas agente, discesserunt.

CAPUT XIX

In urbem Pinoculus revertit exspectans dum id tantum temporis praeteriret, quantum necesse erat ut aureorum nummorum arbor cresceret. In Portentosum Agrum denique rediit, sed nihil vidit; rursus igitur aquam calceo haurire coepit humumque irrorare ubi nummos severat. Dum in hoc opere intentus est, ridentem quendam audivit ac suspiciens magno corpore rarisque plumis psittacum in arboris ramo insidentem vidit.



„Cur rides?", inquit.
„Illos rideo qui a callidioribus facile decipiuntur".
„An tu de me loqueris?".
„Utique. Idcirco rideo, quia credidisti sic nummos seri posse ut phaseli vel cucurbitae seruntur. Ipse, qui talia credidi, plumas, ut cernis, amisi. Labore, crede, non aliter pecunia paratur".
Narravit deinde Vulpem et Felem, ubi primum ille discessisset, eruta terra, nummos eripuisse ac statim celeriter fugisse. Obstupuit Pinoculus atque, cum nondum sibi persuasisset

psittacum vera locutum esse, humum excavare coepit fossamque fodit, quae tam lata atque alta facta est, ut metam totam accipere posset, sed nihil invenit: nummi aberant.
Cum se deceptum ac spoliatum esse intellexisset, statim tribunal adiit, ut iudici rem deferret. Ius ibi dicebat magnus quidam simius, aureis ocularibus sine vitro oculos protegens; re ille diligenter cognita, concusso tintinnabulo duos Molossos arcessivit, qui armigerorum munere fungebantur.
,,Miser hic pupulus", ait, ,,quattuor aureis nummis spoliatus est; eum igitur correptum in carcerem conicite".
Quattuor menses Pinoculum in carcere inclusum detinuerunt; sed feliciter evenit ut imperator, qui in illa urbe regnabat, cum hostes suos in acie profligavisset, statueret ut carceres patefierent et latrones omnes emitterentur. Pinoculo e carcere exituro ianitor in limine ne discederet obstitit, quod latro ille non esset.
„Atqui et ipse latro sum", Pinoculus obiecit.
Quod ianitor cum audisset, carceris ostium patefecit pupulumque magna cum reverentia salutatum dimisit.

CAPUT XX

Facile sibi quisque fingere potest quanta cum laetitia Pinoculus iter ingressus sit, ut quam celerrime ad aethereae puellae aedes perveniret. Sed, dum currendo ac saliendo eo properat, subito exterritus constitit.

Quidnam viderat? Magnus anguis in via transversus iacebat; viridis illius cutis erat, ignei oculi, atque ex cauda, quasi ex domestico camino, fumi columna exoriebatur. Quanto metu Pinoculus correptus sit comminisci non licet. In parvo lapidum tumulo insedit, qui non mediocri intervallo ab angue aberat, exspectans dum ille tandem quo vellet discederet viaeque transitum impedire desineret. Hora una, hora altera; semper anguis ibidem iacebat: Pinoculus ex illo longinquo loco igneos oculos rubescentes apicemque caudae fumantem cernere poterat.

Postremum ille, firmiorem animum sibi esse simulans quam metus sinebat, paululum ad anguem accessit illumque suavi quadam atque exili voce adlocutus est:

„Veniam dabis, anguis clarissime, si quid te rogatum veni; ne graveris locum vel minimum mihi dare, ut transire possim".

Murum adlocutus esset, idem profecisset; mansit ille immobilis.

Tunc Pinoculus eadem exili ac blanda voce:

„Scito, serpens humanissime", inquit, „me dodum meam iter facere; ibi enim pater meus, quem iamdudum non video, me exspectat. Visne igitur me meam viam persequi?".

Paulisper exspectavit numquid anguis responderet. Frustra: nam tacuit anguis; quin etiam, qui usque ad id tempus alacer ac strenuus videbatur, clausis oculis, iners

rigensque iacuit; cauda ipsa fumum eicere desiit.
„An ille mortuus est?", Pinoculus ait atque, postquam ob laetitiam manum manu confricuit, nulla mora interiecta saltu illum praetergredi conatus est.
Sed nondum alterum crus sustulerat, cum anguis improviso impetu, quasi ferrea spira actus, exsiluit elatoque corpore erectus adstitit. Pinoculus, dum exterritus recedit, labante pede humi procubuit, tam subito atque incomposito lapsu, ut caput in limosa via infixerit ambobus cruribus in altum porrectis.
Cum anguis praecipitem lapsum pupulum cruribus quam celerrime micantem vidit, tam convulso risu



concuti coepit, ut non ante ridere desierit, quam pectoris vena nimia illa cachinnatione dirupta est. Tum re vera interiit.
Mortuum anguem iam non metuens, rursus Pinoculus currere coepit, ut aethereae puellae domum perveniret antequam, obortis tenebris, via incerta atque obscura fieret; sed in itinere, cum fames quasi acerrimis morsibus illum cruciaret, in agrum prope viam situm insiluit, ut

aliquot apianae uvae racemos decerperet. Quod utinam numquam fecisset! Nam ubi primum ad vitem accessit, *crac ...* crura sibi duobus acutis ferris obstringi sensit; sidera, ut aiunt, propter acerbum illum dolorem cernere sibi visus est. In ferream enim pedicam ibi latentem inciderat, quam illius loci agricolae collocaverant, ut quasdam magni corporis mustelas deprehenderent iamdudum solitas pullorum caedem ac stragem facere in omnibus vicinitatis gallinariis.



CAPUT XXI

Pedicae ferris cruciatus Pinoculus eiulabat clamabatque ut aliquis sibi succurreret; at frustra: nemo aderat. Cum forte cicindelam in tenebris lucescentem vidisset, eam obsecravit ut se a tali supplicio liberaret. Illa vero, nedum aliquod auxilium ferret, severe Pinoculum admonuit nemini licere, vel impellente fame, alienis rebus ut suis uti. Interea agricola, illius agri dominus, suspenso pede ad vitem appropinquavit; qui, suspicatus Pinoculum gallinarum furem esse, liberavit illum quidem a pe-

dica, sed obtorto collo secum traxit.



„Cras", inquit, „poena, quam meritus es, te adfciam; hac nocte canis officio te fungi iubeo; nam canis meus Melampus, qui quattuor annos gallinarium a furibus servaverat, mortuus est; illius vice tu pullos meos custodies".
In ferreum deinde collare Pinoculi collum inseruit aereis acuminibus horrens, cui catenula ferrea aptata erat in muro firmiter infixa.

CAPUT XXII

Media nox erat, cum Pinoculus in area ante agricolae domum sita murmurari audivit; e parvo canis stabulo caput protulit quattuorque mustelas adspexit inter se colloquentes.
Quarum una ad stabulum accessit ac submissa voce:
„Vale, Melampe", inquit.
„Mihi nomen non est Melampus", Pinoculus respondit.
„Quisnam es, igitur?".
„Pinoculus ego sum".
„Quid facis istic?".
„Gallinarium custodio".
„Ubinam est Melampus, canis ille senex qui istic habitabat?".

„Obiit ille hodie mane".
„Obiitne? O, miserum illum Melampum! Quam bona indole praeditus erat! Sed tu quoque, ut facies declarat, urbanis moribus canis mihi videris".
„Veniam dabis, at nullus canis ego sum".
„Quinam es igitur?".
„Pupulus sum".
„An pupulus aedes custodit?".
„Utique; hac poena adficior ...".
„Audi nunc; si idem pacisci vis, quod nobis cum Melampo antea convenerat, credo fore ut te non paeniteat".
„Quidnam inter vos convenerat?".
„Octavo quoque die noctu hoc gallinarium adibimus, ut octo gallinas subripiamus; quarum septem ipsae comedemus, unam tibi edendam apponemus, ea tamen lege, ut te dormire simules, nec unquam cupiditas aliqua te sollicitet latrandi vel agricolam excitandi".
Postquam Pinoculus se rem bene intellexisse dixit, mustelae per ligneum ostiolum, quod dentibus atque unguibus viam dare coegerunt, in gallinarium introierunt.
Sed Pinoculus obserato ostiolo magnoque lapide ad illud admoto canum more latrare coepit bu, bu, bu.



Agricola illius latratibus experrectus atque a Pinoculo certior

factus fures in gallinario inclusos esse, domo egressus est mustelasque deprensas atque in sacculum iniectas, sic adlocutus est:
„Cras proximo cauponi vos tradam, qui bene coctas atque conditas illis qui popinam suam frequentes conveniunt edendas ut lepores apponat".
Deinde, ut praemio aliquo diligentiam atque innocentiam Pinoculi remuneraretur, dempto collari illum statim dimisit.

CAPUT XXIII

Pinoculus cum collum ignobili illo collari non iam cohiberi sensit, per agros currere coepit, nec unquam constitit, quo celerius ad aetheream puellam perveniret; sed quo loco antea candida illa domus surgebat, marmoreum lapidem adspexit ubi tristia haec verba insculpta erant:

HIC IACET
PUELLA CAERULEO CAPILLO
QUAM DOLOR OPPRESSIT
QUOD FRATERCULUS EIUS PINOCULUS
ILLAM RELIQUERAT

Quo dolore Pinoculus adfectus sit postquam funereum illum titulum legit, verbis exprimi non potest. Tamn acuta voce lamentabatur, ut proximi colles illius eiulatus undique redderent.



Flens aiebat: „O, puella, mea aetherea puella, cur mortua es? Cur non ego tua vice perii, cuius improbitas tanta est, quanta fuit in me benignitas tua? Quidnam de patre meo evenit? Ubinam gentium ille sit? Die mihi ubi illum invenire possim. Cum patre meo vivere volo, numquam patrem meum relinquam; numquam abscedam ab illo, numquam. O, mea puella, die mihi, obsecro, id verum non esse; die te non perisse. Si vere me diligis, si vere fraterculum tuum amas, revivisce, fac ut ad vitam redeas. Nonne te miseret mei, inopis huius pupuli, quem solum vides et ab omnibus relictum? Si latrones redierint, me iterum ab illis arbori suspensum certa morte mori necesse erit. Quidnam me agere vis, qui nemini curae sim? Amisso patre, quis mihi aliquid quod comedam praebiturus est? Quis me hospitio excipiet? Quis novam tuniculam parabit? Quanto melius mihi erit, si pereampl. Mori ego volo, eheu!, mori volo!".
Dum Pinoculus flebilibus his verbis dolorem quo angebatur effundit, ingenti corpore Columbus praetervolans sic illum est adlocutus:
,,Quidnam agis istic, puer?".
Suspexit Pinoculus atque: „Nonne vides?", inquit, „lugeo".
,,Dic mihi, quaeso: vidistine forte pupulum quendam cui nomen est Pinoculus?".
„Ipse Pinoculus sum", exsiliens Pinoculus respondit.
Cui Columbus: ,,Josephulum igitur nosti".
Atque ille: ,,Novi equidem: pater meus est".
Tunc Columbus enarravit vidisse se Josephulum iuxta maris litus cymbulam sibi aedificantem, ut filium suum Pinoculum, iam quattuor menses domo absentem, totum orbem terrarum peragrando tandem reperir et.
,,Dic mihi", Pinoculus rogavit, ,,litus ubi illum vidisti quan-

tum abest hinc?".

„Fere sexcenta milia passuum".

Dolentem Pinoculum quod, cum alis careret, tantum spatium brevi tempore conficere nequiret, columbus humaniter iussit in dorsum suum inscendere diemque totum celeri volatu per aera vexit, non sine magno illius metu qui, terras ex tam sublimi loco cernens, vertigine correptus columbi collum quam artissime potuit amplexatus est.



Vespere paulisper in deserto columbario constiterunt, ubi Pinoculus, ut qui fame paene enectus esset, sativas vicias pro prandio tamquam cibum suavissimum avide voravit. Postero mane ad litus maris, quo iter erat, pervenerunt. Pinoculus desiluit; Columbus vero, ne ille se grates agendo taedio adficeret, statim avolavit.

Magna hominum multitudo in litore versabatur: clamitabant omnes, gesticulabantur oculosque in mare intendebant.

„Quidnam accidit?", Pinoculus ex anicula quadam quaesivit.

„Miser quidam homo, amisso filio, in cymbulam inscendit, ut illum trans mare quaereret; sed mare hodie praeter modura aestuat ac furit; timendum est ne cito cymbula


submersa pereat".
„At cymbula ubinam est?".
„Illic est", inquit, „quo me digitum tendere cernis"; cymbulamque monstravit, quae nucis putamine minor videbatur; homuncio in illa insidebat, sed ob magnum interiectum spatium vix cerni poterat.
Oculorum aciem Pinoculus intendit ac postquam eam maris partem inspectavit, improviso ululatu edito:
„Pater est ille meus", exclamavit;„pater meus est".
Cymbula interea aestuantibus fluctibus iactata modo ultra oppositas undas delitescebat, modo rursus in summis aquis fluitans conspiciebatur. Pinoculus altum scopuli verticem inscenderat ac stans in ilio numquam cessabat patrem suum nomine vocare ac se illic esse et manibus et linteolo, quo ad nares emungendas utebatur, et ipso pilleolo significare.
Josephulus, quamquam longe a litore aberat, filium suum agnovisse visus est, nam et ipse pilleolum agitans Pinoculum salutavit ac multis modis gesticulans indicabat libenter se ad litus navigaturum fuisse, nisi turbidum ac procellosum mare obstaret quominus apte remis uteretur et ad terram appropinquaret; cum repente fluctus ingens tanta aquarum mole in cymbulam irruit, ut illam nemo iam conspexerit.
Tum piscatores qui in litus convenerant:
„Heu, miser!", inquiunt; atque preces murmurantes domum redire coeperunt.
Improviso cuiusdam vox exauditur misere eiulantis et ad extremam desperationem adducti. Respiciunt puerumque vident se ex summo scopulo in mare proicientem atque hanc vocem edentem:
„Patrem meum servare volo".



Pinoculus, cum ligneus esset, facile in summis aquis fluitabat ac piscibus aptius natabat; nunc undis submersus latebat, nunc alterum illius bracchium vel crus longe procul a litore ex aqua emergens cernebatur. Postremum oculis illum sequi iam non licuit.
„Heu, miser puer!", iidem piscatores inquiunt; ac preces murmurantes domum redierunt.

CAPUT XXIV

Totam noctem Pinoculus, se patrem suum servaturum sperans, in mari imbribus, grandine ac fulguribus turbato alacriter natavit. Cum primo mane insulam e mari emergentem procul adspexisset, summis viribus litus adtingere conabatur; semel atque iterum undae illum in altura mare reppulerunt, donec fluctus ceteris ingentior magno impetu sublatum in litoris arenam proiecit.
Paulatim post tantam caeli perturbationem serenitas reddita est; Pinoculus exutam vestem ad solem exposuit ac mare explorare coepit, si forte cymbulam homunculum vehentem sibi cernere contingeret. Nihil vidit praeter caelum et mare ac rarum aliquod navigium velis actum, quod tam procul ab insula navigabat, ut muscae simile videretur.



Incertus ubi esset, Pinoculus, qui ne nomen quidem illius insulae noverat, magno in maerore iacebat, cum delphinum adspexit securum in undis fluitantem; ab ilio didicit qua via in proximum vicum pervenire posset.

„Id quoque scire velim", Pinoculus inquit; „tu, qui in maribus omnibus pervagari soles, vidistine forte cymbulam parvam patrem meum vehentem?".

„Quisnam pater tuus est?".

„Is est, quo nemo melior pater unquam fuit, ut ipse filiorum pessimus sum".

„Tam turbidum hac nocte mare fuit, ut verisimile sit cymbulam submersam esse".

„Quidnam de patre meo evenit?".

„Illum, opinor, immanis ille cetus voravit, qui haec maria intravit, ut pestem atque exitium omnibus minitaretur".

Pinoculus, qui iam ob metum tremere coeperat, e delphino quaesivit:

„Qua corporis magnitudine ista bellua est?".

„Quam ampio corpore sit quaeris? Scito, ut illius figuram tibi fingere possis, magis illum in altitudinem emergi quam quodvis quinque tabulatorum aedificium, eiusque hiatum adeo patere, ut ferreum agmen facile per os illud

transire possit cum ipso tractorio curru accensis ignibus acto".

Pinoculus, postquam urbanissimo illi delphino grates egit, iter quod ille monstraverat ingressus est; si quid forte post tergum vel leviter strepuerat, statim respiciebat timens ne immanis ille cetus se insequeretur igneum agmen in ore gestans. Non multum itineris confecerat, cum in parvum vicum pervenit, ubi nemiem otiosum esse videres. ,Apium industriarum vicus' appellabatur, omnesque in ilio alicui operi intenti erant.

Pinoculus, cum acerba fame laboraret, stipem petere vel frustulum panis emendicare statuit; quendam igitur praetereuntem adlocutus, qui duo plostella carbone onusta trahebat:

,,Fame conficior", inquit; ,,visne mihi nummulum dare?".

Respondit ille non unum, sed quinque nummulos se libenter daturum, si sibi Pinoculus in plostellis trahendis adiumento esse vellet.

Cui Pinoculus: ,,Miror", inquit, ,,te mihi huiusmodi condiciones ferre; neque asinus ego sum, neque plaustra unquam traxi".

At ille: ,,Offulam igitur superbiae tuae comede; cave tamen ne cruditate labores".

Non multo post Pinoculus baiulo cuidam occurrit corbem calcis plenam umeris gestanti, qui stipem petenti eandem condicionem tulit; sed ille operam suam item recusavit: ,,Nimis grave onus istud est; laborem ferre nolo".

Tum baiulus: ,,Si tibi est in animo", inquit, „nullum unquam laborem ferre, oscitando atque esuriendo quantumlibet delectare; quod tibi prosit!".

Tandem obviam illa muliercula venit, quae duas situlas in capite impositas gerebat.

,,Licetne paululum aquae haurire?", Pinoculus rogavit.

Cui illa: ,,Ut libet".

Largiter Pinoculus potavit ac deinde:

„Iam non sitio; esurio tamen", inquit.
At mulier: „Si usque ad meas aedes", inquit, „harum sitularum unam gestaveris, panis frustulum tibi datura sum".
Incertus Pinoculus situlas adspexit nec quicquam respondit.
„Cum panis frustulo patinam etiam Pompeianae brassicae tibi adponam, oleo atque aceto bene conditae".
Rursus Pinoculus situlam adspexit tacuitque.
„Post brassicam crustulum fuso saccharo oblitum ac suavissimo liquore repletum".
Cum Pinoculus mulierem sibi crustulum pollicentem audivit, non iam condiciones illas respuere valuit atque alacer:
„Esto", inquit; „situlam domum tuam gestabo".
At situla tam gravis erat, ut pupulus illam capiti imponere coactus sit.



Postquam domum pervenerunt, muliercula illa iussit Pinoculum ad mensam adsidere eique panem, Pompeianam brassicam, crustulum dulci liquore repletum adposuit. Non comedit Pinoculus, sed voravit; diceres illius ventrem vacuam domum esse quinque iam menses inquilinis carentem. Postquam paulatim fame cruciari desiit, tum caput erexit, ut benignae illi mulieri grates ageret; sed vix illam adspexerat, cum longum

„ohhh!" emisit. Immobilis haesit, intentis oculis, fuscinulam sublatam tenens, ore panis ac brassicae pieno.
„Quidnam tantopere miraris?", quaesivit illa.
„Quidnam?", balbutiens Pinoculus respondit; „quidnam? Id accidit, ut tu prorsus similis sis ... in mentem illam tu reducis ... certum id est, certum; eadem vox est, iidem oculi, iidem capilli; tibi quoque caerulei capilli sunt... caerulei ut illi erant. O mea aetherea puella! ... o mea aetherea puella! Die mihi te esse te; illam, ipsam illam te esse. Noli me amplius fiere. Nimis diu te deflevi, nimis aspero dolore adfectus sum!".
Haec Pinoculus cum diceret, effusius flebat genibusque subnixus illius mulierculae genua amplectebatur, quae quis esset adhuc in occulto erat.



CAPUT XXV

Primum mulier illa negavit se unam eandemque esse atque aetheream puellam caeruleis capillis, sed desiit tandem quod palam erat negare.
„Quomodo intellexisti me eandem esse atque illam?".
Tum Pinoculus: „Tantopere te diligo", inquit, „ut animus meus id mihi subiecerit".
„Meministine? Cum me liquisti, puella eram; nunc mulier

sum: brevi aethereae puellae adolescunt: nunc igitur non iam, ut ante, soror, sed mater tua futura sum".

Pollicitus est Pinoculus se illius dictis audientem semper fore; postquam vero aetherea mulier illum admonere coepit necesse esse artem aliquam discere atque ante omnia in ludum itare, primum Pinoculus obnubilata fronte obsistere conatus est, postremum denique, cum ex illius dictis sibi persuasisset nihil otio turpius esse, velle se in studia incumbere promisit.

CAPUT XXVI

Postridie eius diei Pinoculus in ludum itare coepit. Sed facile comminisci licet quid acciderit, cum illius condiscipuli pupulum aulam ingredientem viderunt. Ei, quae est pusionum contumacia, vario modo illudebant; hic pilleolum e manu eripiebat, tuniculam ille a tergo trahebat, alius vero superius eius labrum atramento illinere conabatur; quidam etiam est ausus fila illius manibus ac pedibus aptare ut eum saltantem spectaret.

Paulisper Pinoculus ea, quasi non animadvertisset, toleravit; postremum tamen, aegre iamdudum ludos illos ferens, ad eos conversus a quibus magis lacessebatur firmi ter minacique vultu:

„Cavete, pueri", inquit; „huc non ob id veni, ut vobis ludibrio essem: molestiis enim nec quemquam adficio neque ab aliis adfici patior".

„Euge, sophos, pupule!", pusiones illi clamitare coeperunt, dum in ingentes cachinnos effunduntur; cum vero illorum quidam, ceteris contumacior, summum illius nasum carpere conatus est, priusquam illum tangeret, tam validum pedis ictum a Pinoculo accepit, ut vibicem perfricans in crure livescentem: „Eheu!", eiulaverit; „quam duri sunt huius pupuli pedes!".

„At quanto gravius ferit ille cubitu!", alius exclamavit, cuius in pectus Pinoculus, ne diutius illius iocos ferret, cubitum impegerat.

Pax inter Pinoculum ceterosque ludi discipulos cito rediit; quin etiam blandiebantur ei omnes, eum omnes diligebant. Magister ipse illius diligentiam laudare solebat, quod primus in ludum ingrederetur, postremus scamnum relinqueret. Id unum tamen in illo reprehendendum erat, quod, optimus discipulus ipse, ad societatem cum deterrimis ineundam proclivior esset, frustra et magistro et matre admonentibus cavendum illi esse, ne propter huiusmodi socios in calamitatem aliquam incideret.

Quod quidem evenit.

Accidit enim ut quadam die Pinoculus, dum in ludum se confert, quibusdam ex malis illis pusionibus occurreret, qui renuntiaverunt magnum cetum ad proximum maris litus adnatavisse atque in conspectu esse.

„Ad litus nobis iter est", aiunt, „ut cetum videamus; visne nobiscum venire?".

Primum Pinoculus abnuit: velle se in ludum ire, posterius et ipsum ad cetum videndum venturum. Cum vero condiscipuli illius simplicitatem irridentes obiecissent non diu cetum iuxta litus mansurum, statuit, magistri matrisque praeceptis neglectis, illoscomitari.

Ad litus igitur currentes contenderunt, praeeunte Pinoculo, qui, cum celerius curreret, socios a se cursu vinci magnopere gloriabatur, nec sciebat miser quae calamitates sibi impenderent.



CAPUT XXVII

Ubi ad litus per ventura est, cetus nullus cernebatur. Non tulit Pinoculus se illis ludibrio fuisse, atque:
„Quid vos iuvit", inquit, „falsam istam de immani ceto historiolam commentos esse?".
Tum illi Pinoculum vituperare quod in ludo nimis diligens esset; hortari ut ludum et magistrum neglegeret; minitari, si ipsos non audivisset, poenam illum aliquando daturum. Cum vero Pinoculus ea minacia verba se contemnere dixisset, eum quidam ex illis admonuit ne nimis adroganter se efferret: unum illum esse, septem ipsos.
At Pinoculus:„Septem vos estis; et mortalia peccata septem sunt".
Quam contumeliam cum aegre illi tulissent, Pinoculo ut veniam peteret iniunxerunt; renuente ilio, atrox rixa orta est. Pugnis primum et calcibus dimicaverunt; deinde Pinoculi adversarii, cum ligneorum pedum ictus metuerent, libros, quibus in ludo utebantur, in illius caput conicere coeperunt.



At Pinoculus tam scite proiectos libros vitabat, ut illi in mare caderent; decepti pisces, qui confertim ad libros adnatabant, postquam illos nihil sapere senserunt, insolitum cibum adsper-

nati:
„Meliore cibo", aiebant, „vesci consuevimus".
Dum puerorum proelium magis magisque atrox fit, rauca vox auditur magni cuiusdam cancri, qui paulatim e mari in litus irrepserat:
„Desinite tandem, improbi pueri, tam acriter rixari; raro accidit ut ex huiusmodi rixis calamitas aliqua non exsistat".
Nihil tamen profecit; quin etiam Pinoculus ipse illum est hortatus ut lichenis pastillos sugens gravedini mederetur.
Interea Pinoculi adversarii, cum nulli iam libri illis essent, quos in Pinoculum iactarent, ipsius Pinoculi libros adripuerunt.
Magnum in illis volumen erat, quod, cum ‚Numerorum Ars' inscriptum esset, quam gravis ponderis fuerit facile intellegi potest, eo magis quod illius voluminis fasciculi, apte conligati ac conglutinati, spissiore charta contecti erant membranaceis scidulis in dorso atque in angulis munita. Puerorum illorum quidam id volumen adreptum intentis viribus in Pinoculi caput coniecit, neque tamen destinata ferire valuit, at contra alterius condiscipuli capiti volumen violenter impegit; subito ille sic expalluit, ut eius vultus loti lintei colorem ostenderit, nec quicquam aliud exclamare valuit nisi:
„O mea mater, morituro mihi cur non ades?".
Quem cum ut mortuum in litoris arena iacentem vidissent, pueri illi exterriti aufugerunt ac brevi e conspectu evanuerunt. Neque tamen Pinoculus abscessit, sed, quamquam et dolor et metus adeo illum premebant ut paene exanimatus esset, ad mare cucurrit, linteoloque in aquam merso miseri illius condiscipuli tempora frigida aqua madefacere non desinebat. Quod cum faceret, miserabiliter flebat iacentemque puerum nomine vocabat.

„Eugeni, o miser", eiulabat, „aperi oculos, obsecro, et me adspice. Cur non respondes? Non ego, scito, non ego te tam gravi ter laesi; in culpa, crede, non ego sum. Oculos aperi, Eugeni; nam si sic amplius clausis oculis iacebis ipse moriar. O mi Deus! quomodo domum rediturus sum? Quo animo in conspectum matris meae, suavissimae illius mulieris, veniam? Quidnam de me erit? Quo fugiam? Ubi delitescam? Eheu! Quanto melius fuit, o, sexcenties melius, si ad ludum iter fecissem! Cur malos condiscipulos audivi, qui tamquam pestis et calamitas mihi semper fuerunt? Atqui magister me saepe admonere solebat, et mater mea item: „Cave malos illos socios". Sed contumax ego, ... obstinata voluntate ad peiora promptus, quod ceteri hortantur auribus tantum audio, ceterum ad arbitrium meum, quicquid statui, id ago. Postea vero poenas me solvere necesse est. Ob id igitur factum est ut, ex quo ad vitam editus sum, numquam, ne horam quidem, sine curis essem. O mi Deus! Quid de me erit? De me quidnam futurum est?".

Dum his verbis Pinoculus fiere atque eiulare pergit, pugnis caput ipse suum concidit Eugeniumque nomine vocat, de improviso quosdam tacito pede appropinquare sensit.

Respexit: duos armigeros iuxta se stantes vidit.

„Quidnam agis istic, sic humi stratus?", ex Pinoculo quaesiverunt.



„Condiscipulo meo adsum".
„An animus eum reliquit?".
„Ita esse videtur".
Tum eorum alter inclinato corpore propius Eugenium inspexit ac deinde:
„Aisne eius animam defecisse?", inquit; „plagam ille in temporum altero accepit; quis eum vulneravit?".
„Non ego quidem", vix spiritum ducens Pinoculus balbutivit.
„Quisnam igitur, si non tu, illum vulneravit?".
„Non ego", Pinoculus iteravit.
„Quomodo hoc vulnus accepit?".
„Liber hic contudit illum": quod eum dixisset, Pinoculus durum illud volumen de numerorum arte e terra sublatum armigeris ostendit.
„Cuius liber hic?".
„Meus".
„Id satis est; nihil aliud est quaerendum; surge cito, ac nobiscum ambula".
„At ego ...".
„Nobiscum veni".
„At innocens ego sum".

„Ne plura; nobiscum veni".
Deinde nonnullos piscatores, qui forte cymbula vecti litus radebant, acciverunt atque:
„Hunc puerum vobis committimus", aiunt; ,,domi vestrae curandum suscipite, cras illum visuri redibimus".
Tum Pinoculum medium inter se collocaverunt atque imperiose, ut milites solent:
„Propera! Cito ambula", inquiunt, ,,ne quid gravius tibi eveniat".
Paruit Pinoculus ac, dum per semitam quae ad vicum ducit procedit, sic animo perturbatus ut quasi in somnio vivere sibi videretur, hac acerba cura potissimum premebatur, se necesse esse medium inter armigeros sub fenestris optimae matris suae praeterire. Cum vero vicum ingressuri erant, illius pilleolus subito venti impetu e capite abreptus haud procul avolavit.
,,Licetne", inquit, ,,pilleolum meum recipere?". Adnuerunt illi sed Pinoculus pilleolum e terra sublatum dentibus adripuit celerique fuga ad maris litus



contendere coepit. Tum armigeri Molossum canem, cui Alidorus nomen erat, canum omnium celerrimum, qui in omnibus canum certaminibus victor discesserat, in illum excitaverunt. Celeriter Pinoculus currebat, celerius Alidorus. E

fenestris popellus certamen illud spectabat, videndi cupidus qui exitus esset futurus; sec spes illos fefellit, nam pulveris globus a currentibus excitatus nihil ultra proximum viae tractum prospicere sinebat.

CAPUT XXVIII

Jam Alidorus Pinoculum adsecuturus erat; iam pupulus cruribus suis propius anhelantem canem sentiebat nullamque viam salutis sibi superesse arbitrabatur; sed ei fortuna praeter spem favit; nam, cum litus proximum esset, celeri saltu in maris aquas aptius quam ranunculus insiluit. Frustra Alidorus cursus impetum cohibere conatus est; nam ipsa currendi vi raptus consistere nequivit atque invitus in medias aquas concidit. Nec miser ille natandi peritus erat.

Procul dubio submersus periturus erat, nisi Pinoculus, misericordia motus, illum suppliciter ut sibi subveniret orantem, adrepta cauda, incolumem, quamvis ventre maris aqua inflato, ad litus duxisset atque in arida arena deposuisset.

Ratus tamen Pinoculus prudentia uti oportere, rursus in aquas insiluit.

„ Vale, Alidore", inquit.

„Et tu vale, mi Pinocule", canis ille respondit; „a morte me liberavisti: non immemor ero. In his terris quicquid bene fit, in beneficii auctorem redundat".

Nabat Pinoculus neque tamen longius a litore discedebat, donec in tutum se pervenisse ratus est; specum enim inter litoris saxa conspexerat, cuius e vertice altissimus fumi tractus evolvebatur speluncam tamquam crista supereminens.

„In illo specu", secum cogitavit, „ignem certo inveniam. Optimum id est; habebo quomodo corpus detergeam ac refoveam. Quidnam postea? ... Postea id eveniat quod

eventurum est".
Quod ubi constituit, ad scopulosum litus nando accessit; sed vix per saxa eniti coeperat, cum sensit nescio quid sub aqua paulatim ascendere ac se una sursum trahi. Sero fugere est conatus, namque summo cum stupore ingenti quodam reti se circumvolutum vidit, circumque magnam piscium multitudinem in unum coactam caudas iactantium, palpitantium, dissilientium, tamquam turbam miseram omni spe destitutam.
Piscatorem ipsum eodem tempore e specu exeuntem adspexit, tam deformi facie hominem, ut portentosam maris belluam potius quam hominem illum diceres. Capillorum instar spissa herbae seges illius in capite horrebat; viridis tota cutis erat, viridis oculi, viridis barba ipsa atque ita promissa, ut ubi desineret haud facile discerneretur. Speciem lacertae magnae referebat posterioribus cruribus erecto corpore stantis.



Postquam piscator rete e mari extraxit, laetitia exsultans: „Euge!", inquit, „ut benigna Dei providentia mihi adfuit!

Hodie quoque ventrem meum usque ad satietatem implebo".

Quibus verbis auditis, Pinoculus ex magno timore paulum recreatus:

„Bene est", inquit, „quod nullus piscis ego sum".

Rete piscator traxit intro: piscium plenum erat. In obscuro illo ac fumoso specu magna patella in medio posita effervescente oleo stridebat ac tam graviter, velut sordidus lychnus, olebat, ut animam paene intercluderet. Tum piscator manum, qua non amplior pistoni pala esse potest, in rete iniecit, atque:

„Videamus", inquit, „pisces hi, quos cepimus, cuius generis sint".

Cum igitur manum mullorum plenam inde retraxisset:

„Gustatu quam suaves", inquit, „hi mulli erunt!".

Postquam eos pisces inspexit ac sibi gratulatus olfecit, in fictilem quendam alveum aqua carentem coniecit. Quod quidem semel atque iterum fecit; atque, dum ceteros pisces e reti extrahit, laetus nec sine quadam gutturis titillatione:

„Suaves", aiebat, „hi aselli!".

„Suavissimi hi mugiles!".

„Nihil his soleis exquisitius!".

„Optimi hi araneoli!".

„O, res mira atque iucunda! aphyae hae capite non carent".

Sic omnes pisces, ut facile suspicari licet, alius post alium in alveum permixtim coniecti sunt, ut cum mullis societatem inirent.

Omnium postremus Pinoculus in reti manserat; quem ubi primum piscator extractum sustulit, magnis illis ac viridibus oculis summum ob stuporem patefactis, quasi

metu captus, exclamavit:
„Quod genus piscis hoc est? numquam me huius generis piscem comedisse memini".
Postquam vero illum attentius ac quoquoversus volutatum observavit: „Intellego", inquit, „marinus cancer hic est".
Indignabundus Pinoculus, in contumeliam vertens quod se piscator marinum cancrum esse putaret:



„Mene marinum cancrum esse!", inquit; „vide ne nimis insolenter mecum agas; me scito pupulum esse'
Cui ille: „PupuIusne es?", inquit; „fateor: numquam usque adhuc piscem-pupulum nominari audivi. Juvat me istud; libentius enim te comedam".
„Tene me comedere velie ais? Visne scire, annon, me nullum piscem esse? Nonne audis me, haud aliter ac tu facis, et loquentem et ratiocinantem?".
Tum piscator: „Vera loqueris", inquit; „cum igitur id tibi contigerit, ut piscis esses ratione atque oratione, ut et ipse, praeditus, tecum ut decet agere statui".
„Quemnam respectum ad me habere cogitas?".
„Hoc tibi amicitiae et singularis observantiae indicium erit: ea facultas tibi dabitur, ut ipse eligas quomodo coqui


velis, sive oleo in patella frigi mavis, sive in figulino caccabo coqui Iycopersici iure immixtus".
„Vera loquor", Pinoculus ait; „quoniam mihi eligendi facultas data est, liber esse et domum meam reverti malo".
Cui piscator: „Nugae sunt! Iocaris. An credis me hanc occasionem praetermissurum, quin gustu experiar piscis-pupulus quid sapiat? Perraro accidit ut piscis-pupulus in his maribus inveniatur; rem mihi remitte, nec te paenitebit. In patella te cum ceteris piscibus frigere statui; solacium est cum pluribus sociis in patella coqui".
Tum Pinoculus queri, se incusare quod malos illos condiscipulos audivisset; supplex piscatorem ut sibi parceret orare. Nihil profuit; piscator illum, ut anguillam micantem, manibus ac pedibus ne effugeret conligatis, in alveum proiecit. Coepit deinde pisces prius in patula lance ex ligno confecta ac farina repleta strenue volutatos in patellam frigendos conicere; post omnes Pinoculum adripuit, quinquies vel sexies in farina et illum volutavit, deinde, correpto capite...

CAPUT XXIX

Iam piscator Pinoculum in patellam coniecturus erat, cum canem magnum adspexit in specum intrantem, qui acuto ilio odore adlectus eo inhians pervenerat.
„Apage te", iussit, ac calce illum petere conatus est. Tum flebilis vocula in specu auditur:
„Mihi succurre, Alidore, obsecro, ne frigendus in patellam proiectus misere pereaml".
Statim Alidorus Pinoculi vocem agnovit; nec mora: celeri saltu pupulum farina involutum adripuit ac fulgure celerius e specu evasit. Furens piscator, quod tam exquisitum cibum sibi eripi vidisset, canem insequi coepit; sed tam acerbae tussis impetu

correptus est, ut in specum reverti sit coactus.
Pinoculus grates quam maximas cani illii optimo egit, qui:
,,Nihil est opus gratiis", inquit; ,,tu me servasti, ego te; nullum datum beneficium non redditur: ea lege in his terris vivimus, ut alter alteri prosit".
Deinde, cum Pinoculus ex eo quaesivisset quid illum ad specum perduxisset, narravit sibi semianimo in litore iacenti suavem frictorum piscium odorem ad nares adlatum esse; fame excitatum eo se cucurrisse, unde odor ille proveniret.
Horruit Pinoculus illud sibi fingens, quidnam sibi eventurum fuerit, si canis vel minimo serius ad specum pervenisset, manuque dextera dexterum servatoris sui pediculum adreptum compressit. Deinde Alidorus discessit.
Prima Pinoculi cura ea fuit, ut certior fieret num Eugenius adhuc viveret an mortuus esset, magnaque eum laetitia cepit cum seniculus quidam bene illum valere domumque suam redisse respondisset. Ac deinde:
„Quis illum vulneravit?", percontatus est.
,,Pinoculus quidam, unus ex eius condiscipulis".
Tum Pinoculus, totius rei se nescium esse simulans:
,,At Pinoculus iste, de quo loqueris, quisnam est?", inquit.
Cum seniculus ille malum ac nequam pusionem Pinoculum esse respondisset, primum eam de se opinionem ut falsam refellere ac de suis ipsius virtutibus praedicare conatus est; cum vero animadvertisset nasum sibi in longitudinem crescere, malos Pinoculi mores et ipse incusare coepit. Tum nasus in pristinam formam rediit.
Ut vero seniculi curiositatem expleret scire cupientis quis illum sic dealbasset, ne palam faceret quid sibi in piscatoris specu accidisset, respondit imprudentem se ad nuper dealbatum parietem corpus attrivisse.
,,At cur nulla tunica et sine pilleolo ambulas", quaesivit ille.
„In latrones incidi", inquit;,,me Mi despoliaverunt".

Seniculum deinde oravit ut aliquam vestem sibi daret. Cum ille vacuum sacculum, quo ad lupinos servandos utebatur, ei porrexisset nec quicquam aliud ad id aptum sibi esse fateretur, Pinoculus forficibus foramen unum in fundo ac duo in lateribus fecit eaque tunicula indutus ad vicum iter facere coepit.
Dum iter facit, multa in animo agitabat, dubius quomodo se aetherea mulier esset acceptura; non enim sperandum erat fore ut illa ipsi ignosceret. Cum vicum est ingressus, magnus imber violenter effundebatur. Ad aethereae mulieris aedes accessit atque paulisper cunctatus fores pulsavit. Post longum temporis intervallum cochleam tandem adspexit caput, in quo lampadula posita erat, e fenestra exserentem.



„Quisnam tam sero adest?", rogavit illa. „Scire velim", Pinoculus inquit, „num harum aedium domina intus sit".

„Domina dormit, neque eam excitare licet; at tu quisnam es?".
„Ego sum".
„,Ego' ain?".
„Utique: Pinoculus sum".
„Quis est Pinoculus?".
„Pupulus ille qui dominae tuae aedes habitat".
„Intellego; mane istic, statim descendam ut ostium aperiam".
„Propera, obsecro; nam frigore brevi periturus sum".
„Cochlea sum, mi puer; numquam cochleae properant".
Horae duae praeterierant neque adhuc janua aperiebatur. Tum Pinoculus, qui toto corpore tremebat, imbre, frigore, metu madidaque veste extenuatus iterum ac vehementius fores pulsavit. Tum cochlea ex inferioris tabulati fenestra caput, ut ante, protulit.
„O, mea cochlea, o cochlea pulchella", Pinoculus e via exclamavit; „iam duas horas te exspecto; duae horae hac perfrigida tempestate duobus annis longiores sunt. Propera, obsecro".
E fenestra locuta lenta illa atque admodum quieta bestiola:
„Cochlea sum, mi puer", inquit;„numquam cochleae festinare didicerunt".
Fenestra clauditur; horae cedunt; aes sacrum mediani noctem nuntiat. Hora altera praeterit, alia deinde nec ostium unquam patefit. Tum Pinoculus, cuius patientiae fines mora illa transierat, rabide aeneum malleum ianuae adripuit ac tam vehementi ictu fores percussurus erat, ut aedes totae resonando tremerent. At, res mira! malleus ex improviso in viventem anguillam mutatus est, quae quidem ex ipsius manibus elapsa in rivulum iuxta viam

fluentem demersa delituit.
„Siccine?", Pinoculus exclamavit ac magis magisque ira furens: „si malleus evanuit", inquit, „quid mea refert? calcibus ostium pulsare numquam desinam".
Statimque, cum paululum recessisset, tam vehementi ictu pedem in fores impegit, ut pes effracto ligno penetraverit intro; quem cum inde extrahere conisus est, quamquam summis viribus id efficere est conatus, nihil profecit; firmius enim pes in ligno inhaeserat, quam si clavus esset malleo repercussus.



Quae miseri illius Pinoculi condicio fuerit facile, lector, tibi fingere potes, cuius per totam noctem pes alter in terra insistebat, sublatus alter foribus infixus erat. Primo mane tandem ianua patefacta est. Alacris cochlea novem horas consumpserat ut a summo tabulato ad aedium ianuam descenderet. Desudasse illam fatendum est.
„Quidnam agis istic?", ridens quaesivit, „sic pede in ianua infixo?".
„Male mihi evenit; at vide, cochlea pulcra, num me ex

hoc supplicio liberare valeas".
„Fabri lignarii id est opus, puer; nec ego unquam fabri artem didici".
„Meo nomine tamen aethercam mulierem exora ut...".
„Dormit illa ac se e somno excitari vetuit".
„Quidnam faciam igitur diem totum huic ianuae infixus?".
„Praetereuntes formicas enumera; delectationem aliquam hoc opus habet".
„Id saltem cura, ut aliquid quod comedam mihi adferatur; nam fame conficior".
„Cito id fiet", cochlea inquit.
Post tres horas ac dimidiam redeuntem illam Pinoculus vidit; argenteam lancem in capite gerebat: in lance paniculus erat, assatus insuper pullus gallinaceus ac poma Armeniaca duo.
„Hoc ientaculum", inquit, „aetherea mulier tibi apponi iussit".
Eam cibi copiam cum adspexisset, magna laetitia Pinoculus adfectus est; at quo animo ille spe destitutus animadvertit panem ex gypso confectum esse, ex spissa charta pullum, Armeniaca mala vero merum alabastrum esse naturali pomorum colore illitum!
Flens igitur atque in extremam desperationem adductus lancem fictosque illos cibos procul a se proiecturus erat; sed magno illo dolore domitus vel fame ac languore confectus deficiente animo humi resupinus cecidit.
Paulo post experrectus sensit se in molli grabatulo iacere, aethereamque mulierem sibi adsidentem adspexit.
„Nunc etiam", inquit illa, „tibi ignosco; vae tamen tibi si quid aliud huiusmodi, ut tuus est mos, ausus eris".
Pinoculus iure iurando pollicitus est fore ut litteras dili-

genter disceret eumque se futurum, qualem puerum optimum esse decet.
Totum igitur per annum quod promiserat praestitit: nam scholastico anno exacto omnium primus periculum superavit eiusque mores communi iudicio tanta laude digni fuerunt, ut aetherea mulier summopere gaudens sic illum adlocuta sit:
„Quod iamdiu optasti, cras eveniet".
„Quidnam?".
„Cras pupulus esse desines, nec iam pupulus eris, sed adulescentulus, ut ceteri illi sunt quibuscum versaris, tandem fies".
Quanta laetitia Pinoculus adfectus sit cum hunc nuntium audivisset, nemo, nisi ipse conspexerit, sibi fingere potest. Tum aetherea illa mulier statuit ut Pinoculus amicos et condiscipulos omnes domum vocaret, ut faustum illum diem festum agerent iussitque ducenta pocilla parari ad Arabicum sucum immixto lacte excipiendum apta, quadringentos insuper paniculos ita dimidiatos, ut interiores exteriores que facies butyro illitae essent. Spes magna erat fore ut crastinus dies pulcher laetusque illucesceret, sed ... Id mala sorte evenit, ut in pupulorum vitam „sed" aliquod incidat, quod omnia conturbet atque in peius ruere cogat.

CAPUT XXX

Ab aetherea muliere Pinoculus petivit ut sibi liceret ad amicos vocandos exire; adnuit illa id unum praecipiens, ut ante solis occasum rediret. Hora una non praeterierat, atque omnes amici vocati sunt. Unum Stuppeolum, condiscipulorum carissimum, Pinoculus domi non invenit. Quis Stuppeolus fuerit dicendum est. Romaeus ei nomen erat, sed, cum tam sicco atque exili cor-

pore esset, ut ellychnii imaginem redderet, illius videlicet stuppei linamenti quod in nocturnas lampadas inicere solemus, Stuppeolus ab omnibus appellabatur.

Eo puero neglegentior discipulus nemo unquam fuit aut nequior: Pinoculus tamen illum mirifice diligebat; cum vero frustra bis terque domi eum quaesivisset, in agris tandem invenit in rusticae domus porticu latentem.



„Quid agis istic?", Pinoculus rogavit.

„Media nocte profecturus sum".

„Huc veni te ad ientaculum vocaturus quod crastino die domi meae apponetur; opiparum erit, cras enim pupulus esse desinavi".

„Quod tibiprosit".

„ Venturusne es?".

„Dixi tibi me hac nocte profecturum esse".

„Quonam?.

„In id oppidulum proficiscar, quo nullum in orbe terrarum pulcrius potest esse".

„Quod nomen istius oppiduli est?".

„‚Otii ac deliciarum plaga' appellatur; nullus ibi litterarum ludus, nulli magistri sunt, nulli libri. Numquam in oppidulo illo pueri in studia incumbunt; dies omnes feriali sunt. Nihil est quod mihi magis probetur; sic ubique pueros vivere oportuit".

,,At quomodo tempus ibi teritur?".
„Omnes ibi cum ceteris pueris ludis atque iocis se oblectant. Vespere dormitum itur; posteriore die a primo mane eadem vita rursus incipit. Quidnam tibi videtur? Cur non et ipse mecum proficisceris?".
„Id praestare volo, quod aethereae mulieri promisi; dies nunc declinare coepit, me domum ante noctem redire oportet".
„Cur ita properas?".
,,Ne aetherea mulier me obiurget".
„Sine illam clamitare; cum clamitando fessa erit, tacebit".
,,Dic mihi", Pinoculus rogavit; ,,solusne proficisceris, an alii te comitabuntur?".
„Solusne ego ? Minime. Centum pueri vel plures mecum profecturi sunt; media nocte mira quaedam carruca, quae eo iter facit, hac via transibit; ea carruca vedi in beatissimum illum angulum orbis terrarum perveniemus".
„Libenter vos proficiscentes adspiciam; at sero est, quamquam ... numquam in oppidulo illo fui; cum tamen quam pulcrum sit considero, id mihi salivam movere fateor".
Jamdudum noctis tenebrae descenderant; dum colloquuntur, igniculum procul lucentem discernere coeperunt; audiebatur etiam tenuis tintinnabulorum crepitus tam leviter sonans, ut volantem culicem diceres.
„En carruca advenit", Stuppeolus exclamavit; „visne igitur nobiscum venire?".
Tum Pinoculus: ,,Dic mihi vere, numquamne pueri oppidulo in illo in studia incumbunt?". ,,Numquam, aio; numquam!" „O, quam belle ibi vivitur; quam belle!".



CAPUT XXXI

Carruca tandem apparuit, neque advenientem illam quisquam audivit, nam eius rotae stuppeis ligamentis ac pannulis obvolutae nullum strepitum edebant. Duodecim eam asellorum iuga trahebant, qui eadem statura erant, colore diverso; cinereos pilos alii gerebant, alii albos, eo colore alii, ut si quis sal pipere inspersisset; aliorum vero pellem croceae vel caeruleae fasciae distinguebant.

Mirum in illis ac singulare hoc erat, quod eorum, quotquot erant, crura non in ungulas desinebant, sed pro ungulis ferro munitis pedes ostendebant calceis indutos ex tenui corio confectis.

Quisnam eam carrucam agebat? Homullum fingite statura brevem, corpore pinguem, tam molli ac tenera cute, ut butyri globuli speciem prae se ferret, facie blandidula, ac rosei mali prorsus simili. Rotundum erat os perpetuumque ridens; vox autem tenuis ac melliflua, qualem feles emittere adsolet, cum dominae animum vult captare.

Pueri omnes, ubi primum illum viderant, certatim in car-

rucam inscendere conabantur, ut in illam vere beatam sedem veherentur, quae in orbis terrarum descriptione ‚Otii ac deliciarum plaga' appellatur.
Carruca enim pueris referta erat, quorum aetas nec minor octo annis erat nec duodecim maior, tam ibi stipatis, ut maiore spatio aphyae in salsamentis utantur. Incommode sedebant, premebantur undique, vix in ea turba spiritum ducere poterant, neque tamen querebantur; nemo vel minimum „eheu!" edebat. Magno solacio illis spes erat paucis se horis eo venturos, ubi nulli libri essent, nullus litterarum ludus, nulli magistri, tantamque laetitiam ea spes adferebat, ut neque itineris lassitudine nec fame nec siti nec somno cruciarentur.
Vix carruca constiterat, cum homullus ille qui aurigae munere fungebatur, admodum benignis modis suavique vultu Stuppeolum adlocutus:
„Dic mihi, pulchelle", inquit, „visne in beatum illud oppidulum vehi?".
„Cur non?", Stuppeolus respondit; „illuc quidem venire cupio".
„Scito tamen nullum iam locum tibi in carruca esse; stipata est illa, ut cernis".
Cui ille: „Quid mea refert? Si nullus locus intus est, in temonibus insidens iter faciam".
Nec mora; in temones insiluit ibique pendentibus cruribus sedit. Tum homuncio ille iisdem blanditiis ad Pinoculum conversus:
„Quidnam tu, mea vita?", inquit; „nobiscum venire statuisti an manere?".
„Hic manere statui", respondit ille; „domum meam rediturus sum. Id mihi est in animo, in studia incumbere atque in ludo inter diligentiores discipulos eminere; sic

enim a bene moratis pueris ubique fit".
„Quod tibi prosit".
Tum Stuppeolus: „Audi me, Pinocule, nobiscum veni; in summa laetitia vivemus".
„Minime, aio; minime".
Tum quattuor ex illis qui in carruca erant clamitare coeperunt:
„Nobiscum veni; hilares erimus".
Centum puerorum voces ex referta illa carruca eadem verba iteraverunt. Tum Pinoculus, cuius dubius animus iam labare coeperat:
„At si vobiscum venero", inquit, „quidnam aetherea illa mulier, mulierum omnium optima, dictura est?".
„Quanam inani tristitia adfectus es? Mitte curas istas; id unum tibi considerandum est: eo nos venturi sumus, ubi a primo mane ad vesperum nos delectare licebit ac ludis iocisque tempus terere".
Nihil Pinoculus ad haec; sed suspirium duxit, deinde alterum, tertium denique; ac tandem:
„Locum mihi vel minimum facite", inquit, „et ipse venturus sum".
At homullus: „Nullum sedile", inquit, „in carruca vacat; ut tamen meam erga te voluntatem ostendam, locum meum in sella tibi cedere paratus sum".
„Ac tu? Quomodo iter facies?".
„Pedibus ipse incedam".
„Non patiar id", Pinoculus exclamavit; „in dorsum alicuius horum asellorum insilire malo".
Dicto citius ad asellum accessit qui in primo iugo dexterum locum obtinebat eumque insilire parabat, cum ille tam subito impetu rostrum in Pinoculi pectus impegit, ut abiectus pupulus elatis cruribus in terram ceciderit. Quo

immodico ac petulanti risu pueri omnes qui aderant rem spectaverint, quivis sibi fingere potest. Neque tamen homullus ipse risit; quin etiam benigno ore ad contumacem asellum accessit atque velie se illum osculari simulans mordicus dimidiam auriculam abscidit. Pinoculus vero, ubi primum ira furens surrexit, celeri saltu in aselli dorsum insiluit; idque tam belle fecit, ut pueri illi risum edere desierint atque maximo clamore et plausu: „Bene sit Pinoculo! Euge!" iterare coeperint.
Sed ex improviso asellus sublatis cruribus atque incurvato dorso in glareae tumulum iuxta viam positum miserum illum pupulum proiecit.



Tum iterum magnus puerorum visus erupit; sed homullus, postquam morsu alterata aselli auriculam abscidit, Pinoculum illius dorsum sine ullo metu insilire iussit.
„Nescio quid illum", inquit, „morosum reddiderat; at quae verba ego eius in aurem insusurravi eam vim habent, ut ille in posterum facilis sit et mansuetus".
Asellum Pinoculus insilit; carruca movetur.
Dum aselli celeriter procedunt, voculam Pinoculus audivit submisse dicentem:
„Paenitebit te, stulte; male pueris illis evenit, qui litterarum studia neglegunt ac ludum magistrumque oderunt; re expertus id bene novi. Tu quoque aliquando, ut nunc ipse fleo, flebis,

miser; sera tamen paenitentia erit".

Pavore captus Pinoculus desiluit ac magno cum stupore animadvertit asellum sic fiere ut pueri solent. Homullum igitur adlocutus:

„Dic mihi", inquit, „mirum id est! Asellus hic lacrimas effundit".

„Sine illum fiere, nuptiarum die ridebit; at frigida nox est ac longum iter conficiendum: tempus nos terere non oportet ut lacrimantem asellum conspiciamus. Agedum, asellum iterum conscende!".

Paruit Pinoculus; celeriter carruca procedere coepit ac primo mane ad , Otii ac deliciarum plagam ' perventum est.

Hoc oppidulum a ceteris omnibus orbis terrarum oppidulis differebat. Puerorum multitudine incolebatur, quorum maximi natu quintum decimum annum agebant, minimi nonum. Viae omnes laeto clamore personabant; is erat vociferantium tumultus, ut timendum esset ne quis ob strepitum in insaniam incideret. Pusionum catervae ubique vel nucibus vel pila vel latis lapidum fragminibus iactandis se delectabant; hunc birota vehi videres, illum ligneum caballum equitantem; alii muscam aeneam captare conabantur, alii se invicem deprensuri insequebantur, scurrili vestitu alii incensam stuppam comedebant. Scaenicum actorem hic agebat, cantorem ille. Erant etiam qui audaci saltu circumvoluta corpora in altum iactarent vel humi manibus nisi, capite deorsum deiecto sublatisque cruribus, magna cum hilaritate incederent. Trochum agebant alii, alii vero imperatorum paludamentis induti galeas foliis consutas in capite gerebant gladiis a latere pendentibus ex spissa charta confectis.

Varius undique strepitus edebatur puerorum vel ridentium vel clamitantium vel manibus plaudentium vel sibi-

lantium vel vocem illam imitantium quam gallinae emittere solent, ovum cum pepererunt. Ne plura: adeo illic omnes quasi in diabolorum turba tumultuabantur, ut aures, ne forte laederentur, lanugine obturare opus esset. Nulla platea erat ubi non aliqua aedicula surgeret theatri instar ex tela confecta, eoque a mane ad vesperum magna puerorum multitudo conveniebat. Muros tituli pulcherrimi carbone inscripti exornabant, huius generis: „periat numerum artem" („pereat ars numerorum") similesque emendati sermonis flores.

Pinoculus atque Stuppeolus, ubi primum in oppidulum pervenerunt, statim se in tumultuosam puerorum turbam immiscuerunt ac brevi, id quod facile conicias, omnium amici facti sunt. Nec unquam Pinoculus, quotienscumque Stuppeolo occurrerat, vitam illam beatissimam laudibus extollere desinebat, neque Stuppeolus in eo gloriari, quod tam bonum consilium illi impertisset.



Quinque iam menses peracti erant ex quo Pinoculus in tanta laetitia vivere coeperat, cum quodam die aliquid necopinatum accidit quod hilarem illius animum summa aegritudine adfecit.

CAPUT XXXII

Cum enim primo mane e somno experrectus caput sibi scalpere, ut illius mos erat, coepit, obstupefactus animadvertit aures suas, quae prius tam pusillae erant ut vix cernerentur, adeo noctu crevisse, ut palustres peniculos illas diceres. Speculum in quo faciem suam inspiceret nullum erat; catillum



igitur, in quo manus sibi abluere solebat, implevit aqua suamque ipsius imaginem reflexam spectavit. At quidnam ibi vidit, miseri Duas magnificas asininas aures ipsius vultum ex utraque parte exornare. Vix opprobrium illud ferens eiulare coepit atque caput in parietem impingere; quo strepitu audito Alpinus quidam mus, qui superius tabulatum incolebat, Pinoculi cubiculum ingressus ex eo quaesivit cur ita fureret.
,,Aegroto", Pinoculus inquit, ,,ac graviter; eoque morbo adfectus sum qui magnum mihi inicit timorem. Visne, oro, si paululum es huius rei peritus, micantem venam premendo num febri laborem cognoscere?".
Mus venam pressit ac deinde: ,,Piget me", inquit, ,,id tibi renuntiare".
„Quidnam?".
,,Febrim habes eamque malam".
„Quam febrim, obsecro?".

„Asininam".
„Id quid sibi vult?".
„Dicam: antequam duae vel tres horae praeterierint, tu neque pupulus eris nec adulescentulus, sed asinus, asellis iis prorsus similis qui mane olera in forum vehunt".
Tum Pinoculus furentis similis obstrepere, asininas aures manibus trahere, Stuppeolum vehementer incusare, qui sibi ut ludum neglegeret persuasisset, leniter Alpino mure admonente numquam evenisse ut pueri, quos librorum, magistrorum, studiorum taederet, non ad hunc exitum adducerentur.
Cui Pinoculus: „Iure id patior", inquit, „qui aethercam mulierem relinquere sustinuerim, quod numquam ausus essem, si ulla in me pietas fuisset. At si Stuppeolum convenero, vae illi! asperrimis eum contumeliis obruam".
Cum exiturus esset, meminit asininas aures sibi esse, quas ne omnibus ostenderet, linteo pilleolo celavit usque ad summum nasum demisso.



Domo egressus est atque, ut Stuppeolum conveniret, illum per oppidulum omne quaesivit, per vias, per plateas, in aediculis scaenicis, ubique, neque usquam invenit. Omnes, quibus obviam venerat, rogavit num illum forte vidissent; at nemo illi occurrerat. Domi igitur illum convenire statuit. Januam pulsavit vocemque Stuppeoli audivit rogantis intus:
„Quisnam est?".

„Ego sum", Pinoculus respondit.
„Paulisper exspecta; ostium modo aperiam".
Post horae dimidium ianua patefit. Quo stupore Pinoculus correptus est, cum cubiculum ingressus Stuppeolum vidit magno linteo pilleolo caput usque ad summum nasum et ipsum tegentem! Quod quidem Pinoculo quodam modo solacio fuit, cum secum ipse cogitaret:
„Quid est hoc? An quo morbo ipse laboro, laboret et ille? an febrim asininam habeat?".
Tum simulans nihil novi se in illo animadvertisse, ridens: „Quomodo vales?", inquit.
„Optime, ut mus in Parmensi caseo".
„Verane loqueris?".
„Cur tibi mentiar?".
„Veniam dabis quaerenti; at cur linteo pilleolo aures totas obtexisti?".



„Medicus id praecepit, nam genu hoc imprudens laesi; at tu, cur aures tuas eodem modo abscondisti?".
„Et mihi id medicus praecepit; pedis remedium est, cuius cutis est abrasa".
„Heu! te miserum, Pinocule!".

„Heu! te miserum, Stuppeole!".
Longa mora insecuta est; silebant ambo, dum alter alterum irridenti ore intuetur. Tum Pinoculus melliflua voce, quam e tibia emissam crederes, sic amicum suum est adlocutus:
„Indulge, precor, mi Stuppeole, curiositati meae; laboravistine unquam ex auribus?".
„Numquam ego; ac tu?".
„Numquam; fateor tamen auricularum alteram a primo mane nescio quo dolore, eoque acerbo, adfectam esse".
„Idem mihi evenit".
„An tibi quoque id evenit? Die mihi, quaeso: utra auricula dolet?".
„Utraque dolet. Ac tibi?".
„Utraque; timeo ne eodem morbo forte laboremus".
„Et ipse id timeo".
„Visne mihi, Stuppeole, morem gerere?".
„Quicquid cupis, libenter id facere paratus sum".
„Aures tuas ostende mihi".
„Cur non? Ea lege tamen, ut prior ego, dilectissime Pinocule, aures tuas adspiciam".
„Tu prior aures ostendas oportet".
„Minime; tu prior, posterior ego".
„Agedum: vide si id nobiscum, ut inter amicos fieri decet, convenire possit".
„Quid afferas audio".
„Paciscamur igitur ut eodem puncto temporis pilleolum auferamus; an convenit?".
„Convenit".
Tum Pinoculus:
„Attende, igitur", inquit, atque elata voce tempus dimetiri coepit:

„Primum! Alterum! Tertium!".

Vixdum „tertium" Pinoculus pronuntiaverat, puer uterque adreptum pilleolum in altum proiecit.

Quid tum evenerit vix credibile fortasse videbitur; vera tamen narraturus sum. Postquam Pinoculus atque Stuppeolus in eandem se calamitatem incidisse senserunt, tantum afuit ut illos aut verecundia aliqua aut maeror opprimeret, ut etiam alter alterius aures immodicas factas digitis monstrare coeperit. Postquam multa et insulse et inepte fecerunt, cachinnatio magna ex illorum ore erupit. Diu riserunt illi ac tam effuse, ut, ne ridendo dirumperentur, ventrem manibus compescere sint coacti. At ex improviso Stuppeolus siluit mutatoque colore ac pedibus labantibus:

„Succurre mihi, Pinocule", exclamavit, „Eia age! succurre!".

„Quidnam fit?".

„Hei mihi! Crura me sustinere desierunt".

„Me quoque", Pinoculus, dum et ipse labat, flens exclamavit.

Dum ita colloquuntur, inclinato corpore pronus fit uterque; pedibus igitur ac manibus insistentes per cubiculum totum perreptare ac currere incipiunt. Illorum bracchia interea in asinina crura abeunt, vultus longiores facti in rostra; ex utriusque dorso ravi pili, nigris pilis immixti, emittuntur, succrescunt, cutem totam convestiunt. Quid tamen tristius illis fuerit si, lector, scire velis, tum maxime illos puduit, cum caudam pone sibi enasci senserunt. Animis igitur ob illam ignominiam acerbe adflictis sortem illam suam deflere conati sunt. Quod utinam numquam fecissent! Nullos gemitus, nullas querelas sed asininam tantum vocem edere poterant. Rudebant illi

clamore magno atque ja ja ex ore emittebant voce una.
Tum quidam ianuam pulsavit iussitque:
„Ostium quam celerrime aperite; homullus quem bene nostis ego sum, auriga ille qui vos in hoc oppidulum vexit. Vae vobis, nisi ostium statim patefeceritis!".

CAPUT XXXIII

Cum nemo ostium patefecisset, magno ille calcis ictu ianuam effregit asellosque prius laudatos quod tam bellos ruditus edidissent ac strigili sic subrasos ut tamquam speculi facies lucerent, rostris capistro aptato, ad asinarium forum duxit. Stuppeolum agricola emit, cuius asinus pridie emortuus erat, Pinoculum vero magister quidam scurrarum ac desultorum, ut illum saltare doceret.
Hoc erat enim turpis huius homulli lucri genus: carrucam agens peragrabat totum orbem terrarum puerisque, quos ludi adsiduitatis taederet, blanditiis ac voce melliflua suadebat ut in ‚Otii ac deliciarum plagam' ducerentur; eosdem in asinos mutatos in foro vendebat. Tantum lucri ex ea re faciebat, ut paucis annis magnam nummorum vim congesserit.
Asellus factus Pinoculus duro sub domino ea omnia passus est, quae asini tolerare solent, atque ex quo primum in stabulum est deductus, feno ac palea pro cibo uti adsuevit. Cum enim eum cibum aspernatus queri coepisset, quod paleam eius stomachum concoquere nequiret, ac fenum id efficeret, ut graviter ex intestinis laboraret, dominus succensuit illi atque:
„Quidnam poscis?", inquit; „num me oportebit tibi, asinus cum sis, pullorum pectora edenda apponere aut capones bene fartos?".
Necessitate igitur coactus, saepe magistri scutica insonante ìlliusque dorsum verberante, didicit miser et trans orbes saltu

transire et rostro chartacea dolia perfringere et corpus ad numerum vel Germanorum vel Polonorum more movere posterioribus cruribus innixus.

Tribus mensibus exactis ex quo magister Pinoculum eam artem docere coeperat, multicolores tabulae per compita omnia muris adfixae futurum hoc spectaculum promulgabant:

HODIE VESPERI
EGREGIUM ATQUE APPARATISSIMUM
SPECTACULUM
CUM FUNAMBULI OMNES UTRIUSQUE SEXUS
TUM EQUI UNIVERSI
SALTANDO ET ARTIFICIIS MIRIS
CONSUETAM IPSORUM PERITIAM EXHIBEBUNT
ATQUE INSUPER ASELLUS
PINOCULUS
CUI ARTIS SALTANDI STELLA
COGNOMEN ADDITUM EST
HODIE PRIMUM IN PUBLICUM PRODIBIT.
E THEATRI LAMPADIBUS DIURNUM EDETUR
LUMEN

Tam effusa multitudo, id quod facile conici potest, eo convenerat, ut multo ante quam spectaculo initium daretur, theatrum totum stipatum sit. Frustra quis quaereret vel magno pretio oblato sedile unum occupare vel inter molliora subsellia, vel in primis ordinibus, vel in aliquo ex secretis illis spectaculis, quae in altis theatri parietibus inaedificata caveam prospectant: locus nullus erat. Theatri caveae gradus pueris, puellis, adulescentulis cuiusvis aetatis differti erant, cum anxia quaedam cupido omnes pervasisset saltantem Pinoculum, clarum illum asellum, videndi.

Postquam pars prior spectaculi peracta est, ipse gregis scaenici dominus in publicum prodiit; qui rhetorica quadam pompa adhibita longam habuit orationem, cuius flumen ac varietas non minus putidioribus flosculis quam mendosis verbis scatebat. Grates quam maximas iis qui aderant egit, ut sibi asello que faverent oravit, docuit etiam quantum laboris sibi insumendum fuisset, ut Pinoculum in saltandi arte erudiret, qui, quamvis mira quaedam indoles ad saltandum prompta in illo esset, numquam nisi scutica cogente summum huius artis gradum esset consecutus.

Interea Pinoculus magno plausu exceptus omnium in conspectum adductus est. Mirifice exornatus erat; habenae fibulis atque bullis ex aere nitebant; ex utraque auricula flos candidus pendebat, iuba vero fimbrias exhibebat plurimis sericis vittis religatas lataque fascia medium illius dorsum cingebat ex auro argentoque confecta; ipsius caudae pili puniceis atque caeruleis taeniolis redimiti erant. Venustiorem asellum nemo unquam viderat.

Magister Pinoculum adlocutus:

„Agedum, Pinocule", inquit, „antequam artem tuam ostendere incipias, eximiam hanc spectantium multitudinem salvere iube, hos equites, has matronas, hos adulescentulos".

Obsequens Pinoculus, submissis genibus inclinatoque corpore, spectatores reverenter salutavit ac tamdiu sic cernuus mansit, donec magister scuticam agitans:

„Lento gradu", iussit.

Tum asellus surgere, quattuor cruribus consistere, tardus ac pedetemptim in theatri area incedere.

Paulo post magister:

„Tolutim".

Ac Pinoculus imperante illo tolutarius asellus fieri.

„Citato cursu".
Ac Pinoculus celeriter currere.
„Cursu citatissimo".
Ac Pinoculus se effuso cursu proripere.



Dum celerrime currit, magister elato bracchio plumbeoque globulo ex ignivomo tubulo magno cum fragore eiecto vacuum aerem petivit. Tum asellus se vulneratum esse simulans humi ut moriturus procubuit.
Cum vero surrexisset, adeo plaudentibus omnibus ut clamor ad sidera tolleretur, nescio quo naturali impetu adductus caput erexit ac suspiciens ... quidnam vidit? Pulcherrimam mulierem vidit in alto spectaculo sedentem magno torque ex auro ornatam, ex quo bulla quaedam pendebat pupuli imaginem referens. Quis esset statim Pinoculus cognovit atque:

„Mea ipsius imago est illa ...; aetherea mulier ibi procul dubio sedet", secum cogitavit, ac magna perfusus laetitia exclamare conatus est:
„O, mulier! O, aetherea mulier tam mihi dilecta!".
Neque tamen ea verba os hians emisit, sed immanem quendam ruditum ac tam productum, ut magna omnium spectantium cachinnatio exorta sit, pueris praeter ceteros gestientibus ac ridentibus. Quam asininam vocem cum audivisset, magister scuticae manubrio Pinoculi nasum percussit, ut disceret non decere asinos coram populo rudere. Exserta lingua Pinoculus nasum sibi lingendo diu expertus est si illatae plagae dolor hoc modo leniri posset. At quanta desperatione adfectus est, cum iterum suspiciens altum illud spectaculum vacuum esse animadvertit! Aetherea enim mulier evanuerat.
Idem tum sensit ac si se vita ipsa relinqueret. Lacrimis obortis, largum fletum fundere coepit, nec quisquam, nedum magister, id animadvertit; quin etiam ille aerem scutica verberans iussit:
„Strenue, Pinocule, his viris qui adsunt ostende nunc quam lepide orbes transilire valeas".



Bis terque Pinoculus, suae in saltando virtutis periculum facturus, quotienscumque eo pervenit ubi orbis obtendebatur, commodius arbitratus est pronum subter illum

reptare, quam saltu trans illum procurrere. Exsiluit tandem mediumque orbem traiecit, sed mala sorte accidit ut posteriora crura orbi haererent atque ipse tamquam pondus iners trans orbem concideret.
Surrexit, sed claudus erat ac vix in stabulum redire potuit.
Postridie mane Pinoculi dominus agasoni mandavit ut asinum venderet. Viginti nummulis quidam claudum asellum emit, ut ex illius pelle, quae durissima esse videbatur, tympanum faceret, eoque oppiduli symphoniaci uti possent. Pretio igitur, quod convenerat, soluto, emptor asinum in scopulum super mare emergentem duxit, longoque fune cruri adligato, magno lapide ex collo pendente, in aquam proiecit pellem ex enecti corpore detracturus.

CAPUT XXXIV

Cum vero emptor aliquanto post, ratus asinum aquis submersum perisse, funem trahere coepit, non asini corpus ex aquis emergere vidit, sed viventem pupulum anguilla volubiliorem. Quem ubi adspexit, se somniare ratus obstupuit; paulum deinde recreatus:
„Ubinam", inquit, „asellus is est, quem nuper in mare proieci?".
„Ipse asellus sum", Pinoculus respondit.



„Tune es?".
„Ego".
„ Visne, furcifer, me ludificare?".
„Minime, serio loquor".
„At quomodo asellus pupulus factus est?".
„Marinae aquae forsitan id efficiant; mare interdum sic iocari solet. At si vis scire quomodo res haec se habeat, funem ante omnia ex pede solvito; quod si feceris, omnia, quicquid accidit, tibi enarrabo".
Assensit ille funemque solvit.
Tum Pinoculus casus suos enarrare coepit, ex quo adulescentulus futurus aethereae mulieris domum reliquerat, ad id tempus cum, claudus asellus factus, ab emptore suo in mare proiectus est. Submerso aetherea illa mulier, ne intercluso spiritu periret, auxilium tulit; magnam enim piscium multitudinem ad asellum vorandum misit, qui carne avide contesa, cum pervenerunt ad ossa, pupuli lignum aspernati, discesserunt.
Tum emptor ferina rabie saeviens:
„Rideo", inquit, „historiolam istam. Viginti nummulis asinus mihi stetit; id unum pro certo scito: solutum pretium mihi reddendum aio. Quidnam sim facturus scire cupis? In forum revertar quaerens si quis forte te emere velit, ut comburendum in caminum coniciat".
„Me vendito, igitur", Pinoculus inquit; „non invito loqueris".
Simulque in aquas pulcre insiluit.
Dum innatat atque a litore discedit, misero illi emptori:
„Vale, domine", aiebat; „si asinina pelle indiges, ut tympanum conficias, memento mei".
Ac paulo post ridens atque alacriter natans elatiore voce clamabat:
„Vale, domine; si ligno comburendo indiges, ut ignem in

camino suscites memento mei".
Brevi Pinoculus tantum a litore abfuit, ut vix cerneretur; in summis aquis velut nigrum punctum apparebat crura interdum tollens ac saepius volucri saltu, ut ludibundus delphinus, emergens.
Dum Pinoculus, nullum certum litus petens, securus in undis natat, scopulum adspexit e medio mari exsurgentem ac marmoris candore nitentem, quo in summo pulcherrima capella ut eo appelleret suavi quodam balatu significabat. Mirum id erat in illa, quod vellus neque candidum erat neque nigrum neque bicolor, ut in ceteris capellis fit, sed caeruleum, ut quondam pulcrae illius puellae caerulea coma.
Considera, lector, quam vehementer cor Pinoculi pulsare coeperit. Intentis viribus ad scopulum adnatavit, iamque dimidium tractum natando emensus erat, cum subito — horribile dictu! — ex aquis profundis foedum quoddam caput marini monstri emergere vidit, faucibus voraginis instar hiantibus, tribus vero dentium ordinibus mala in utraque horrentibus, qui, vel si quis eos pictos vidisset, formidinem magnam inicerent.
Quod monstrum fuerit illud scire vultis? Bellua illa marina erat immani corpore cuius mentionem non semel supra fecimus, quae quidem propter caedes innumerabiles inexpletamque voracitatem ‚piscium ac piscatorum Attila' vocabatur.
Quo monstro viso, tantus terror Pinoculi animum invasit, quantum vestrum quivis sibi fingere potest; temptavit si per transversum natando illud vitare posset; fugere conatus est. Frustra: nam immanes illae fauces fulgure celeriores occurrebant.
„Propera, Pinocule", pulcra illa capella balans clamitabat.

Exspes Pinoculus bracchiis, pectore, cruribus, pedibus nisus natabat strenue.
„Celerius, Pinocule; nam bellua appropinquat".
Tum Pinoculus intentius natare.
„Cave, Pinocule; imminet bellua, adest. Propera, obsecro; nam, nisi properas, de te actum est".
Tarn celeriter Pinoculus natabat, ut globulus plumbeus ex ignivomo tubulo emissus tardior videretur, atque iam scopulum fere adtigerat, iam capella mari tota imminens pediculos ei porrigebat, quo facilius ex aquis emergeret. Sera tamen illa cura fuit: marinum monstrum supervenerat, ac, dum spiritum ducit, sic miserum illum pupulum exsorbuit, ut si gallinae ovum biberet.
In ceti ventrem vehementer deiectus Pinoculus concidit diuque obstupefactus ac paene exanimatus iacuit; cum vero animam paulatim recepit, tenebris tam altis se circumfusum vidit, ut si caput in atramentarium immisisset. Silentium erat ubique; interdum tamen sibi faciem venti impetu perstringi sentiebat, nani cetus, cum graviter spiritum expediret, sic animam a pulmonibus respirabat ac reddebat, ut aquilonem flare diceres.
Cum se in marini monstri corpore inclusum esse cognovit, ululatu lamentisque obscuram illam cavernam implevit. Clamitantem ut aliquis sibi succurreret, thynnus, quem cetus eodem haustu exsorbuerat, raucam vocem emittens hortatus est ut casum aequo animo ferret, donec ipsos cetus concoquisset.
„At ego concoqui nolo", flens Pinoculus exclamavit.
„Ne ego quidem concoqui vellem; sed cum satis in philosophia sim versatus, id mihi solacio est, quod qui thynni nascuntur decentius in mari quam oleo submersi pereunt".
„Nugaris", Pinoculus exclamavit.
„Sic tamen mea fert opinio: quod quisque sentit, ut thynni aiunt rei publicae administrandae periti, id temere reiciendum

non est".
Dum colloquuntur, Pinoculus sibi visus est tenuem incertamque lucem procul discernere.
„Ibi fortasse", inquit, „senem aliquem piscem inveniam qui mihi viam exeundi ostendat".

CAPUT XXXV

Nec mora: Pinoculus novo illi atque optimo amico vale dicto, iter per tenebras in immani corpore praetemptando, titubans ac vacillans eo pedetemptim pergere coepit, unde tenuis lux emitti videbatur. Dum procedit, lubricum atque uliginosum solum vestigia fallere sentiebat, adeo crassa illa aqua piscem frictum olente, ut medium quadragesimae tempus advenisse putares.
At quo magis procedebat, eo clarior lux illa discernebatur; cum tandem quo tendebat pervenit ... quidnam invenit? Invenit quod numquam, lector, divinare valebis, vel si sexcenties conatus eris. Apparatam mensulam invenit lagenam ex viridi vitro sustinentem. In lagena accensa candela infixa erat; mensulae seniculus adsidebat, cuius crines nive vel spumeo lactis flore candidiores erant viventesque pisciculos fatigato dente comedebat, qui quidem, vivi cum essent et alacres, e manducantis ore interdum exsiliebant.
Quem seniculum Pinoculus ubi vidit, tanta laetitia perfusus est, ut non multum afuerit quin insania eius mentem turbaret. Ridere volebat, fiere volebat et quam plurima loqui, sed confuso quodam murmure trunca tantum verba ac sine sensu edere valebat. Denique, erumpente gaudio, acutam vocem emisit atque seniculum illum amplexatus clamitare coepit:



„O patercule! O mi patercule! Te tandem inveni neque unquam relicturus sum; numquam ego te relinquam, numquam".

Ille vero palpebras sibi confricans: „Id igitur quod cerno verum est?", inquit; „vere tu Pinoculus es, dilectissimus ille Pinoculus meus?".

„Ego sum, pater, ego ipse; tuque, quae tua est benignitas, mihi ignovisti. At quam multa passus sum!".

Coepit Pinoculus varios suos casus enarrare ex quo patris domum reliquerat numquam reversurus. Quinque aureis nummis a neurospastorum magistro donatum in latrones se incidisse ac suspendio periturum a pulcra puella caeruleis capillis servatum esse; deinde a vulpe sociaque fele aureis nummis spoliatum atque ob id a simio iudice in carcererem coniectum, ab agricola quodam canis munere fungi esse coactum. Ab eodem ob innocentiam suam liberatum, magno se angui occurrisse, cuius propter nimium risum pectoris vena dirupta esset. Flenti denique, quod pulcram puellam obisse putaret, misericordem columbum sibi suasisse ut in ipsius dorsum inscenderet; atque cum ad litus multitudine refertum

volando pervenisset, patrem cymbula vectum in mediis undis fluctuantem agnovisse.
Tum Josephulus:
„Et ipse te agnovi", inquit, „mihique erat in animo litus tenere; sed quid agerem? Nimbis turbinibusque mare turbatum erat; saeviente procella unda ingens cymbulam evertit statimque marina bellua, quae haud procul in illis aquis innatabat, me postquam submersum adspexit, currens est adorta exsertaque lingua sic me exsorbuit, ut si farinae globulus essem Bononiensi more fartus".
„Quam diu", Pinoculus rogavit, „hic inclusus morato es?".
„Duos circiter annos; duo fuerunt, sed, mi Pinocule, sexcenti visi sunt".
„Unde victum tibi quaesivisti? Ubi candelam istam invenisti? Quis flammiferas hastulas suppeditavit?".
„Omnia narrabo tibi. Procella, cuius impetu cymbula mea eversa est, effecit etiam ut magna navis oneraria naufragium faceret. Nautae incolumes evaserunt, sed navis in profundum demersa est. Tum eadem bellua, quae eo die insolita cibi cupiditate impellebatur, me hausto navem etiam voravit".
Stupens Pinoculus:
„Quid narras?", inquit; „uno haustu navem totam exsorbuit?".
Cui Josephulus:
„Haustu uno; malum tantum respuit, qui inter dentes tamquam piscis spina inhaeserat. In hoc tamen bona fortuna mihi profuit, quod navis illa oneraria magnam vim vehebat et carnis in capsulis ex stagno servatae et panis tosti; multas insuper vini lagenas, multam uvam passam, et caseum et fabas Arabicas et saccharon et sebaceas can-

delas; nec flammiferarum hastularum thecae deerant. Quae omnia, a Dei providentia oblata, victum mihi per duos annos suppeditaverunt. Sed paulatim defecerunt, nec quicquam in cella penaria reliquum est; haec ipsa candela, quam cernis, una ex omnibus exstat".

„Quid ea consumpta eveniet?", Pinoculus rogavit.

Atque Josephulus:

„In tenebris vivendum erit".

Re considerata, Pinoculus fugiendum esse statuit. Suum esse putabat patrem natandi inscium umeris impositum usque ad proximum litus incolumem ducere. Pinoculus igitur, elata candela praelucente, per corpus et stomachum belluae diu cum patre processit, donec e gula egressi ac suspenso gradu per amplam linguam iter facientes ad ceti os pervenerunt, unde et caelum stellis distinctum et mare in summa tranquillitate patens cerni poterant. Iamque in mare insilire parati erant, cum cetus tam vehementer sternuit, ut Pinoculus et Josephulus rursus in intimum eius stomachumi proiecti sint.

Dum retrorsum ruunt, candela exstinguitur.

Neque tamen Pinoculus animo defecit. In tenebris iterum viam, quae una patebat, ingressi sunt ac per amplam illam linguam summis digitis incedentes ad tres dentium ordines pervenerunt; quos postquam transiluerunt, Pinoculus:

„Inscende, pater", inquit, ,,umeros meos, meque quam artissime potes amplexare".

Tum in aquam insiluit. Luna in caelo splendebat, summa in mari tranquillitas erat; cetus gravi somno sepultus dormiebat, neque ignivomum tormentum, si displosum esset, illum excitavisset.



CAPUT XXXVI

Diu Pinoculus natavit; sed tam procul litus erat, ut vix cerneretur. Vires tandem illum defecerunt; crebros anhelitus, ut lassitudine fractus, ducebat. Respiciens denique:
„Succurre, pater", inquit, „nam morior".
Iamque prope erat ut pater et filius submergerentur, cum raucam illi vocem audiverunt dissonae citharae sonum edentem:
„Quis moritur?".
„Ipse, paterque meus".
„Agnosco vocem; Pinoculus tu es".
„Utique; quisnam tu?".
„Thynnus ego sum eodem carcere quo tu, marinae beluae in corpore, nuper inclusus".
„Quomodo illinc effugisti?".
„Exemplum tuum imitatus; iter tu mihi ostendisti, te secutus sum".
„Quam opportune, thynne, nunc ades! Te obsecro, pro

amore illo quem erga thynnulos tuos habes, nobis perituris succurre".
„Libenter totoque ex animo id faciam; cauda mea adprehensa, sinite me vos ducere; brevi vos in litore exponam".
Josephulus et Pinoculus, ut quivis sibi fingere potest, statim adnuerunt; sed commodius illis visum est, potius quam caudae haerentes mare tranarent, in thynni dorsum insidere.
Dum vehuntur, Pinoculus ex eo quaesivit:
„Nimisne premeris?".
„Minime; idem mihi est ac si duas marinas conchas dorso veham"; corpore enim tam valido ac magno erat ille, ut bimus vitulus videretur.
Ubi primum litus adtigerunt, prior Pinoculus exsiluit, ut patri idem conanti auxilio esset; deinde ad thynnum ea voce conversus qua commotus animus exprimebatur:
„Me, amice, patremque meum servavisti", inquit; „quibus verbis grates tibi agam? Sine me te osculari, ut id testetur me beneficii tui memorem semper futurum".
Rostrum thynnus ex aquis extulit, ac Pinoculus flexis genibus amoris plenum osculum illius ori impressit; quod insuetum amicitiae indicium tam penitus thynni animum commovit, ut, cum puderet eum tamquam puerulum flentem cerni, capite extemplo in aquas merso evanuerit.
Interea illuxerat; Pinoculus Josephulum, qui aegre spiritum ducebat ac vix pedibus consistere poterat, ut in bracchium suum inniteretur hortatus est.
„Lento gradu", inquit, „procedemus, ut formicarum mos est; cum ambulando fatigati erimus, iuxta viam sedentes morabimur".
Cui Josephulus: „Quo nobis iter est?". „Domum casulamve quaeremus, ubi forsitan aliquis misericordia motus

panis frustulum praebeat atque aliquantum stramenti suppeditet, quod nobis pro cubili sit".
Centum passus non processerant, cum in viae supercilio sordidos duos ac torva facie mendicos conspexerunt stipem a praetereuntibus petentes.
Vulpes erat ac Feles; at quis illas tantum mutatas agnosceret? Feles, dum se oculis captam esse perpetuum simulat, vere caeca facta erat; Vulpes autem male consenuerat; scabie adfecta pilos amiserat eiusque pars altera membrorum debilitata erat. Cauda insuper perfida illa furuncula carebat; nam summa egestate coacta caudam pulcherrimam erranti cuidam institori vendiderat, qui ideo illam emerat, ut sibi vulpinum muscarium faceret.
Pinoculus, ut qui bene meminisset ab illis se deceptum esse:
,,Merito id vobis accidit", inquit; ,,nihil prosunt quae per dolum acquiruntur; diaboli farina, ut aiunt, in furfurem vertitur".
,,Nos neglegere noli", Vulpes implorabat.
„Neglegere", iterabat Feles.
,, Valete, suavissimae; illud quod est in proverbio mementote: qui alienum pallium furtim abstulit, sine interiore tunicula moritur".
In itinere casulam notaverunt stipulis exstructam atque imbricibus laterculisque tectam. Ianuam pulsanti intus quidam exili voce:
„Clavem vertite", inquit; ,,ianua aperietur".
Ingressi neminem illice habitare obstupefacti animadverterunt.
,,Ubinam huius casulae dominus est?", Pinoculus rogavit.
,,Hic sum", vox eadem respondit; „alta petere consuevi".
Suspexerunt; Locusta-loquens in tigillo insidebat. Quae quidem, postquam Pinoculum graviter reprehendit, quod se quondam malleo obtrivisset, oranti ut saltem patri suo subveniret,

utrique se auxilio futuram pollicita est. Deinde cum Pinoculus ex ea quasivisset unde tam pulcram sedem sibi comparasset:
„Hanc mihi casulam pulcra capella donavit heri, cuius vellus caeruleum erat".
„Quonam est illa profecta?".
„Nescio".
„Quando reditura est?".
„Numquam; heri enim, cum discederet, miserabiliter balans Pinoculum deflere videbatur, quem a marina bellua voratum putabat".
Pinoculus, postquam aethereae mulieris desiderio diu flendo atque ululando animi dolorem effudit, quaesivit ex Locusta ubi lactis poculum inveniri posset, quo hausto pater esuriens vires paululum reficeret. Respondit illa olitorem quendam haud procul habitare, buculas aliquot illum in stabulo habere: ibi Pinoculum lac, quo indigebat, inventurum.
Currens Pinoculus olitoris domum pervenit.
„Quantum lactis tibi opus est?", rogavit ille.
„Plenum poculum".
„Nummulo uno id venit; nummulum ante omnia porrige".
Maerens et confusus Pinoculus:
„At mihi nullus nummulus est", inquit; „ne minima quidem pars".
„Quid tum, mi pupule? Nummulis tu cares, lacte ego".
„Aequo animo et id patiar", Pinoculus inquit ac redire coepit.
„Paulisper exspecta; videamus num mihi tecum pacisci liceat. Paratusne es aquam antlia exhaurire?".
„Antliam ais? quodnam sit ignoro".
„Lignea machina illa est, qua utor ad aquam ex cisterna hauriendam, ut olera madefaciam".

„Experiar".
„Si igitur centum aquae situlas hauseris, huius operae pretium lactis poculum erit".
„Convenit".
Tum olitor pupulum in hortum ductum quomodo antliae palus ageretur edocuit. Sine mora Pinoculus laborem illum subiit, sed centum situlas non ante hausit, quam corpus totum a capite ad pedes sudore manavit. Numquam tam fessus ab opere discesserat.
Tum olitor: „Laborem istum antliam agendi", inquit, „asellus meus adhuc sustinuit; nunc vero miserum illud animali extremum spiritum effusurum iacet".
„Licet videre illum?".
„Cur non?".
Ubi primum Pinoculus stabulum intravit, pulcrum asellum in stramine iacentem vidit fame ac nimio labore confectum. Quem ubi attentius adspexit, animo perturbatus:
„Nisi fallor", inquit, „asellum illum novi; non hodie primum hanc faciem adspexi".
Accessit atque inclinato corpore ex eo asinino sermone quaesivit:
„Quisnam es?".
Oculos asellus aperuit eodemque sermone haesitante lingua:
„Stuppeolus sum", inquit; oculisque clausis animam efflavit.
„Eheu, Stuppeolum miserum!", Pinoculus submurmuravit ac lacrimam per os labentem manipulo paleae adrepto sibi detersit.
Tum olitor:
„Adeone asinus hic qui nihili tibi stetit animum movet? Quid mihi faciendum est, qui numerata pecunia illum

emi?".
„Dicam: amicus meus erat".
„Amicum tuum illum fuisse ais?".
„Eum condiscipulum habui".
Tum immoderatus risus ex olitoris ore erupit:
„Quidnam narras?", inquit; „asellos in ludo condiscipulos te habuisse fateris? Quam bene in litterarum studia incubueris hinc manifestum est".
Pudore adfectus Pinoculus nihil respondit; poculum lactis adhuc tepentis accepit atque ad casulam rediit.
Ex eo die amplius quinque menses consuevit ille, antequam illucesceret, ex lecto surgere ut antlia aquam hauriendo lactis poculum mereret, quod patris valetudini mirum quantum proderat. Neque id illi satis fuit, sed subsicivo tempore canistra atque fiscellas ex iunco texere didicit nummosque quos ea vendendo perceperat magna cum prudentia in quotidianos sumptus impendebat. Ut alia praeteream, raedulam ipse fabricatus est, qua serenis



diebus patrem ad apertum duceret ut ille puro aere frueretur.
Vespere autem, dum vigilat, legendo atque litteras exarando se exercuit; in proximo pago enim parvo pretio

magnum librum emerat prima atque extrema pagina carentem, ut quid legeret haberet; ad litteras exarandas parva lignea hastula utebatur, cuius extremam partem acuerat: ea pro calamo erat; cum vero nullum illi atramentarium esset, in laguncula cerasorum ac mororum suco repletam hastulam immergebat.

Operam igitur omni in re diligenter atque alacriter navando, dum aliquid quotidie proficit, non solum eo pervenerat ut patrem, cuius valetudo infirma atque aegra erat, modica quadam commoditate aleret, sed etiam quadraginta nummulos in sacculo servatos haberet.

Quodam die patrem mane adlocutus:

„Ad proximum forum me conferre statui", inquit; „tuniculam ibi et pilleolum et calceos empturus sum. Cum rediero", ridens addidit, „tam nitida veste indutus ero, ut lautiorum aliquem me esse credas".

Domo egressus hilari animo currere coeperat, cum se nomine appellari audivit; respexit lepidamque quandam cochleam e saepe vidit exeuntem.

„An me agnovisti?", inquit illa.

„Te prius fortasse vidi, sed dubius sum".

„Meministine cochleam illam, qua ancilla aetherea mulier caeruleis capillis utebatur? Tibi quondam, reminiscere, lucentem candelam ea nocte adtuli qua pes tuus ianuae inhaesit".

„Omnia nunc mihi in mentem redierunt; responde cito, cochlea pulcra: ubi optimam illam mulierem aetheream reliquisti? Quidnam agit? Ignovit illa mihi?

Mei semper meminit? Me semper diligit? Quam procul hinc abest illa? Dabiturne mihi eam visendi potestas?".

Tam multa ruentibus verbis ac spiritu uno roganti cochlea ea, qua solebat, lentitudine respondit:

„O mi Pinocule! Aetherea illa mulier iacet misella in nosocomii lectulo".
„Quidnam refers? In nosocomio?".
„Eheu! ita est; sexcentis calamitatibus adflicta in gravem morbum incidit, neque iam quicquam pecuniae illi est, ut panis frustulum sibi emat".
„Verumne narras? Quanto me dolore adfecisti! O misera, o misera mea aetherea mulier! Si mihi decies centena milia nummum essent, protinus ad nosocomium advolarem, ut eam pecuniam illi adferrem; at nihil habeo praeter hos quadraginta nummos quibus novam vestem mihi empturus eram. En, accipe, cochlea; eos statim ad aetheream mulierem adfer".
„At novam vestem?".
„Quid vestem novam emere mea interest? Hos etiam pannos, quibus me indutum vides, libenter vendere paratus sum, ut illi succurram. I, cochlea, propera; huc post biduum revertere: spero me tibi aliquot nummos daturum. In nocturnam operam adhuc incubui ut patrem meum alerem; quinque amplius horas labori meo addam, ut optimae matri meae subveniam. Have, cochlea, post biduum me hic opperire".
Tam celeriter cochlea contra morem suum discessit, ut non celerius Augusti mense lacerta ardente canicula currat. Postquam Pinoculus domum revertit, pater ex eo quaesivit:
„Vestis illa nova ubi est?".
Respondit ille:
„Nullam in veni quae corpori meo apta esset; noli id curare, aliam aliquando inveniam".
Eo vespere Pinoculus non iam usque ad horam decimam, ut ante, sed usque ad mediam noctem vigilavit atque, qui

octo fiscellas ex iunco quotidie texere solitus esset, fiscellas sedecim ea nocte confecit. Dormitum deinde discessit atque in somnum lapsus est. Dum quiescit, aetheream mulierem cernere sibi visus est: pulcherrima eius facies erat blandoque risu renidens.

Pupulum illa osculata:

„Bene!, Pinocule", inquit; „mihi tua pietas suasit ut quicquid perverse fecisti, ea omnia tibi ignoscerem. Pueri enim qui parentibus suis adsunt, cum egestate illi aut morbo adfliguntur, dignissimi sunt qui et laudentur et diligantur, etiamsi nullum antea exemplum ipsi ediderint obsequii in parentes et domesticae disciplinae. Sapias in posterum, Pinocule, ac beatus eris".

Tum somnium evanuit; experrectus Pinoculus apertos oculos circumtulit.

Facile, lector, tibi fingere potes quo stupore ille se non iam ligneum pupulum esse animadverterit, sed viventem adulescentulum, ut ceteri omnes sunt. Circumspexit. Non, ut ante, casulae parietes stipulis intexti ante oculos erant, sed pulcrum cubiculum apta supellectile instructum; simplex illud quidem, sed certo quodam decore exornatum. E lecto exsiluit: iuxta lectum pulcra et nova vestis posita erat, novus pilleolus, par etiam calceorum, qui ex pelle confecti tam lepide pedibus haerebant, ut si in ipsa cute depicti essent.

Ea veste indutus manus, ut fieri solet, in sinus iniecit atque inde eburneam crumillam extraxit in qua haec verba inscripta erant:

„Aetherea mulier caeruleis capillis Pinoculo dilectissimo suo quadraginta nummos reddit gratesque agit quam maximas, quod filiali amore sibi tam liberaliter subvenerit".

Crumillae operculo detracto, pro aeneis nummis quadraginta aureos nummos nuper excusos ibi splendescere vidit.
In speculo deinde se inspexit atque alius factus esse sibi visus est; nam speculum non iam lignei pupuli imaginem reddebat, sed adulescentuli alacris ac vivido ingenio praediti, subnigro capillo, oculis caeruleis, tam laeto atque hilari vultu, ut si diem festum ageret. Tam mira ea omnia erant, ut Pinoculus ne ipse quidem intellegeret utrum experrectus esset an apertis oculis somniaret.
Protinus: „Pater meus ubi est?", exclamavit; atque adiacens cubiculum ingressus Josephulum ibi adspexit, qui validus ut olim et alacer et hilaris, cum ad pristinum artificium ligni incidendi redisset, folia, flores parvaque animalium capita in ligneo margine insculpenda describebat. Eius in collum invasit; deinde semel atque iterum osculatus quaesivit:
„Illud mihi explices, patercule, velim; cur sic omnia ex improviso mutata sunt?".
Cui ille: „Haec tanta mutatio opera tua est".
„Meam operam esse ain?".
„Nam quotienscumque adulescentuli boni ex improbis fiunt, accidit ut omnia intus, recenti quodam adspectu sumpto, renideant atque iucunda sint".
„At Pinoculus, ligneus ille pupulus, ubi latet?".
„En, illic est; adspice".
Quae cum diceret, Josephulus digito magnum pupulum monstravit, qui ad cathedram semifultus adnitebatur, capite in latus reclinato, pendentibus bracchiis cruribusque implicitis atque incurvis, ut mirum esset quomodo stare posset.
Illum Pinoculus respexit; quem postquam paulisper con-

sideravit, bene sibi placens:
„Quam ridiculus eram", inquit, „pupulus cum essem Quam gaudeo quod verus adulescentulus factus sum!".



Enrico Maffacini

PINOCULUS



PINOCULUS

liber qui inscribitur
"LE AVVENTURE DI PINOCCHIO"

auctore C. COLLODI

IN LATINUM SERMONEM CONVERSUS AB
HENRICO MAFFACINI

QUARTA EDIZIONE

CASA EDITRICE MARZOCCO
FIRENZE

Scansione dall'originale
effettuata da
Claudio Francesconi
(Spartacus Quirinus)
che ha anche
collazionato il testo
per correggere gli
errori dello scanner.
Ciò non vuol dire
che non vi possa essere
qualche svista,
dunque perdonatemi.

S.Q.

anno 2762 ab Urbe condida

PREFAZIONE

Perché il Poliziano dettò i suoi «Latini» a Piero de' Medici? Perché Erasmo da Rotterdam compose i suoi primi «Colloqui familiari»?

Gl'insegnanti che sanno questi perché, sanno anche perché si presenta loro **Pinoculus**, Pinocchio in latino.

La didattica delle lingue) delle antiche in ispecie) ha sempre avuto bisogno di mettere in rapporto immediato il discente con la lingua che gli si vuole insegnare, perché egli voglia impararla, e quindi la impari.

Ora qualcuno può credere che una succosa dissertazione sui casi o un bel paradigma siano i mezzi migliori per iniziare e affezionare al latino bambini di dieci anni; e che «*la mosca è nera*» e «*l'anitra nuota*» siano nozioni veramente affascinanti! e che la vita di Milziade (**Miltiades, Cimonis filius, Atheniensis, cum et antiquitate generis ...**) sia ancora di grande, interessante attualità.

Ma il Poliziano, al contrario, pensava che la morte del Gran Turco, **qui esset Italiae bellum illaturus**, e la scelta d'un cavallo, **veredus deauratis ephippiis ac phaleratis habenis**, fossero temi più adatti per discorrere con Piero, nel 1481.

E così a Erasmo sembrava che il giovinotto paesano che torna, **mutatus ex Batavo in Gallum**, da Parigi, dovesse interessare i suoi lettori brabantini olandesi e fiamminghi più che l'intrigante Crisògono, liberto di Cornelio Silla.

E cosi è facile immaginare che Pinocchio sia vicino più che Numa e Annibale al Cuore dei nostri ragazzi.

Ai quali, con la sua parlata nuova, col suo semplice e puro latino, e con la guida discreta e sapiente del maestro, insegnerà molto di più di quanto essi non si crederanno.

Perché essi crederanno, a un certo momento,d"avere, più o meno, «studiato il latino»; e alla fine s'accorgeranno d'avere, – cosa che non succede da un pezzo, – «imparato il latino»!

Bologna, Università degli Studi, Pasqua del 1950.

GIOVANNI BATTISTA PIGHI

NOTA DEL TRADUTTORE

Licenziando il volume sento la necessità di mettere in evidenza qualche aspetto della traduzione.

Un linguaggio impone sempre al traduttore certi limiti, direi quasi una sua schiavitù: trasferire la fresca narrazione collodiana nei limiti del latino classico non è stata impresa agevole.

Ho cercato di rispettare al massimo il mondo del Collodi e a seconda del tono ora comico, ora familiare, ora drammatico che il racconto assumeva ho avuto presenti Terenzio, Plauto, Apuleio, Ovidio, ecc.

In certi conflitti tra una parola scientifica ed un'altra meno precisa tecnicamente, ma più pittoresca o sonora, ha vinto la seconda, che ha avuta la preferenza. Di questa scelta ho creduto bene spiegare con un dizionario particolare i vari motivi.

Eccone intanto qualche esempio.

Mi viene subito dinnanzi la parola «cuccagna» ricorrente nel testo tre volte e

con significato ed aspetto diverso.

Il motivo estetico per la creazione di **Cucania** non ha lasciato in disparte la voce latina, perché il *cucus*, o *cuculus*, teste Orazio, è simbolo nel mondo popolare antico di neghittosità e di vita comoda. Vi sono dei paesi immaginari denominati con voce sintetica: **Bardocipium**, Acchiappacitrulli, e **Crepundovia**, Paese dei Balocchi: sono voci latine e desinenze latine che appaiono evidenti. Da *Morbovia*, paese immaginario della malora, nasce *Crepundovia* paese dei trastulli. Una sfumatura di **Lampyris**, la lucciola, è **Lampyridiuncula**, lucciolina.

Guidato, pertanto, da motivi estetici in armonia con la suggestione della fiaba e dell'incognito, ho scelto il termine Piscis Chane, per raffigurare ed indicare insieme il pesce cane del Collodi. Si trattava di un pesce non comune, pesce mostro, enorme, smisurato, ed inoltre caratterizzato da una spalancata bocca voraginosa, attraverso la quale passerebbe un treno con la macchina accesa. Il verba greco *chaino* (χαινω) significa spalancare, e la visione della paurosa apertura, ci appare bene nella parola Chane: ibrido lessicale Piscis-Chane, ma consono alla immaginazione eccitata del disgraziato burattino.

Ed in merito al cane barbone identica considerazione mi ha fatto preferire l'aggettivo umano e pittoresco: **barbatus**. La zoologia mi avrebbe rovinato il quadro con l'espressione canis aquaticus.

Presentando al mondo dei cari lettori questa traduzione, mi è gradito esprimere un grazie particolare ai maestri e agli amici che con me hanno condiviso le ansie, dandomi consigli e indirizzi.

Anzitutto, perché prima nel tempo si è fatto vicino a me come la Sospita, ricordo con gratitudine il valente Prof. G. Copertini assai noto nel mondo critico, e con lui tutti coloro che hanno letto il mio piccolo lavoro ed hanno voluto attestarmi il loro compiacimento. Il mio sentito grazie vada all'illustre Prof. G. Pighi dell'Università di Bologna, mio maestro; e al Prof. B. Riposati dell'Università del S. Cuore di Milano; al Prof. Q. Cataudella di Catania; al Prof. F. Bernini di Parma.

Non posso tacere i nomi degli illustri umanisti Mons. Alberto Costa Vescovo di Lecce, e Mons. Antonio Bacci, Segretario dei Brevi ai Principi, che, con simpatia, hanno letto il lavoro.

A tutti i bene amati colleghi ed amici i signori Professori: Dott. V. Stracquadanio, Lazzaro Padoa, Luigi Davoli, Fulvio Ferrari, A. Sacchelli, vada il memore pensiero riconoscente. Un ringraziamento particolare al Dott. Antonio Gigli che mi ha aiutato nella revisione del testo.

Ed ora mi auguro che da codesta piccola favilla che si sprigiona da queste modeste pagine, cresca un po' l'amore a uno strumento di umanità, che ha camminato per tutte le vie del mondo e della storia nostra.

Fidenza, 9 luglio 1950.

E. MAFFACINI

CAPITULUM PRIMUM

In hoc capitulo ostenditur quomodo Magister Cerasum faber tignarius ligneum fragmentum flendi ac ridendi pueriliter facultate praedittum invenerit.



Fuit quondam ...

– Rex quidam! – mei parvi subito fortasse dixerint lectores.

– Minime: pueri, erravistis. –

Fuit vero quondam ligneum quoddam fragmentum.

Non fuit certo lignum splendidum; sed simplex fragmentum ad struem aptum, ex illis scilicet quae hieme in fornacibus aut in focis ad suscitandum ignem et contubernia calefacienda collocari solent.

Nescio quomodo hoc factum sit, sed reipsa evenit, ut, quodam die, hoc ligneum fragmentum in tabernaculum cuiusdam fabri tignarii aetate provecti perveniret, cui nomen Magister Antonius, quamquam homines eum Magistrum Cerasum vocabant, quod nasi ipsius apex lucidus semper violaceusque apparebat, quasi maturum cerasum. Ubi vero magister, cui cognomen Cerasi fuit, illud ligneum fragmentum aspexit, gavisus est valde; manusque inter se gaudio perfricans, submissa murmuravit voce:

– Hoc lignum opportune venit quidem: hoc ad tabulae pedem conficiendum uti volo. –

Illico autem, hisce cogitatis, securim quandam arripuit acutam ad corticem illi detrahendum atque dolandum; at contra, cum in eo fuit ut, prima vice, lignum illud securis ictu percuteret, brachium suspensus ipse stetit in aëre, quod vocem tenuissimam audiverat dicentem et orantem:

– Ne me, quaeso, gravius tutuderis! –

Vobis mente fingite quomodo bonus ille senex Magister Cerasum animo turbatus sit.

Qui circumtulit stupentes oculos contubernio, ut undenam vocula egrederetur intellegeret; at neminem vidit.

Scrutatus est subter tabulam, at nemo; scrutatus est intra semper clausum armarium, at nemo; scrutatus est corbem ad ligni ramenta et scobes colligendas, at nemo; portam deinde aperuit tabernae ad viam perlustrandam, at nemo.

– O igitur? –

Tum ridens sibique capillamentum scalpens ait:

– Intellexi; videor cede mihi mente finxisse voculam illam. Redeamus ad operam. –

Ac securi resumpta, maximo impetu lignum percussit.

– Eheu! Tu mihi male fecisti! – clamavit gemebunda solita vocula

Nunc Magister Cerasum stupet vehementer; qui, oculis pavore territis, ore hiante linguaque ad mentum usque cadente, personam fontis magnam imitatur salientis aquae. Ubi loqui potuit, dicere tremens coepit et pavore balbutiens:

– Undenam ergo haec vocula exiit, quae *eheu* dixit? Atqui nemo est hic. Hoc ligneum fragmentum flere forsitan didicit et queri sicut puer? Nolo hoc credere. Occine lignum? Ecce, frustum aptum ad focum est sicut cetera; et si hoc in ignem misero, fervefaciam ollam phaselorum. o igitur? An quis in hoc latet? At si

quis in hoc lateat, male accidat illi: nunc illum cito edolabo[1]. – Et ita loquens utraque manu miserum illud fragmentum perstrinxit: et nulla pietate commotus, illidere illud in cubiculi parietes coepit.

Deinde animum intendit si qua vocula querens audiri possit.

Duo temporis momenta exspectat, at nihil; quinque momenta, at nihil; decem momenta, at nihil.

Tunc ait: – Intellexi, – ridere nitens et capillamentum sibi turbans, – certe voculam illam quae dixit «*eheu*», ipse mihi finxisse videor. Redeamus ad operam.–

Cumque magnus eius animum invasisset timor, ut se ex hoc reciperet, aliquantum cantillare coepit.


Interea, deposita securi, ad runcinandum et poliendum lignum runcinam sumpsit. At runcinans illud supra et infra solitam voculam audivit, quae illi dixit ridens:

– Desine, quaeso: nam mihi tu pellem pruritu leviter titillas[2]. –

Nunc vero miser Magister Cerasum, tamquam de coelo tactus, procubuit. Ubi autem oculos aperuit, humi sedentem se invenit.

Vultus eius transmutatus videbatur, et nasi quoque apex, pro violaceo colore solito, magnum propter pavorem caeruluerat[3].

CAPITULUM ALTERUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Magister Cerasum donet fragmentum ligneum amico Josepheto, qui illud accipit ad sibi mirum Pupulurn aedificandum, artis saltandi peritum, pugnatoriis armis batuendi, saltusque, cernuorum more, saltandi.

Tunc temporis ad januam pulsatum est.

– Transite quidem, – faber tignarius inquit, impotens quoniam est resurgere.

Tum vetulus quidam alacrior tabernam ingreditur, cui nomen Josephetus; at pueri vicinitatis, quando hunc in iram inducere volebant, Polendinam cognominabant propter eius crocei coloris capillamentum quod polentillae ex zea confectae simillimum erat.

Iracundissimi erat Josephetus ingenii. Qua de re hoc exitiale quidem: illum Polendinam nominare. Tunc illico belua fieri, nec quisquam eum, ullo pacto, continere posse.

– Salve, Magister Antoni, – inquit Josephetus. – Quidnam hic in terra agis?

– Doceo abacum formiculas.

– Prosit tibi!

– Quisnam, compar Josephete, huc te adduxit?

– Crura. Scito, Magister Antoni, me ad te venisse ad gratiam impetrandam.

– Ecce adsum paratus tibi servire, – inquit rursum faber genibus

1 Edolabo: lo limerò, accomoderò (ironicamente)
2 Pellem pruritu laviter titillas: mi fai il pizzicorino sul corpo
3 Caeruluerat: era diventato turchino

consurgens.

– Hoc mane quidem mihi in cerebrum impluit cogitatio quaedam.

– Audiamus ergo hanc cogitationem.

– Hoc quidem cogitavi: mihi ipse pulchrum pupulum conficiam, sed mirum sane illum conficiam, ut saltare, batuere atque cernuare valeat. Cum pupulo huius generis mihi est in animo orbem pererrare terrarum ad mihi frustulum panis comparandum et scyphum vini. Quid ais?

– Bene, Polendina! – inquit solita vocula, quae unde exiret nemo intellegere poterat.

Compar Josephetus audiens se Polendinam appellari, factus est ruber tamquam piperitis propter stomachum, et ad fabrum tignarium se vertens, ira incensus:

– Cur, in quit , me offendisti?

– Quis te offendit?

– Me appellasti Polendinam! ...

– Non ego, pol, fui, qui appellavi.

– Ah vide! Forsitan ego fui. Te contra fuisse aio.

– Non fui.

– Tu fuisti.

– Non fui.

– Tu fuisti.

Et magis magisque irascentes ex verbis ad rem pervenerunt, et inter utrumque manibus consertis, unguibus inter se lacerarunt, morderunt et deturpaverunt.

Magister Antonius, pugna confecta, capillamentum Josepheti fulvum in manibus suis vidit, et Josephetus sensit se albescens ore premere capillamentum fabri tignarii.

– Redde mihi capillamentum, – Magister Antonius inquit.

– Et tu vicissim redde mihi capillamentum et pacem faciamus. –

Uterque vetulus, capillamento vicissim restituto, dexteram alterius stringit, juratque se totam per vitam in amicitia futurum.

– Ergo, Josephete compar, – inquit faber – in signum pacis factae quam gratiam a me petis?

– Praebeas mihi velim parum ligni ad Pupulum meum conficiendum. Praebeasne mihi?

Magister Antonius pergaudens subito ex mensa sumit illud frustum ligni, quod ipsi causa tot trepidationum fuerat.

Sed jam traditurus illud amico erat, cum ligneum fragmentum violentam concussionem dedit, et magna vi ex manibus eius elapsum in miseri Josepheti tibias, pernarum more arefactas, incidit violenter.

– Hem! Hac vero urbanitate, Antoni Magister, mihimetne tua donas? Quasi me claudum fecisti! ...

– Tibi, edepol, hanc injuriam non feci.

– Ego contra jactavi! ...

– Culpa quaevis huic ligno tribuenda.

– Hoc quidem scio: ligno culpam tribuendam, sed tu illud in crura jactasti mihi.

– Non, edepol, illud jactavi.

– Mendax es!

– Josephete, desine me iniuriis afficere, secus te Polendinam appellabo ! ...

– Asine!
– Polendina!
– Onager!
– Polendina !
– Simiole turpis!
– Polendina! –

Qui, cum se audivisset tertio Polendinam appellari, acie oculorum, ut ita loquamur, orbatus, in fabrum impetum fecit; et hic multa vicissim verbera accepta redditaque.

Magister Antonius, proelio facto, nasum suum duabus lacerationibus affectum vidit, et alter thoracem vidit suum duabus fibulis orbatum disceis.

Hoc modo rationibus aequatis, dexteras inter se junxerunt, et juraverunt se totam per vitam amicos fore.

Josephetus interea perbelle secum sumpsit fragmentum ligneum, gratibusque Magistro Antonio relatis, claudicans domum rediit.

CAPITULUM TERTIUM

In hoc capitulo ostenditur quomodo Josephetus domurn reversus subito coeperit Pupulurn sibi conficere illumque Pinoculurn cognominaverit.



Domus Josepheti cellula erat in plano sita, luce perfusa ex hiatu infra scalam. Supellex simplicissima erat: sedecula inepta, lectulus vacillans tabulaque putris omnino. In pariete profundo caminus exiguus videri poterat igne accensus; sed ignis pictus propeque caminum picta olla conspiciebatur laete effervescens nubemque vaporis emittens reipsa fumo similem. Josephetus ubi primum domum ingressus est, illico sumpsit instrumenta et incidendo fabricandoque Pupulo operam dedit.

– Quod nomen dabo illi? – inquit intra se. – Volo eum vocare Pinoculum. Nam hoc nomen ei fortunam afferet. Etenim familiam totam cognovi quondam Pinoculorum. Pinoculus erat pater, Pinocula mater, et Pinoculi filii; et omnes bene vitam degebant. Ditissimus ex illis manum ad stipem porrigebat. –

Nomine Pupulo suo invento, tum operari alacriter coepit, et subito ei fecit capillos, deinde frontem, postremo oculos. Oculis vero expressis, vobis effingite admirationem Josepheti cum animadvertit oculos Pupuli se circumvertentes intentiusque intuentes!

– O lignei enormes oculi, cur me conspicitis? – Nemo respondit.

Tum post oculos finxit ei nasum: sed simul ac factus est, crescere coepit nasus; et crescit, crescit ita ut, paucis momentis, nasus factus sit sine limite magnus. Miser Josephetus excidere illum laborabat, sed quo magis circumcidebat illum atque decurtabat eo longior nasus ille procax fiebat. Post nasum labia ei fecit et os. At os nondum inciderat, cum subito ridere et ludificari eum coepit.

– Desine ridere, – Josephetus inquit hoc aegre ferens, sed quasi murum allocutus est.

– Desine ridere, tibi rursum dico, – exclamavit voce minaci.

Tunc ridere desiit, sed totam linguam detrudit. Josephetus ne operam

perderet, simulans se hoc non advertere, opus navare perexit. Post os mentum ei finxit, deinde collum humeros pectus brachia manus. Josephetus, cum Pupuli manus perfecisset, sensit sibi capillamentum ex capite auferri. Suspexit, et quid vidit? Vidit capillamentum fulvum in manibus Pupuli.

– Pinocule, cito mihi capillamentum redde. –

At Pinoculus potiusquam capillamentum redderet, sibi caput illo cooperiens, quasi submersus est. More autem illo inurbano et insolenti, Josephetus tristis maestusque factus est ut nunquam in vita sua fuerat et ad Pinoculum se vertens dixit:

– O nefarie fili, nondum te finxi, et reverentiam erga patrem tuum amittere coepisti. Male, fili mi, male. – Et lacrimam detersit sibi.

Nil aliud reliquum erat quam ut crura et pedes exciderentur. Josephetus simul ac pedes perfecit sensit sibi apicem nasi calce peti.

– Bene id merui, – inquit tunc intra se. – Mihi prius id cogitandum erat: jam sero est. – Deinde Pupulum sub axillis assumpsit et in terra collocavit, in cellae scilicet pavimento, ut eum ambulare doceret.

Cruribus non jam obrigentibus, Pinoculus per se ipse ambulare et cellam percurrere coepit, donec portam domus iniens in viam saluit et fugae se dedit. Et miser Josephetus post eum currere, neque attingere eum posse, quod pusio ille Pinoculus tamquam lepus saliebat, et, pedibus viam stratam percutientibus, perstrepebat quasi viginti juga sculponearum.

– Corripe, corripe eum – Josephetus exclamabat; sed homines in via hunc Pupulum videntes numidici instar equi currentem stupentes consistebant mirantesque eum; ridebantque iterum iterumque, et ita ridebant, ut nemo nostrum fingere possit quomodo. Postremo et fortuna adiuvante advenit forte armifer a publica tutela, qui huiusmodi validum audiens strepitum, et equi putans pullum esse ex manibus aurigae forte elapsum, intrepide, cruribus divaricatis, in media via stetit, animo firmissimo illum detinendi et impediendi, quominus majora quam antea infortunia acciderent.

Ubi vero Pinoculus procul aspexit armiferum totam viam obstruentem, conatus est per crura eius evadere improviso: at nihil profecit. Armifer omnino immotus eum naso corripuit pulchre (nasus erat enormis ita ut facillime a quocumque ex armiferis corripi posset) et manibus Josepheti ipsius restituit: qui, castigandi causa, subito aures eius stringere pulchre voluerat.

At vobis fingite animo quomodo obstupuerit cum, quaerens aures eius, invenire eas non potuit. Et scitis cur non invenerit eas? Eo quod, studio acri Pupuli sculpendi, oblitus erat aures exprimere. Itaque eum cervice capitis arripuit et illum reducens minaciter motu capitis nutans dixit ei:

– Domum redeamus. Cum domum redierimus, nostras rationes aequabimus. –

Pinoculus, hisce acerbis auditis verbis, humi procubuit, neque amplius ambulare voluit.

Interea curiosi homines et otiosi circumstare, et conventicula facere.

– Miser Pupule! –, aliqui ex iis dicere, – nolens redire domum jure suo utitur. Quis scit quomodo Josephetus, improbus ille, vel quot verberibus sit illum petiturus? – Et alii iniqua mente subjungere:

– Ah, Josephetus ille, homo etsi bonus videtur, vere tyrannice utitur pueris. Si miserum manibus eius relinquunt homines Pupulum, quantum in ipso est, non multum aberit quin eum confracturus sit. –

Homines illi, igitur, ut brevi loquamur, tarn multa dixerunt et fecerunt, ut

Pinoculum armifer ille liberaret, et infortunatum hominem Josephetum in carcerem duceret. Cui cum menti verba subito non occurrissent ad suam causam dicendam, tamquam vitulus flebat, petensque carcerem, gemens balbutiebat:

– O miserum filium! Quem ut perscitum Pupulum redderem, cogito equidem quantum poenarum sustulerim! Jure meritoque hoc accidit mihi! Prius cogitandum erat. –

Quae deinde secuta sunt, incredibilis historia sane, insequentibus capitulis commemorabo.

CAPITULUM QUARTUM

In hoc capitulo Pinoculi Gryllique Loquentis denarratur historia: in qua discirnus quomodo improbos pueros taedeat semet a sapientioribus viris emendari.



Narrabo igitur vobis, pueri, cum miser Josephetus innoxius in carcerem duceretur, Pinoculum, illum improbum puerum, ab unguibus armiferi jam liberum, per agros festinanter properasse, quo citius domum rediret; et magna festinatione currendi, loca transiluisse praeruptissima, saepes prunorum et fossas aqua plenas, non aliter quidem atque capreolus aut lepus quem venatores insequantur.

Cum domum advenisset, portam, ex qua in viam prospici poterat, quasi apertam invenit. Quam, cum impulisset, ingressus est domum, et, foribus pessulo occlusis omnino[4], in terram se projecit, ibique sedit magnum propter gaudium suspirium ex imo corde trahens. Sed illud gaudium parum duravit; nam in cella audivit ab aliquo huiuscemodi sonitum emitti:

– *Cri Cri Cri*.

– Quis vocat me? – Pinoculus perterritus inquit.

– Ego sum. –

Pinoculus dein conversus magnum observavit Gryllum lente murum ascendentem.

– Dic mihi, quaeso, Grylle, et tu quis es?

– Ego sum Gryllus Loquens et hanc cellam habito centum jam annos amplius.

– Hodie vero haec cella mea est, – Pupulus inquit, – et gratiam si mihi vis magnam tribuere, abi hinc subito ne respiciens quidem.

– Hinc autem non abibo, – Gryllus respondit, – antequam quae prorsus vera sunt, dixero tibi. Vae pueris parentum imperium detrectantibus et arbitratu suo domum deserentibus paternam. Interea nunquam sibi fortunam prosperam invenient: et serius ocius eis id poenitendum erit.

– Canta quidem, Grylle mi, ut tibi videtur et lubet, sed ego scio me crastina die, prima luce, discessurum hinc: etenim si hic habitavero, hoc certe accidet mihi quod ceteris pueris: idest ad scholam me mittent et aut vi aut sponte mihi

4 foribus pessulo occlusis omnino: «e appena ebbe messo tanto di paletto alla porta ».

studendum erit: ego vero, ut tibi vera secreto fatear, studium omnino fastidio, et magis delector cum persequor papiliones aut cum ascendo arbores ad eripiendas ex nidis aviculas.

– Miser stultille! An ignoras te, si ita egeris, pulcherrimum sane, cum adoleveris, asellum fore, quem omnes mox deridebunt?

– Desine, inepte Grylle, mihi infausta ominari, – exclamavit Pinoculus.

Sed Gryllus, quippe qui patiens et sapiens philosophus esset, potiusquam aegre ferret hoc, eodem vocis accentu perrexit:

– At si tibi non lubet ad scholam ire, cur non discere vis, qua tibi frustum panis compares, aliquam artem?

– Vin' tibi haec loquar? – iterum Pinoculus respondit jam jam patientiam abrupturus –, una tantum inter omnes hominum artes ingenio meo favet.

– Quaenam, quam extollis, est ars haec denique?

– Est ars, edepol, manducandi, bibendi, dormiendi, animum relaxandi, vitamque in otio degendi a mane usque ad vesperum.

– Hanc legem certam habeto, – inquit Gryllus Loquens qua tranquillitate solebat, – omnes, qui in hac arte se exercuerint, vitam in nosocomiis aut in carceribus occlusuros.

– Cave, malevole Grylle, si suscensuero, vae tibi !

– O miser Pinocule, me vere miseret tui.


– Cur tuam excito pietatem?

– Eo quod Pupulus es et, hoc peius est, quod caput ligneum tibi est. –

Hisce extremis verbis auditis, Pinoculus, ira incensus, surrexit et ex tabula malleum ex ligno arreptum contra Gryllum Loquentem jactavit.

Fortasse putaverat se illum malleo non petiturum, sed perincommode accidit ut caput quidem ipsius percuteret, et Gryllo tantum vocis superesset, qua diceret: *Cri Cri Cri* ac deinde parieti inhaereret exsiccatus atque aridus.

CAPITULUM QUINTUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo esuriens Pinooulus quaerat ovum ad sibimet intritam conficiendam, pullicenus autem pulcherrime a fenestra avolaverit.

Interea nox incumbere coepit, et Pinoculus se nihil comedisse non oblitus, stomachum lamentantem animadvertit more sane appetitui simillimo. At appetitus puerorum citius ambulat. Etenim non multis momentis elapsis, appetitus fames factus est, et fames, luce in tenebras transeunte, mutata est in famem lupinam, in famem scilicet, quam quis cultro secare poterat.

Miser Pinoculus cito ad focum cucurrit, ubi erat olla effervescens et jam detecturus erat, ut introspiceret, cum animadvertit esse ollam in pariete pictam. Mente fingere nequeas quomodo deceptus obstipuerit ille. Nasus eius qui jam longus erat, ei longior factus est quattuor saltem digitis. Tum currere coepit conturbernio et omnes capsulas tentare et omnia latibula quaerens

frustulum panis, saltem parum panis sicci, crustulum saltem, os a cane relictum, parum polentae mucidae, spinam piscis, cerasi os, aliquid demum esculenti; at nihil invenit, nihil omnino, nihil prorsus.

Interea fames crescebat et semper crescebat, et nihil aliud misero Pupulo erat solacio, quam ut oscitaret; atque ita longas trahebat oscitationes, ut illi interdum os ad aures dilatatum pertingeret. Postquam oscitaverat, expuebat; et ventrem sibi languescere sentiebat. Tunc flens et desperans dicebat:

– Gryllus Loquens recte docebat me. Male egi patris imperium detrectans et domum relinquens. Si pater meus esset hic, nunc non essem inter oscitationes moriens hic. Quam crudelis morbus fames! –

Et ecce illi aliquid albi et rotundi in monticulo immunditiae apparuit simile prorsus ovo gallinae.

Exilire et supra illud se inicere momentum fuit: nam erat ovum vere. Gaudium Pupuli nemo est qui narrare possit: hoc sibi mente quisque fingat necesse est. Credens forsitan illud esse somnium, hoc ovum in manibus vertebat, tangebat, osculabatur osculansque dicebat:

– Et nunc quomodo coquam illud? Intritam ex hoc conficiam? Minime. Melius est illud in patina coquere! Annon exsquisitius erit si in patella illud frixero? At contra si illud coquam more ovi bibendi? Minime. Longe expeditissimum est in patina illud coquere aut in parva fictili sartagine: uror enim magno desiderio edendi. –

Illico sartaginem foculo prunis accensis pleno imposuit; in sartaginem pro oleo aut butyro aquae parum infudit et cum vaporem ea emittere coepit, «tac», fregit testam, et conatus est in sartaginem infundere ovum. At pro albumine et vitello, erupit pullicenus laetior et humanior qui, pulchre, salutans eum:

– Maximas gratias, – inquit, – ago tibi, domine Pinocule, quod testam frangendi labore me levasti. Bene vale; bene tibi sit et familiaribus tuis. –


Haec locutus, alas aperuit.

Miser ille Pupulus illic stetit, quasi stupefactus, oculis intentis, ore hiante, et testas ovi manibus premens. Attamen cum ex primo pavore se recepisset, flere, clamitare, terram percutere coepit; desperans et flens dicebat:

– Atqui Gryllus Loquens jure loquebatur. Nisi domo aufugissem et pater meus abesset hinc, nunc certe fame non perirem. –

O quam crudelis morbus est fames! Et jeiunum stomachum lamentantem quomodo sedaret nesciens, egredi domo statuit et in propinquum oppidum excurrere, sperans se aliquem miserantem inventurum, qui panis saltem frustum largiretur sibi.

CAPITULUM SEXTUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus, pedibus foculo impositis, obdormiscat et mane postero expergiscatur pedibus omnino combustis.

Erat quidem perfida hiemis nox. Nam vehementissime tonabat fulgurabatque quasi totum caelum incenderetur ventusque perfidus, frigidus, laboriosus, rabide sibilans magnamque pulveris nubem excitans, efficiebat ut omnes ruris arbores striderent crepitarentque.

Pinoculus autem magno concutiebatur terrore tonitruum et fulgurum; at fames formidine fortior erat. Quare, janua domus subclausa, cursum incipiens, centum saltibus usque ad oppidum pervenit, linguam emittens et crasse exspirans, ut solent canes venatorum. At omnia tenebris involuta desertaque vidit. Nam clausae erant tabernae, clausae et januae et fenestrae, et in via ne canem quidem cerneres. Regio quidem mortuorum videbatur. Tum Pinoculus desperatione et fame impulsus, tintinnabulum domus cuiusdam arripuit, et continuis pulsibus illud movere coepit et secum ita loquens:

– Fortasse quispiam vultum efferet, – inquit.

Et reapse senulus quidam caput pileolo nocturno tectus apparuit, qui, valde ira incensus , clamavit:

– Quid hac hora vultis?

– Visne, quaeso, frustuli gratiam ex pane mihi praestare?

– Istic fac me exspectes, cito redeo, – senulus respondit, ratus sibi tractandum cum aliquo ex improbis illis et dissolutis pueris, qui noctu tintinnabula domuum pulsare gestiunt, ad molestiam scilicet afferendam honestis hominibus tranquille dormientibus.

Paucis post momentis fenestra etiam patefit, et soliti senuli vox ad Pinoculum clamat:

– Huc accede et petasum para –

Pinoculus, carens adhuc petaso, appropinquavit et sensit sibi magna ex catino aquarum copia ita membra perfundi, ut omnino ex capite ad pedes, quasi geranii flos in vase languidus, madefactus sit.

Tunc domum rediit, quasi pullus gallinaceus tinctus et fame et labore confectus; cumque nihil sibi virium superesset, quo stare posset, sedit, pedes madidos lutoque aspersos super foculum ponens accensis carbonibus plenum.

Ibique in somnum incidit, et cum dormiret lignei pedes ipsius ignem susceperunt, et paulatim ad carbonem ambusti et cinis facti sunt.

At Pinoculus dormiebat atque stertebat, quasi essent alterius pedes. Denique prima luce, cum quis januam pulsavit, experrectus est.

– Quis pulsavit? – quaerit oscitans perfricansque sibi oculos.

– Ego sum, – respondit vox quaedam.

Vox vero erat Josepheti.

CAPITULUM SEPTIMUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Josephetus domurn reversus dederit Pupulo prandium quod ipsemet, misellus homo, secum portaverat.

Pinoculus infelix, cuius oculi adhuc somno opprimebantur, nondum senserat pedes omnino sibi esse combustos; quare simul ac vocem patris audivit, e scabello lapsus est ut festinanter traheret januae paxillum; sed, proh dolor!, postquam bis vel ter vacillavit, extemplo toto corpore in pavimentum proruit. Et terram percutiens, eundem sonitum dedit ac saccus rudicularum a quinto domus tabulato cum praecipitat.

– Aperi, quaeso, mihi, – interea clamabat Josephetus e via

– Pater mi, nequeo, – respondebat Pupulus flens et pavimento se pervolvens.

– Cur nequis?

– Eo quod pedes mihi aliquis comedit.

– Ecquis pedes tibi comedit?

– Cattus – inquit Pinoculus videns Cattum, qui delectabatur pediculis anterioribus assulas quasdam ex ligno ad saltationem provocare.

– Aperi mihi, tibi dico, – inquit rursus Josephetus – quod si hoc nolueris, cum intra domum venero, tibi dabo profecto alium Cattum.

– Stare nequeo pedibus, crede mihi. O me miserum, o me miserum, totam per vitam genibus ambulare! ... –

Josephetus ratus omnes illas quermonias Pupuli quasi novum improbe factum, moras reipsa rumpere opportunum duxit, et murum scandens, domum per fenestram introivit.

Primo dicere volebat et agere volebat; deinde tamen, ubi Pinoculum suum vidit, humi stratum et vere sine pedibus, tunc misericordia motus est, in humeros illico impositum osculari eique blandiri omnibus modis et mille blandimentis coepit; lacrimulisque per genas cadentibus eum, singultans, allocutus est:

– Pinocelle mi! Quid causae est cur tibi sint combusti pedes?

– Nescio, pater, sed crede mihi: horrida nox fuit quasi inferorum locorum, cuius, quoad vixero, non obliviscar. Tonabat, fulgurabat, et valde ego esuriebam et tunc Gryllus Loquens dixit mihi: «Hoc bene tibi evenit: improbus fuisti et haec digne pateris», et ego illi respondi: «Cave, Grylle ! ...» et ille rursum dixit mihi: «Tu es pupulus et caput ligneum tibi est» et in eum ego malleum ligneum injeci et ipse obiit, at hoc culpa eius factum est: nam certo eum necare nolueram: quod certe manifestat, quod in accensis foculi carbonibus patinam minusculam collocavi, sed pullicenus exsiluit et dixit: «Valedico tibi ... et saluta eos qui de domo tua sunt» et fames crescebat semper, ideo senulus ille pileolo tectus nocturno, ad fenestram prodiens: «Huc accede et petasum para», dixit mihi, et ego imbre illo ex catino caput madefactus, etenim petere frustulum panis turpe non est, nonne vera loquor?, subito domum redii, et magna semper ex fame laborabam, pedes foculo imposui ad me calefaciendum, et tu rediisti, et mihi pedes combustos vidi, et sic semper fame laboro et pedibus jam careo! Ih ...

ih ... ih ... –.

Et miser Pinoculus tam graviter flere et ululatus tollere coepit, ut procul quinque millium passuum intervallo audiri posset.

Josephetus, qui ex toto illo confuso sermone, hoc unum intellexerat, Pupulus nempe in eo esse ut fame periret, tria pira ex perulis extraxit eaque illi praebens dixit:

– Haec tria pira prandio meo comparaveram: haec autem ego tibi libenter praebeo. Comede ea, et prosint tibi.

– Sis comedam[5], cutem, quaeso, ex iis detrahe.

– Cutem detrahere ex iis? – admirans Josephetus inquit, – nunquam arbitrabar temet sic molli osculo ac delicato palato esse. Male! In hoc mundo a pueritia omnia libenter comedere nos assuescamus oportet, quoniam nunquam scimus quid nobis futurum sit. Sunt casus tam multi! ...

– Bene tu loqueris, – Pinoculus inquit iterum, – at ego nunquam fructum comedam, cute ex eo non detracta Cutes equidem non patior. –

Et bonus ille vir Josephetus, cultello extracto, et multa patientia munitus, cutem ex tribus piris detraxit, omnes cutes in angulo tabulae collocavit. Pinoculus cum comedisset primum pirum duobus tantum dentium ictibus, jam projecturus erat caulem; sed Josephetus brachium eius continuit dicens illi:

–Ne illum abjeceris: nam omnia in hac vita utilia nobis esse possunt.

– At ego caulem non comedam certe! ... – exclamavit Pupulus sicut vipera perniciter ab ipso resiliens.

– Quis id scit! Casus sunt tam multi! ... – addidit Josephetus placide.

Hoc autem certum est: tres caules, potiusquam e fenestra proicerentur in angulo tabulae simul cum cutibus positos esse. Pinoculus, postquam tria pira manducavit vel melius voravit, diutissime oscitavit et querulus sic ait:

– Adhuc fame laboro!

– Sed ego, fili, nil habeo quod tibi offeram.

– Nil vere? Nil?

– Hae cutes tantum et hi caules mihi sunt.

– Patientia utar! – inquit Pinoculus. – Si nihil aliud superest, manducabo cutem.

Et manducare coepit. Primo aliquantum os detorsit; sed deinde omnes uno spiritu cutes singillatim peniculi more detersit; et post cutes etiam caules, et cum omnia comedisset, laetissimus corpus manibus percussit, et laetabundus ait sic: – Nunc quam bene me habeo!

– Viden' igitur, – animadvertit Josephetus, – quod ego equidem jure meritoque tibi haec tradebam: non oportere scilicet nos aut nimis sophisticos esse aut nimis palato molles. O corculum, semper ignoramus quid forte in hoc mundo nobis accidere possit. Casus enim tam multi sunt!... –

5 Sis comedam = si vis comedam

CAPITULUM OCTAVUM



Josephetus pedes Pinoculo reficit et sagum vendit suum ut illi emat Abecedarium.

Pupulus, expleta fame, subito flere et mussitare coepit, eo quod utrumque pedem novum volebat. Ad puniendum eius male factum Josephetus flere et desperare diei dimidium eum passus est: deinde sic illi ait:

– Cur tibi pedes iterum excidam? Forsitan ut videam te iterum domum tuam fugere?

– Polliceor tibi, – inquit Pupulus singultiens – ab hodie in posterum me bonum fore ...

– Omnes pueri, – Josephetus rursus inquit – ita loquuntur cum consequi aliquid volunt.

– Polliceor tibi me ad ludum litterarum iturum ut ibi litteris studeam laudibusque me dignum reddam ...

– Omnes pueri, si quid consequi volunt, eadem ficta loquuntur.

– At ego non sum sicut ceteri pueri! Sum equidem optimus omnium semperque vera loquor. Tibi polliceor hoc, pater; aliquod saltem artificium addiscam, et ero mox solacium et baculus senectutis tuae. –

Josephetus, quamquam vultum tyranni imitabatur, oculis lacrimis obtectis animoque tristitia oppresso, eo quod viderat miserum Pinoculum in hanc miseram sortem illapsum, alia verba non adiunxit; sed arreptis artis suae instrumentis et duobus ligni arefactis fragmentis, maxima cum diligentia, ad opus incubuit. Et intra horae spatium pedes Pupuli perfecti sunt: duo pediculi agiles, sicci et nervosi, quales ab artifice magni ingenii exprimi solent.

Tunc Josephetus Pupulo dixit:

– Claude, quaeso, oculos et obdormi. –

Et Pinoculus oculos clausit et dormire simulavit. Josephetus, dum ille dormire simulat, adhibens parum glutinis soluti in testa quadam ovi, pedes loco apto Pupulo junxit et tam perite eos junxit, ut indicium juncturae nullum appareret. Simul ac Pupulus pedes sibi esse sensit ex tabula, in qua jacebat, exsiluit et innumeras supplantationes innumerasque exultationes agere coepit, tamquam si magno ex gaudio insaniret.

– Ut grates tibi pro omnibus beneficiis, pater, agam, – inquit Pinoculus patri – subito ad ludum litterarum ibo.

– Recte, puer!

Josephetus, quoniam pauper erat perulasque gerebat nummorum prorsus inanes, parvam vestem ei ex charta floribus ornata confecit, jugum calceamentorum ex cortice arboreo, et pileolum ex medulla panis.

Pinoculus subito properavit ad se in catino aqua pleno adspiciendum et tam contentus fuit, ut dixerit glorians:

– Ego equidem videor esse dives!

– Vere! – inquit Josephetus – nam hoc noli oblivisci, non pulchrum scilicet vestimentum honestatem homini addere, sed potius vestimentum mundum.

– Ad rem loquar, – addidit Pupulus – ut scholae intersim semper aliquid mihi deest: quin immo deest mihi maximum quod optimumque est.

– Ain'?

– Mihi *Abecedarius* deest.
– Facillimum quidem; ibimus ad librarium et ememus illum.
– Et pecunia ubi?
– Ego equidem non habeo pecuniam.
– Ne ego quidem, – inquit senulus ille tristem vultum componens.

Et Pinoculus quamvis puer laetissimus esset et ipse contristari coepit; nam egestatem veram omnes intellegunt etiam pueri.


– Patientia utamur! – illico clamavit Josephetus consurgens pedibus; et obsoletum sagum xylinum indutus, panniculis mendisque distinctum, festinus domum reliquit.

Paulo post rediit; et ubi rediit, obtulit Abecedarium filio, sed sagum non gerebat amplius. Miser ille tectus tantum apparebat indusii manicis, et foris ningebat.

– Et sagum, pater?
– Vendidi illud.
– Cur illud vendidisti ?
– Quod me calefaciebat. –

Pinoculus raptim intellexit verba haec et cum non posset impetum animi continere, in collum insiluit Josepheto, vultumque ipsius osculis fatigare coepit.

CAPITULUM NONUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus Abecedarium vendiderit, ut gustare posset spectaculum in pupulorum theatridio.

Pinoculus, pulchro et novo Abecedario sub axillis adstricto, simul ac ningere cessavit, viam quae ad ludum litterarum ducebat ingressus est: iterque percurrens cerebello suo fictas cogitationes vertebat innumerasque inania captans quae species magis magisque pulchras obiciebant ei. Et secum ipse meditans dicebat:

– Hodie in schola cito volo litteras discere et legere: eras deinde scribere, ac postridie computare discam. Deinde peritiam adeptus ego multam pecuniam acquiram et, prima pecunia acquisita, patri meo pulchram chlamydem ex panno comparabo. At quid pannum loquor? Immo argenteam et auream omnino et globulis ex pretiosissimis gemmis ornatam conficere volo. Et misellus ille vere tali chlamyde dignus est: ipse enim, ut vere dicam, ad libros mihi emendos atque me erudiendum solo indusio tectus exstitit ... hisce frigoribus! Nullum hominem invenias paratum jacturas quaslibet perpeti, si patres exceperis! –

Ipse animo penitus commoto ita loquebatur, cum fistularum et percussorum tympanorum concentum quendam procul audire arbitratus est: *pi–pi–pi*, *pi–pi–pi*, ... *zum, zum, zum, zum*.

Stetit ille et aures intendit. Sonitus illi exibant a via quadam longissima et obliqua, quae ducebat ad oppidulum in litore maris extructum.

– Quidnam musica haec sibi vult? Male mihi nunc accidit, quod ad scholam

iturus sum, secus ... –

Et anceps stetit. Attamen consilium capere necesse erat: aut ad scholam aut ad audiendas fistulas.

– Hodie ad audiendas fistulas ibo, et cras ad scholam: tempus eundi ad scholam non deerit mihi unquam, – inquit extremo lascivus ille puerulus humeros allevans.

Dictum, factum. Viam obliquam iniit et velociter currere coepit. Quo ocius currebat, eo clariorem sonitum fistulae et percussi tympani excipiebat: *pi, pi, pi; pi, pi, pi; pi, pi, pi*; ... *zum, zum, zum, zum*.

Et ecce in aream multitudine hominum frequentem pervenit, qui se conglobabant circa magnum ligneumque tabernaculum, quod mille coloribus picta tela decorabat.

– Quid est illud pictum tabernaculum? – quaesivit Pinoculus vertens se ad puerulum quendam oppidanum qui forte aderat.

– Lege titulum scriptum et scies.

– Legerem illum libenter sane, sed hodie, ut vere loquar, legere nescio.

– Macte, bos! At ego legam illum tibi. Scito ergo in illo titulo hoc esse litteris rubris et quasi ignitis scriptum:

PUPULORUM MAGNUM SPECTACULUM

– Quamdudum comoedia initium sumpsit?

– Nunc est initium.

– Et quonam pretio ingrediar?

– Quattuor nummulis. –

Pinoculus laborans febri quadam curiositatis, omni modestia amissa nulloque retentus pudore, puerulo, quem alloquebatur, dixit:

– Commodes mihi, amabo, quattuor nummulos usque ad mane?

– Libenter eos tibi commodarem, – respondit puerulus deridens eum, – sed hodie quidem nequeo.

– Quattuor nummulis tibi tuniculam vendo, – tunc Pupulus.

– Quid proderit mihi tunicula ex charta picta? Qua, si pluvia perfunditur, nullo modo me exuere potero?

– Vin' meos calceolos emere?

– Ad ignem alendum apti sunt.

– Quanti vis hunc pileolum meum emere?

– Pulchra sane possessio pileolus hic ex medulla panis confectus! Forte accidere potest ut mures in capite comedant illum. –

Pinoculus animo quidem spinis angebatur. Extrema oblaturus erat; sed animus deerat illi; haesitabat, vacillabat, dolebat. Postremo sic ait:

– Quattuor nummulis vis emere hunc novum Abecedarium?

– Ego sum quidem puer; nihil emo a pueris, – inquit puerulus ille cum quo loquebatur rectius sane judicans.

– Quattuor nummulis Abecedarium acquiro ego tuum, – clamavit venditor pannorum obsoletorum, qui sermoni forte adfuerat. Et Abecedarius ibi veniit e vestigio.

Hoc vero animo recogita: Josephetum miserum hominem domi mansisse, ibique frigore tremuisse solo indusio tectum, eo quod Abecedarium emisset filio suo.

CAPITULUM DECIMUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo pupuli agnoscant Pinoculum fratrem, quem magna cum exultatione excipiunt, et repente egrediatur Igniphagus neurospasticus et Pinoculus periclitetur misera sorte interire.

Ubi Pinoculus theatridium ingressus est, ea res accidit ut quasi rerum magna perturbatio exorta sit. Hoc vero scire oportet aulaeum jam sublatum esse et comoediam initium sumpsisse.

In scaena autem Arlecchinus et Pulcinella conspiciebantur, inter se litigantes et, more solito, minantes jam jam vicissim fustibus et alapis se graviter mulcaturos.

Omnes qui in cavea media attente spectabant, audientes altercationem duorum pupulorum, qui gesticulabantur et ignominiis inter se obruebant, quasi reipsa duo rationis participia animalia aut nostrae aetatis homines, risu quodam laetissimo usque ad intestinorum redigebantur dolorem[6].

Et ecce repente Arlecchinus rem agere in scaena desinit et ad spectatores se convertens et aliquem indicans in extrema cavea, more tragico, exclamare coepit:

– O numina caelestia! Somnio an vigilo? Atqui ille quem infra aspicio Pinoculus est! ...

– Pinoculus est quidem! – clamat Pulcinella.

– Ipse est sane! – domina Rosaura clamitat ab extrema scaena caput emittens.

– Pinoculus ecce est, Pinoculus ecce est ! – conclamant uno ore pupuli e postscaenio exultantes. – Pinoculus, frater noster Pinoculus! Pinoculus! ...

– Pinocule, huc ascende ad me, – clamat Arlecchinus – et inter brachia tuorum ligneorum fratrum proice te! –

Hac dulci invitatione Pinoculus exsilit et ab extrema cavea ad primas sedes vadit: deinde, iterum exsiliens e primis locis symphoniae rectoris ascendit caput, et illinc in scaenam insilit. Nemo fingere potest amplexus, collorum compressus[7], amicas vellicationes atque ictus cucurbitarum ad ostendendam veram et sinceram fraternitatem, dum Pinoculus, in tanta rerum perturbatione, excipitur ab utriusque sexus histrionibus illius dramatico–vegetalis societatis.

Hoc spectaculo animos esse commotos, id facile intellegitur; sed qui in cavea spectabant, cum animadvertissent comoediam non ultra procedere, moram illam aegre passi sunt, et clamare coeperunt:

– Volumus comoediam! Volumus comoediam!

Sed omnia verba inania; nam pupuli lignei potiusquam scaenam continuarent, iterum perstrepuerunt et clamaverunt, et Pinoculum humeris impositum et triumphantem ad proscaenii lumina duxerunt. Tunc egressus est neurospastorum Magister, tam corpulentus homo tamque foedus, ut, primo

6 risu quodam laetissimo usque ad intestinorum redigebantur dolorem: si mandavano a male dalle grasse risate
7 collorum compressus: strizzate di collo

aspectu, terrorem iniceret.

Barba horrida et atra erat illi et similis atramenti maculae, et tam longa, ut a mento ad terram descenderet; hoc satis sit dicere, quod ipse ambulans pedibus calcabat illam. Oris illius hiatus ut furnus latus erat, oculi similes duabus lanternis vitreis rubri coloris, quarum lumen posteriore ex parte accenditur. Ipse vero, magno quodam, quod manu arripuerat, flagello serpentinis vulpinisque caudis contexto, crepitum faciebat.

Simul atque improviso neurospastorum Magister ille apparuit, vox omnibus faucibus haesit.

Muscae quasi volatum audires. Pupuli illi miseri, mares foeminaeque, ut folia tremebant omnes.

– Cur ad meum turbandum theatrum venisti? – quaesivit pupulorum Magister ex Pinoculo, magna voce Orci, cuius caput misere gravedine tentatur.

– Hoc crede, clarissime vir, culpam mihi non esse tribuendam.

– Satis sic. Nam hoc vespere nostras rationes aequabimus. –

Itaque cum actio comica ad exitum pervenisset, neurospastorum Magister in culinam properavit, ubi pulchrum ad cenandum sibi arietem paraverat, qui veru fixus lente volvebatur. Et cum ei satis lignorum non esset ad percoquendum et assandum illum, Arlecchinum et Pulcinellam vocatos sic allocutus est:

– Afferte huc, quem clavo fixum inveneritis, pupulum ad me. Nam pupulus vere ex ligno aridissimo videtur esse confectus et non dubito quin, in ignem injectus, pulcherrimam circa assam carnem flammam excitaturus sit. –

Primo autem Arlecchinus et Pulcinella haesitaverunt, sed magno erili horribilique oculorum obtutu territi, obtemperaverunt; et paulo post in culinam redierunt, in brachiis ferentes Pinoculum miserum, qui, distorquens se quasi anguilla extra aquam, clamabat desperans:

– Pater mi, serva me. Mori nolo! ... Mori nolo! ... –

CAPITULUM UNDECIMUM

In hoc capitulo ostenditur quomodo Igniphagus sternutans veniam Pinoculo concedat, qui deinde a morte amicum suum Arlecchinum defendit.



Igniphagum (hoc nomen erat ei) neurospastorum Magistrum terribilem hominem apparere hoc non negaverim, praesertim propter atram foedamque illam barbam, quae ipsius pectus totum et crura tegebat subligaris instar; attamen non pravo ingenio praeditus homo videbatur.

Quod eruitur ex hoc quod Igniphagus, ubi vidit afferri sibi miserum illum Pinoculum in omnes se jactantem partes, ululantem «nolo mori», «nolo mori», subito turbari et misericordia moveri coepit et, quamvis diutius restitisset, postremo nihil valuit et sonorissimum sternutamentum emisit.

Illo nondum sternutamento emisso, Arlecchinus, qui, usque ad id tempus maestus fuerat et deflexus sicut salix babylonica, perhilarem vultum ostendit, et ad Pinoculum incurvatus haec submisse eius ad aures insusurravit:

– Omina fausta tibi, frater. Nam neurospasticus magister sternutavit; quod

manifestat eum scilicet misertum esse tui et te salvum esse. –

Hoc autem scire oportet: etsi homines omnes, cum miserentur alicuius, aut lugent aut, saltem, simulant oculos sibi tergere, Igniphagus contra, quotiescumque vere misericordia movebatur, hoc sane sternutandi vitio laborabat.

Quod, ut quilibet alius, solitus erat ipsius mos patibilem piamque naturam manifestandi.

Igniphagus, cum sternutavisset, ostendens adhuc severiorem vultum, ad Pinoculum clamavit:

– Desine flere! Nam lamentationes tuae in imo stomacho fastidium mihi quoddam excitaverunt ... ita excrucior, ut fere fere ... *etcì ... etcì* ...! – et alia duo sternutamenta emisit.

– Prosit tibi, – Pinoculus inquit.

– Gratias ago! Et pater tuus et mater tua adhuc vivunt? – ex eo quaesivit Igniphagus.

– Pater vivit; matrem vero nunquam cognovi.

– O quanto pater tuus dolore afficeretur, si ego te in accensos carbones inici juberem! Infelicem senem! Illius me miseret! ... *etcì* ... *etcì ... etcì ...* – et alia tria sternutamenta dedit.

– Prosit tibi, – Pinoculus inquit.

– Gratias ago tibi! Ceterum etiam mihi ignoscant necesse est; nam, ut vides, mihi ligna non sunt, quibus illum arietem percoquam usque ad assam carnem, et tu hac in re, vere loquor, magnae mihi utilitati fueras. At tandem me tui misertum est et patienter agam. Pro te vero aliquem meae Societatis ligneum pupulum in ignem mittam sub veru. Eia, properanter, armiferi! –

Hoc jussu duo armiferi apparuerunt: lignei, longissimi, aridissimi, opertis capitibus petaso quodam ad morem lucernae ficto; et manibus rumpiam destrictam gerebant.

Tum pupulorum Magister voce rauca dixit eis:

– Corripite mihi Arlecchinum illum, ligate eum arctissime, deinde mittite eum in ignem ad comburendum. Volo enim meum arietem bene assari. –

Vobis mente fingite miserum Arlecchinum! Tantus eius pavor fuit, ut crura illi inflecterentur procumberetque pronus in terram.

Pinoculus contemplans illud spectaculum miserandum ad pedes neurospastici Magistri se proiecit effuseque lugens lacrimisque aspergens longissimae barbae capillos voce supplici dicere coepit:

– O te misereat, domine Igniphage.

– Hic non sunt domini! ... – respondit severe neurospasticus.

– Te misereat, domine Eques! ...

– Hic equites non sunt! ...

– Misereat te, domine Commendator! ...

– Hic non sunt commendatores.

– Misereat te, excellentissime vir! ...

Tunc neurospastorum Magister, statim ac se excellentissimum appellari audivit, rotundum finxit osculum et improviso humanior et facilior factus, Pinoculo dixit:

– Quid ergo a me petis?

– Gratiam equidem a te peto pro Arlecchino misero!

– Hic nulli gratiae locus est. Si tibi peperci, illum in ignem mittam necesse est: nam meum arietem bene torreri volo.

– Hac in re, – clamavit Pinoculus ferociter, exsurgens et abiciens pileolum ex medulla panis – hac in re scio quodnam sit officium meum. Pergite, armiferi, huc accedite! Ligatum me in illas proicite flammas. Porro iniustum est miserum Arlecchinum, verum amicum meum, mori pro me! ...

Haec verba, elata voce et accentu heroico pronuntiata, effecerunt ut pupuli, qui eiusmodi spectaculo praesentes adessent, cuncti lacrimarentur. Armiferi quoque, quamvis lignei essent, flebant sicut duo lactentes agnelli.

Primo Igniphagus durus immotusque sicut glaciei fragmentum videbatur, sed deinde paulatim et lente ipse quoque commoveri atque sternuere coepit. Et quater vel quinquies cum sternuisset, brachiis dulciter apertis, Pinoculo dixit:

– Tu probissimus es puer! Veni, ad me osculandum, huc. –

Pinoculus subito cucurrit et, ascendens neurospastorum barbam Magistri sicut sciurus quidam, properavit osculum illi pulcherrimum in apice nasali deponere.


– Ergo gratia data est? – quaesivit miser Arlecchinus tam exili voce, ut vix audiretur.

– Gratia data est, – Igniphagus respondit; deinde capite nutans suspiransque addidit: – Patiendum sane! Nam hoc vespere, si comedam arietem meum semicrudum, patienter feram, sed alias, vae cui obtigerit ! ... –

Nuntio de accepta gratia allato, pupuli lignei in theatridii scaenam concurrerunt luminibusque et candelabris accensis, ut fieri solet inter vesperale magnificumque spectaculum, salire choreasque ducere coeperunt.

Illuxerat jam et adhuc choreas ducebant.

CAPITULUM DUODECIMUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo neurospastorum Magister Igniphagus donet quinque aureos nummos Pinoculo quos patri suo Josepheto afferat: Pinoculus. vero a Catto et Vulpe deceptus simul cum illis discedat.

Postero die Igniphagus in secretum locum Pinoculum vocavit et ex eo quaesivit:

– Quod nomen est patri tuo?

– Josephetus !

– Et quanam in arte se exercet?

– In arte pauperum.

– Multum ille lucratur?

– Tantum quidem lucratur quantum satis est ad gerendum ne nummum quidem in crumena. Hoc vera cogita quod ad mihi abecedarium librum emendum sagulum illud quo tegebatur vendere coactus est: sagulum quod panniculis sarturisque omnino vulneratum videbatur.

– O miserum egenumque hominem! Me quasi illius miseret. Ecce! Tibi accipe quinque hos aureos nummos. Hos festinanter ad illum afferto et vehementer, nomine meo, illum salutato. –

Pinoculus, hoc facile cogitari potest, millies neurospastorum magistro gratias egit; amplexus est singulos Societatis pupulos ligneos, armiferos quoque; et,

propter gaudium extra se factus, iter suscepit ut ad domum suam rediret.

At nondum quingentorum passuum iter fecerat, cum ex itinere in Vulpem altero pede claudam et in Cattum utroque oculo caecum incidit, qui ambulabant haesitantes, opemque invicem inter se praebebant, ut inter socios accidit calamitatis.

Vulpes, cum esset clauda, ambulabat Catto innixa; et Cattus caecus a Vulpe dirigebatur.

– Salve, Pinocule, – inquit Vulpes humaniter eum salutans.

– Qui fit ut meum nomen scias?– ex ea quaesivit Pupulus.

– Novi sane patrem tuum.

– Ubinam illum vidisti?

– Heri vidi illum ad portam domus tuae.

– Et quid agebat?

– Solo indusio coopertus erat tremebatque frigore.

– O miser pater! Attamen, Deo adiuvante, hinc in posterum non tremet amplius!

– Cur?

– Quia basilicus factus sum ego.

– Basilicusne tu? – inquit Vulpes, et ridere coepit rustico quodam risu et dicaci; et Cattus ipse ridebat, sed ne ostenderet hoc pediculis anterioribus sibi labri superioris pilos depectebat.

– Minime quidem deridendus sum, – clamavit indignanter Pinoculus. – Me piget sane quod vobis salivam moveo; at, si calletis haec, hi sunt quinque pulcherrimi ex auro nummi. – Et extraxit nummos, quos ei Igniphagus donaverat.

Quibus nummis pulchre tinnientibus, Vulpes motu improviso crus distendit quod torpidum videbatur, et Cattus oculos ambos, lampadibus viridibus similes, diduxit; sed deinde iterum illos subito clausit, et re quidem vera nihil Pinoculus sensit.

– Et nunc – ex eo quaesivit Vulpes – quid de istis nummis facere vis?

– In primis – respondit Pupulus – patri meo pulchrum et novum sagulum acquiram aureum omnino et argenteum, gemmarumque globulis distinctum; ac deinde Abecedarium mihi comparabo.

– Tibi comparabis?

– Utique: nam in scholam ire atque me studio tradere alacriter volo.

– Respice me, – inquit Vulpes –. studio vano discendi crus amisi.

– Respice me – inquit Cattus – studio inani discendi aciem oculorum perdidi. –

Interea alba Merula quaedam, quae saepe secus viam insidebat, solitam vocem edidit et dixit:

– Noli, Pinocule, quaeso, improba sociorum consilia sequi; secus tibi poenitendum erit! –

Infelix Merula! Utinam nunquam hoc dixisset. Cattus, magno saltu, in illam irruit neque ei momentum ut diceret «Ohi» reliquit totamque illam cum pinnis devoravit. Quam cum comedisset, ore deterso, iterum clausit oculos atque ut antea caeci hominis partem agere coepit.

– Infelix Merula! – inquit Pinoculus Catto, – cur illam sic mulcasti?

– Hoc quidem egi ut docerem illam. Itaque alias discet aliorum non interloqui sermonibus. –

Jamque plus dimidium itineris perrexerant, cum Vulpes improviso consistens

dixit:

– Visne aureos tuos nummos duplicare?

– Ain'?

– Vin', quaeso, ex quinque aureis, centum, mille, duo milia lucrari?

– Utinam! At quomodo?

– Modus facillimus est. Potiusquam ad domum tuam redeas, fac nobiscum ut venias.

– Quorsum vero me ducere vultis?

– Ad oppidum Bubonum.

Pinoculus parum cogitavit, deinde firmo animo dixit:

– Minime, non veniam illuc. Jam sum prope domum, ac domum redire volo, ubi pater meus me exspectat. Quis scit quamdiu suspiraverit heri, pauper senex, qui non viderit me revertentem! Dolendum hoc sane quod improbus filius fui et Gryllus Loquens recte loquebatur dicens: «Pueri haud oboedientes in hac vita beati esse non possunt». Quod meo detrimento expertus sum; nam multas in miserias incidi, et heri etiam in domo Igniphagi periculum adii ... Brr! vixdum reminiscor haec, pellis quidem mea excutit aristas[8].

– Ergo, – inquit Vulpes, – ad domum tuam redire quidem vis? Abi sis, ac tanto pejora accident tibi!

– Tanto pejora tibi! – Cattus iteravit.

– Bene considera haec, Pinocule, qui fortunam calce ferias.

– Fortunam! – inquit iterum Cattus.

– Tuos quinque aureos considera ab hodie in crastinum usque ad duo milia crescere potuisse.

– Duo milia – iteravit Cattus.

– At qui fit, ut tam multi aurei fiant? – quaesivit Pinoculus ore hiante atque stupente.

– Rem subito ostendam tibi – dixit Vulpes. – Hoc igitur scias oportet: in regione Bubonum fortunatum esse agrum, quem Miraculorum agrum appellant omnes. Parvam foveam in hoc agro fodis et in eam exempli gratia aureum introducis. Deinde foveam parva quantitate terrae tegis: eam duabus, quas ex fonte hauseris, aquae situlis irroras, parum salis super imponis ac, vespere facto, placidus dormitum abis. Interea, nocte labente, aureus germinabit et florebit et mane postero ubi surrexeris, ad campum rediens, quidnam invenies? Pulchram arborem invenies onustam tot aureis, quot frumenti granis, mense Junio, pulchra oneratur arista.

– Ergo, agedum, – inquit Pinoculus magis magisque stupens, – si meos quinque in illum agrum defodiam, mane postero, quot aureos inveniam?

– Facillima haec ratio quidem – Vulpes respondit –; rationem hanc extremis digitis instituere ipse potes. Hoc finge: unumquemque ex aureis tibi reddere quingentorum aureorum corymbum: fac multiplices quingentos quinquies et mane postero in crumenis invenies duo milia et quingentos aureos fulgentes atque sonantes.

– O mirandum sane! – clamavit Pinoculus exultans gaudio – simul atque aureos hos collegero, duo milia ex iis capiam mihi et quingentos reliquos utrique vestrum donabo.

– Donum nobis? – clamavit Vulpes indignans et hoc in contumeliam accipiens. – Deus averruncet!

– Averruncet! – iteravit Cattus.

8 vixdum reminiscor.... pellis quidem mea excutit aristas: mi viene i bordoni solo a pensarci

– Nos enim – coepit dicere Vulpes – non turpis lucri gratia operam impendimus; nos operam damus tantum ut alios divitiis cumulemus.

– Alios – iterum dixit Cattus.


– Quam probi viri – intra se Pinoculus cogitabat; et oblitus, illico extemploque , et patris et novi saguli, Abecedarii, susceptorumque consiliorum, dixit Vulpi et Catto :

– Abeamus ergo. Veniam vobiscum. –

–

CAPITULUM DECIMUM TERTIUM

Caupona «Cancri Rubri».



Ac tres comites illi actutum ambulant et ambulant et ambulant; denique primo vespere, usque ad mortem itinere fessi, ad cauponam quandam, cui nomen Cancer Ruber, perveniunt.

– Consistamus hic aliquantum, – inquit Vulpes – saltem ut frustulum comedamus et aliquot horas quiescamus. Media autem nocte rursum proficiscemur, ut cras, prima luce, ad Campum miraculorum perveniamus.–

Cauponam ingressi tres illi socii ad mensam accubuerunt; at nemo ex tribus iis cibum appetebat.

Infelix Cattus, quoniam graviter ex stomacho laborabat, comedere nil aliud potuit quam triginta quinque mullos barbatos lycopersico condimento intinctos et quattuor partes omasi parmensi caseo conditi; et quoniam omasum non satis bene conditum videbatur, ter petere ausus est et butyrum et caseum. Vulpes et ipsa libenter aliquid delibasset: at quoniam medicus modicissimo uti cibo eam docuerat, hac de causa debuit delectari uno lepore dulci et forti, quem levissimo ambitu gallinulae fartae pullique primi cantus circumibant. Post leporem jussit sibi afferri ad gustum titillandum delicatum quoddam ex perdicibus, ex avibus externis, ex cuniculis, ex lacertis, et ex mellea perdulcique uva minutal[9]; et nil deinde voluit aliud. Tantum propter cibum, fatebatur ipsa, nauseabat, ut nil ad os apponere posset. Pinoculus minus cibi quam ceteri sumpsit. Petivit spicum nucis et crustulum panis et in ferculo omnia reliquit. Miser ille puer semper animum intendens ad Campum miraculorum, anticipaverat cruditatem quandam aureorum nummum. Post cenam Vulpes cauponi dixit:

– Da, quaeso, duas aptas cellas nobis: alteram domino Pinoculo, et alteram mihi et socio meo. Antequam rursum proficiscamur, brevem somnum captabimus. Memento vero nos ad mediam noctem excitari velle ad nostrum iter continuandum.

– Ut vobis lubet, domini, – caupo respondit et nictatus est Vulpi et Catto, quasi diceret: «Intellego quid vobis velitis et inter nos satis convenit ».

Pinoculus vix cubile ingressus, illico obdormiit et somniare coepit. Et somnians ipse sibi videbatur in medio campo esse, et campus plenus esse

9 delicatum quoddam ex perdicibus, ex avibus externis.... minutal: un cibreino di pernlcl. di starne...

videbatur arbusculis corymbiferis, et corymbi onusti esse videbantur aureis nummis, qui vento agitati nutabant, concentumque quendam ciebant, *zin zin zin*, quasi dicerent: «Si quis nos desiderat, properet ad nos arripiendos».

At cum Pinoculus pulcherrimo in discrimine fuit, cum, scilicet, manum extendit, ut abundanter pulchros illos aureos decerperet et in crumenam illos absconderet, improviso experrectus est, ostio cellae tribus violentissimis ictibus percusso.

Erat caupo qui venerat ad illum admonendum mediam jam noctis horam esse elapsam.

– Et socii mei parati sunt? – quaesivit ex eo Pupulus.

– Paratissimi, edepol! Abierunt enim his duabus horis.

– Cur tanta properatio?

– Eo quod Cattus legationem suscepit: cattulum suum natu maiorem, laborantem ex pernionibus pedum, in periculo vitae versari.

– Et sumptus cenae solverunt?

– Quid tibi videtur? Etenim illi urbaniores sunt quam ut injuriam huiusmodi afferant tibi, qua excellentia nites.

– Perincommode hoc sane accidit! Nam iniuria huiusmodi plurimum delectationis attulisset mihi! – Pinoculus inquit, caput sibi perfricans. Dein quaesivit:

– Et probi illi amici ubinam dixerunt se exspectaturos me?

– In Campo miraculorum, cras, luce prima. –

Pinoculus uno aureo cenam suam et sociorum solvit, dein profectus est.

Sed hoc dici potest: Pinoculum profectum esse, tentabundum: nam extra cauponam tam densae ingruebant tenebrae ut nil hinc illuc dispicere posses. Per agros circa foliorum fremitum non audires. Aliquae tantum nocturnaeque aves viam a saepe ad saepem pertranseuntes alis Pinoculi nasum tundebant, qui, pavore resiliens, clamabat:

– Quis illuc abit? – et repercussa vox circumstantium collium dicere procul: «Quis illuc abit? Quis illuc abit? Quis illuc abit?»

Interea ambulans aspexit in trunco arboris bestiolam quandam luce pallida simulque opaca micantem, instar quidem nocturnae faculae in argillacea lampade pellucentis.

– Quis es? – ex ea Pinoculus quaesivit.

– Ego umbra sum Grylli Loquentis, – respondit bestiola, voce quadam tenuissima, quam ab inferis locis egressam crederes.

– Quid a me vis? – Pupulus quaesivit iterum.

– Tibi consilium dare! Retro vade et quattuor reliquos aureos affer, agedum, patri tuo misero, qui desperans luget, quod nondum te viderit.

– Cras pater meus magnus et dives homo fiet; nam hi quattuor aurei duo milia fient.

– Noli credere, puer mi, iis qui tibi divitiarum splendorem a mane ad vesperum pollicentur. Hoc enim accidere solet, ut isti sint aut insani aut fallaciarum machinatores! Agedum, mihi obtempera, vade retro.

– At ego procedere volo ...

– Hora est sera! ...

– Procedere volo.

– Defluit, edepol, opaca nox ...

– Procedere volo.

– Iter periculosum ...

– Procedere volo.

– Hoc memento: pueros lascivos omniaque libito suo agentes serius ocius poenitebit.

– Solitae fabellae! Grylle, fortunatam noctem ominor tibi.

– Fortunata nox, Pinocule, tibi, et utinam Di te liberent et a rore et a latronibus. –

Vix Gryllus Loquens haec verba locutus, improviso exstinctus est, sicut lumen exstinguitur, si in illud flaveris, atque via tenebrosior quam antea facta est.

CAPITULUM DECIMUM QUARTUM



Pinoculus, Grylli Loquentis, rectis despectis consiliis, in latrones incidit.

– Profecto, – inquit intra se Pupulus suscipiens iter – quam miseri nos pueri! Omnes enim nos increpant, omnes nos admonent, omnes nobis consilia praebent. Omnes homines, si eos loqui patiaris, hoc sibi persuadeant, se patres et magistros nostros esse: omnes, etiam Grylli Loquentes. Et ecce: cum non secutus sim consilia illius fastidiosi Grylli Loquentis, quot calamitates necesse est, ex sententia eius, in posterum occurrant mihi. Etiam latronibus occurrendum est mihi! Hoc vero male non accidit mihi quod latrones esse non arbitror, nec unquam arbitratus sum. Latrones, sic opinor, ficti sunt quidem a patribus ad pueros terrendos qui exire noctu cupiunt. Quid vero? Etiam si in via eos inveniam, num timorem mihi incutiant? Minime prorsus incutiant. Proxime ad eos accedens, in eorum vultum inclamem: «Clarissimi latrones, quid vobis et mihi est? Hoc mementote quod jocos minime admitto! Ite igitur ad negotia vestra et obmutescite!». Hac mea seria promptaque loquacitate, miseri illi latrones quasi ventus mihi videntur ituri. Si forte tam inurbani erunt, ut fugere nolint, tunc ego fugiam et finem faciam... –

Hunc autem sermonem Pinoculus absolvere non potuit, quia tunc post se levissimum foliorum fremitum audire arbitratus est. Respexit et in tenebris vidit duas horridas nigrasque figuras duobus horridis carboniferis saccis obvolutas, quae ipsum saltuatim suspensoque gradu, tamquam duo spectra, insequebantur.

– Ecce illi vere! – inquit intra se: et nesciens quomodo absconderet quattuor aureos, in os sibi introduxit illos et quidem sub linguam.

Deinde fugere conatus est! Sed nondum primum gradum fecerat, cum se brachiis correptum animadvertit, et duas horrendas cavernosasque voces audivit, quae ipsi dixerunt:

– Aut crumena aut vita! –

Pinoculus, aureis in ore absconditis, cum non posset respondere verbis, millies putide inclinato corpore salutavit et millies pantomimice egit, ut illos saccis obvolutos homines quorum oculi per foramen saccorum apparebant, in persuasum adduceret se miserum Pupulum esse sibique ne fictum quidem centesimum in crumenis esse.

– Apage, apage! Minus verborum et extrahe pecuniam – minaciter duo latrones illi inclamare.

Et Pupulus capite nutat et manibus, quasi dicat: «Pecuniam non habeo ».

– Emitte nummos aut morieris mox, – inquit latro statura major.

– Morieris mox – alter inquit iterum.

– Ac, te necato, patrem tuum quoque necabimus.

– Patrem tuum quoque.

– Absit, absit, ut patrem meum miserum necetis, absit! clamavit Pinoculus clamore terribili; sed, ita illo inclamante, nummi in ore eius insonuerunt.

– Ah, nequam vir! Ergo pecuniam sub linguam abscondisti. Exspue illam cito! –

Et Pinoculus durus fit.

– Ah tu surditatem simulas! Exspecta paululum et nos te cogemus aureos exspuere! –

Itaque alter eorum Pupulo verticem nasi arripuit, et alter longum mentum illi arripuit et illico coeperunt trahere illum inurbaniter unus hinc et alter illinc, donec eius patefacerent os: at nil profuit hoc.

Nam os Pupuli clavo fixo et retunso clausum esse videbatur. Tum is qui statura minor erat magnum cultrum extraxit, quem, vectis instar aut scalpri, in labia ipsius impingere conatus est: sed Pinoculus celer ut fulgur manum illius dentibus arreptam morsu abscidit et exspuit: et vobis fingite eius admirationem, quando pro manu animadvertit se in terram pediculum Catti exspuisse.

Hac prima victoria laetus, se vi ab unguibus latronum liberavit, et cum transiluisset saepem, quae erat secus viam, per agros fugere coepit. Et latrones post eum currere, ut duo canes post leporem; et qui pediculum amiserat, uno crure currebat, nec unquam quomodo id ageret scire potuimus. Post rapidum iter quindecim milium passuum, Pinoculum vires defecerunt. Tunc cum se perditum vidisset, ascendit truncum altissimae pinus et summis ramis insedit. Latrones quoque conati sunt illam ascendere, sed, cum ad medium truncum pervenissent, lapsi sunt et in terram procubuerunt et manus et pedes sibi abraserunt. At illos se victos esse non confessi sunt; quin etiam ex lignis aridis collectum fasciculum incenderunt. In ictu oculi pinus flagrare coepit et exardescere sicut candela ventis agitata. Pinoculus flammas animadvertens magis magisque crescere, cum mortem scilicet horreret assi columbi, ex summa arbore pulchre desiluit, et subito per agros perque vineas currere coepit iterum. Et post eum latrones semper currere, neque labore unquam frangi. Jam prima lux apparebat et adhuc illos cerneres inter se insectantes, cum improviso Pinoculus iter impeditum lata et profundissima fossa animadvertit, cuius foedissima aqua abundans kaffeariae potionis lactisque colorem imitabatur. – Quid faciam? Semel, bis, ter! – clamavit Pupulus: et magno impetu se praecipitans in ripam insiluit. Etiam latrones insiluerunt, et apte non metiti spatium «patapunfete», in mediam foveam inciderunt. Pinoculus, sonitum et aspersum aquae ubi animadvertit, clamavit ridens et currere pergens:

– Bene aspergimini, clarissimi latrones! –

Et iam sibi animo fingebat eos esse submersos, quando respiciens animadvertit illos insequentes se; et erant saccis obvoluti et aqua, tamquam duo calathi sine fundo, rorabant.

CAPITULUM DECIMUM QUINTUM



Latrones Pinoculum persequuntur, quem arreptum, ramo Quercus magnae *suspendunt.*

Tum Pupulus, animo cum defecisset, jam in eo erat ut in terram se proiceret et se victum fateretur, cum circumvertens oculos inter virides opacasque arbores domusculam quandam candidam, niveam et procul albescentem vidit.

– Si tantum mihi spiritus supersit, ut ad illam domum perveniam, forsitan salvus sim – inquit intra se. Et, ne parvo quidem momento interjecto, per silvam iterum magno cursu currere coepit. Et latrones post eius terga semper. Et fere duarum horarum post celerrimum cursum denique vehementer anhelans, ad portam illius domusculae pervenit et pulsavit. Nemo respondit. Iterum majore vi pulsare coepit audiens strepitum passuum et respirationem crassam et anhelitum persecutorum appropinquantium. Idem silentium. Cum intellexisset nihil proficere pulsando, spe dejectus, pedum capitisque ictibus portam percutere coepit.

Tunc e fenestra vultum protulit pulchra Puellula, caesiis capillis, candido ore, imaginis instar cereae, oculis clausis manibusque supra pectus consertis, quae nullo modo labia movens, arcanam quandam voculam modulans, dixit[10]:

– In hac domo nemo est. Omnes enim mortui sunt.

– Aperi mihi saltem tu! – clamavit flens Pinoculus se que commendans.

– Ego quoque mortua sum.

– At vero quidnam agis istic ad fenestram?

– Vespillones exspecto qui mox sandapila efferant me[11]. –

Vix ita locuta Puellula evanuit, et, nullo rumore edito, fenestra clausa est.

– O pulchra caesio capillo Puellula, – clamabat Pinoculus – aperi, quaeso, mihi! Te misereat pueri, quem insequuntur latron ... –

Sed non potuit concludere verbum, quia collum sibi corripi sensit et solitas duas horridas voces audivit minaciter increpantes:

– Non amplius effugies manus nostras! –

Pupulus videns mortem sibi ob oculos fulgurantem, tanto tremitu affectus est, ut trementi illi juncturae ligneorum crurum et quattuor aurei, sub lingua absconditi, personarent.

– Igitur? – ex eo quaesiverunt latrones, – vin' os aperire? Aperis annon? Ah, non respondes? ... Sine nos agere; quoniam, hac vice, nobis aperies os tuum! –

Atque extractis duobus magnis cultris et acutis more cultrorum tonsoris, *zaf*, illi inflixerunt duos ictus inter renes. Sed Pupulus benigna sorte confectus ex durissimo ligno erat: ex quo factum est, ut laminae perfractae et in mille fragmenta dilapsae sint et latrones ad invicem intuentes, manubriis cultrorum strictis, constiterint.

– Intellexi, – tum inquit alter eorum – suspendamus eum laqueo. Suspendamus!

---

10 arcanam quandam voculam modulans, dixit: disse con una vocina che pareva venisse dall'altro mondo

11 vespillones exspecto qui mox sandapila efferant me: aspetto la bara che venga...

– Suspendamus, – iterum inquit alter.

Nulla mora interjecta, manus ei ligaverunt post tergum et circumducto gutturi illius curraci laqueo[12], ramo arboris enormis, quam Quercum magnam appellabant, suspenderunt. Dein illic constiterunt in herba sedentes, exspectantes donec Pupulus extremam supplantationem faceret; sed Pupulus, post tres horas adhuc oculis apertis, ore clauso apparebat; et crura agitabat saepius vehementerque.

Postremo taedio affecti exspectandi, ad Pinoculum se verterunt et cachinnantes dixerunt ei:

– Salve in crastinum. Ubi cras huc revertemur, speramus te ita urbanum fore, ut te jam mortuum apertoque ore inveniamus. –

Et abierunt. Interea vehemens surrexerat aquilo, qui flando et bacchando huc atque illuc miserum suspensum jactabat, agitans eum vehementer, quasi malleus esset campanam festive percutiens. Et illa agitatio acutissimos cruciatus ei afferebat, et nodus currax, magis magisque gutturi adhaerens, impediebat eum quominus respiraret.

Paulatim oculi ei obscurabantur et, quamvis sentiret mortem appropinquantem, sperabat tamen semper mox fore ut quis pius adveniret homo auxilium laturus.


Sed ubi post longam exspectationem neminem vidit, neminem prorsus, tunc in mentem illi venit infelicis patris sui ... et quasi moriturus balbutivit:

– O pater mi, utinam hic esses! –

Nec satis spiritus ei fuit ut diceret aliud. Oculos clausit, os aperuit, crura produxit et, vehementer membris quassatis, illic quasi rigidus stetit.

CAPITULUM DECIMUM SEXTUM

In hoc capitulo ostenditur quomodo pulchra Puellula caesiis capillis Pupulum colligi jusserit atque in lectulo collocari, et tres medicos arcessat, ut resciat ipsa mortuus ille sit.



Dum pauper Pinoculus, a latronibus ramo magnae Quercus suspensus, magis mortuus quam vivus esse videtur, pulchra Puellula caesiis capillis iterum e fenestra os protulit et misericordia mota, videns miserum illum collo suspensum, praesultantem impetu aquilonari, ter manus simul percussit et tres parvos ictus edidit. Hoc signo magnus alarum sonitus, praecipiti cum impetu volantium, exauditus est, et magnus falco advolavit qui in projectura fenestrae insedit.

– Quid jubes, mea venusta Sospita Dea? – inquit demittens rostrum reverenter (nam scire oportet Puellulam caesiis capillis nil aliud esse revera quam optimam Sospitam, quae jam amplius mille annis illi nemori proxima habitabat).

– Nonne vides tu pendulum illum Pupulum ramo magnae Quercus suspensum?

– Video certe illum.

12 currax laqueus; nodo scorsoio

– Agedum: cito illuc vola: tuo fortissimo rostro rumpe nodum, quo ille sublimis suspensusque tenetur, et molliter eum in herba stratum ad imam Quercum pone. –

Falco avolat et, duobus momentis elapsis, redit dicens:

– Quod me jussisti factum est.

– Et quomodo illum invenisti? Vivum an mortuum?

– Observanti mihi mortuus esse videbatur, sed nondum omnino mortuus fortasse est; nam simul ac nodum curracem solvi circumstringentem illi guttur, suspirium emisit submisse balbutiens: «Nunc melius me habeo!» –

Tum Sospita, utraque palma plaudens[13], duos parvos ictus simul edidit et insigni corpore Canis barbatus apparuit, qui posterioribus cruribus innixus ambulabat, quasi non fictus homo esset. Canis magnifice barbatus ut auriga festiva veste indutus apparebat.

Caput enim eius tricorniger tegebat pileolus auro ornatus et album capillamentum cirris quibusdam cervice dependulis distinctum: tunica indutus apparebat mexicanae fabae picta colore, ornata margaritarum globulis, praedita etiam magnis crumenis ad ossa, quae post prandium domina praebebat illi, custodienda; bracae illi erant breves ex coccinea psila, serica tibialia, calceolique circa collum decisi, et post tergum umbellare quoddam tegumentum, totum ex serico caesioque textili ut, si forte pluisset, in illud caudam introduceret.

– Propera eja, Medore! – cani Sospita dixit. – Para cito ex meo equili carrucam pulcherrimam viamque ad silvam ferentem ingredere. Cum ad magnam Quercum perveneris, in herba prostratum, miserum Pupulum semimortuum invenies. Collige eum urbaniter, et pone eum recte, plane, super carrucae pulvinaria et affer illum ad me, huc. Intellexistin'? –

Canis barbatus, ut annueret se intellexisse, ter vel quater movit caesium tegumentum ex serico textili, quod post tergum habebat et sicut punicus equus profectus est. Paulo post ex equili egredi pulchra aërii coloris carrucula conspecta est, pinnis fringillae canariae omnino farta et intima parte tecta flore lactis spumescente floreque lactis cum sabaudiis crustulis[14].

Carrucula a centum jugis alborum musculorum trahebatur, et Canis barbatus in sella insidens flagello crepitum faciebat nunc ad dexteram nunc ad sinistram partem, quasi auriga timens ne moram fecerit.

Nondum elapso quadrante, carrucula rediit, et Sospita, exspectans in limine domus miserum Pupulum collo imposuit, et cum illum duxisset in cubiculum ex margaritarum conchis aedificatum, clarissimos vicinitatis medicos arcessivit.

Et medici cito pervenerunt, alius post alium: pervenerunt scilicet Corvus, Noctua et Gryllus Loquens.

– Scire cupio ex vobis, domini, – inquit Sospita se vertens ad tres medicos convocatos ad lectulum Pinoculi – scire cupio ex vobis, domini, utrum hic miser Pupulus mortuus an vivus sit! –

Hac interrogatione motus, Corvus, cum primus processisset, tentavit venarum Pinoculi pulsum; deinde nasum palpavit, postremo digitum minimum pedum; et cum eum tentavisset, haec sollemnia verba dixit:

– Mea quidem sententia, Pupulus jam mortuus est: quod si iniqua fortuna mortuus non sit, hoc indicium certum sit illum adhuc vivere!

– Illud me piget, – inquit Noctua – quod contradicendum sit Corvo, amico clarissimo et collegae; quod vero attinet me, dico Pupulum semper vivere; at si

13 utraque palma plaudens: battendo le mani insieme

14 intima parte tecta fiore lactis.... cum sabaudiis crustulis: foderata nell'interno di panna montata e di crema coi savoiardi

iniqua sorte vivus non sit, hoc indicium sit ipsum revera mortuum esse.

– Et tu nihil dicis? – quaesivit Sospita ex Gryllo Loquente.

– Ego dico prudentem medicum, quando nescit quid dicat, optime se habere si taceat. Ceterum Pupulus ille non praebet mihi vultum ignotum; ego enim jamdiu novi illum. –

Pinoculus qui usque ad illud tempus immobilis ut ligneum quoddam fragmentum fuerat, fremitu quodam et convulsione ita affectus est, ut totum lectum concusserit.


– Pupulus ille, – Gryllus Loquens dicere perrexit – fraudulentus est et longe iniquissimus ... – Pinoculus aperuit oculos et clausit subito. – Petulantissimus et ignavus et errabundus est puer iste. – Pinoculus os abscondit sub linteamina. – Pupulus ille est nihil oboediens filius qui miserum patrem suum moerore conficiet! ... –

Tunc sonitus in cubiculo repressus ploratuum singultuumque auditus est. Hoc vobis mente fingite: ut omnes obstupuerint, cum, paulum linteaminibus sublatis, animadverterunt flentem pupulum illum et singultientem Pinoculum esse.

– Quando mortuus plangit, hoc indicium est eum convalescere – Corvus sollemniter dixit.

– Illud autem me dolore afficit, quod clarissimo amico et collegae adversari debeo – Noctua subaddidit – sed, mea sententia, quando mortuus plangit, hoc sane iudicium est illum mortis pigere. –

CAPITULUM DECIMUS SEPTIMUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus saccharum manducet nolitque medicamentum purgatorium sumere; ac deinde, videns fossores venientes ad ipsum efferendum domo, medicamentum sorbeat ac denique ob dictum mendacium nasutus apparuerit.

Simul ac tres medici e cubiculo egressi sunt, Sospita ad Pinoculum appropinquavit, et, cum frontem illi tetigisset, sensit laborare magna quadam et incredibili febri.

Cum solvisset illa quendam album pulverem in scyphum, aqua semiplenum, dulciter illum Pupulo praebens dixit:

– Bibe, amabo te, et paucos post dies bene valebis. –

Pinoculus inspexit scyphum, os detorsit ac dein quaesivit voce lamentationis:

– Estne dulcis an amara?

– Amara est et tibi proderit.

– Si amara est nolo illam.

– Audi me, bibe illam.

– Quod est amarum, mihi non placet.

– Bibe illam, et cum biberis eam, globum sacchari tibi dabo, ut tibi gustum

reficias.

– Ubi est globulus sacchari?

– Ecce est hic, – Sospita dixit e saccharigero quodam vasculo aureoque illum trahens.

– Primum volo globulum gustare sacchari ac dein bibam illam amaram foedamque aquam.

– Hoccine mihi polliceris?

– Polliceor ... –

Sospita dedit illi globulum et Pinoculus postquam illum fregit ac deglutivit perniciter, sibi lingens labia, dixit:

– Pulchrum sane si saccharum medicamentum etiam sit. Quotidie tali purgatorio medicamento utar.

– Nunc serva promissum et paucas guttulas has sume, quae tibi salutem restituent. –

Pinoculus manibus aegre scyphum sumpsit et apicem nasi in illum impegit: deinde ad os apposuit: atque iterum apicem nasi impegit; demum dixit:

– Nimis amara, nimis amara! Nequeo illam bibere.

– Cur loqueris sic, si nondum illam gustasti?

– Mihi hoc fingo! Gustavi earn ex odore. Volo antea alterum globulum sacchari ... ac deinde bibam illam!... –

Tum Sospita, ut bona mater patientia plena, aliud frustulum sacchari in ore illius posuit; ac postea iterum scyphum ostendit ei.

– Hoc modo nequeo illam bibere! – Pupulus inquit millies os distorquens.

– Cur?

– Quia fastidio illud pulvinar, quod illic pedes meos premit. –

Sospita abstulit et pulvinar.

– Inutile est! Ne ita quidem illam bibere possum.

– Quidnam praeterea fastidis?

– Fastidio equidem cubiculi januam, quae semiaperta est. –

Sospita recessit et clausit ostium.

– Edepol, – Pinoculus clamavit in lacrimas erumpens – hanc amaram corruptamque aquam bibere nolo. Nolo, nolo, nolo.

– Puer mi, te id poenitebit ...

– Hoc quidem mea non interest ...

– Morbus tuus gravis est ...

– Hoc mea non interest ...

– Febris, intra paucas horas, te ducet ad inferas sedes.

– Hoc mea non interest ...

– Annon times mortem?

– Minime illam timeo! ... Potius mori, quam bibere illam insuavem medicinam. –

Hoc momento janua cubiculi patefacta est et ingressi sunt quattuor Cuniculi similes atramento, qui super humeros parvum ferebant feretrum ad sepeliendum.

– Quid a me vultis? – clamavit Pinoculus, ex lectulo exsurgens et omnino pavidus in illo sedens.

– Ad te efferendum domo venimus, – maximus ex Cuniculis respondit.

– Ad efferendum me? ... sed ego nondum mortuus sum! ...

– Nondum certe sed pauca vitae momenta tibi supersunt, quod noluisti medicinam bibere, quae a te febrim submovisset! ...

– O Sospita, O Sospita mea, – coepit tunc Pupulus exclamare – da mihi cito scyphum illum ... Appropera, quaeso, quia mori nolo, nolo, nolo mori ... Et ambabus manibus scyphum cepit, illumque uno haustu siccavit.

– Patientia utendum est! – Cuniculi dixerunt. Hac vice frustra iter fecimus!

Et feretro parvo iterum humeris imposito, e cubiculo egressi sunt murmurantes et dentibus frementes[15].

Re vera ita evenit ut, paucis momentis elapsis, Pinoculus e lectulo desiluerit jam sanus; nam sciamus oportet ligneos Pupulos hoc frui privilegio: quod raro aegrotant, citissime vero convalescunt. Et Sospita, videns illum cubiculo currentem et lascivientem alacrem et laetum, sicut gallulus primi cantus, dixit illi:

– Ergo medicina mea profuit tibi vere?

– Optime mihi profuit. Nam iterum me vitae restituit! ...

– At cur ita exorari voluisti ut illam biberes?

– Puerulorum mos est hic: magis timere medicinam quam mala!

– Pudeat! ... Pueruli hoc scire debent: bonum medicamentum, tempore opportuno sumptum, eos a gravi morbo eripere posse ... et fortasse etiam a morte.

– Alia vice profecto non patiar sic me exorari. Meminero illorum Cuniculorum nigrorum cum feretro super humeros ... et tunc subito manu capiam scyphum, et infundam deorsum ...[16]

– Nunc, quaeso, ad me veni et narra quomodo factum sit ut in latronum manus incideres.

– Factum est ita: Igniphagus, neurospastorum Magister, aliquot aureos nummos dedit mihi et dixit: «Accipe eos, et affer patri tuo!»; at ego contra in itinere Vulpem et Cattum inveni, honestissimas sane animas, qui mihi dixerunt: «Vin' nummos hos mille aut duo milia fieri? Veni nobiscum et ad Campum miraculorum te ducemus». Et ego dixi: «Eamus», et illi dixerunt: «Consistamus hic in caupona, quae Cancer ruber appellatur, et post mediam noctem proficiscemur». Et postquam ego experrectus sum, illos ibi non inveni jam, quia jam profecti erant.

Tunc ego in nocte ambulare coepi, tenebris, quas fingere nequeas, incumbentibus: ex quo factum est, ut in itinere duos latrones carbonariis saccis vestitos et involutos invenirem, qui dixerunt mihi: «Extrahe nummos», et ego dixi: «Non mihi hercle nummi sunt»; nam quattuor aureos nummos in os condideram, et unus ex latronibus conatus est manus in os meum inicere, et ego morsu manum illi abscidi et deinde illam exspui, sed, pro manu, pediculum exspui felinum.

Et latrones me insequi, et ego semper currere, quoad me attigerunt et collum meum ligaverunt huius nemoris ad arborem quandam dicentes: «Cras huc redibimus et tunc mortuus eris et, ore aperto, sic tibi auferemus aureos nummos, quos sub linguam condidisti».

– Et nunc quattuor aureos nummos ubi collocasti? – ex eo Sospita quaesivit.

– Eos amisi, – respondit Pupulus; sed mendacium dixit; nam illos in crumena tenebat.

Hoc mendacium simul ac dixit, nasus eius, jam longus, in longitudinem duorum digitorum crevit.

– Et ubi eos amisisti?

– In proximo nemore. –

15 dentibus frementes: bofonchiando

16 et infundam deorsum: e giù

Hoc altero mendacio, nasus crescere perrexit.

– Si eos amisisti in proximo nemore – dixit Sospita – eos quaeremus et inveniemus: quia omne quod in proximo nemore amittitur semper invenitur.

– Ah, nunc bene recordor – iterum dixit Pupulus se decipiens – quattuor nummos non amisi, sed inscius illos deglutivi vestram medicinam bibens. –

Hoc tertio mendacio, nasus ei tam mirabiliter excrevit, ut miser Pupulus nullam in partem se vertere posset. Revera si in hanc partem se verterat, nasum in lectulum percutiebat aut in vitream fenestrae laminam, si in illam partem verterat, parietem percutiebat aut januam cubiculi, si tantillum caput erexerat, periclitabatur in oculum Sospitae illum impingere; et Sospita ridens illum observabat.

– Cur rides? – quaesivit ex ea Pupulus, penitus confusus et cogitabundus propter nasum singulo quoque obtutu crescentem.

– Rideo propter mendacium quod dixisti.


– Quomodo scis me dixisse mendacium?

– Mendacia, puer mi, subito agnoscuntur: nam exstant mendacii genera duo: sunt mendacia scilicet brevibus cruribus praedita, et mendacia naso longo: tuum mendacium quidem est longo praeditum naso. –

Pinoculus, nesciens quidem ubinam, propter verecundiam delitesceret, conatus est e cubiculo fugere; at hoc non bene vertit ei.

Etenim nasus eius ita excreverat, ut non potuerit jam portam pertransire.

CAPITULUM DECIMUM OCTAVUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus invenerit Vulpem et Cattum et cum illis abierit properanter ad serendos quattuor aureos in Campo miraculorum.

Sospita, ut vobis fingere licet, Pupulum flere et clamare semis per horam et amplius, propter quod illius nasus, nullo modo, cubiculi januam pertransiret, passa est; quod sane ipsa egit, ut Pupulus, gravi huiuscemodi reprehensione, ab turpi mentiendi vitio se removeret, quod, praesertim in pueris, turpissimum vitiorum reputatur.

Sed cum illum transfiguratum aspexit, oculis extra orbem desperatione dilatatis, tunc pietate commota, simul palmas percussit et ad illud signum mille magnae aves cubiculum ingressae sunt, quas Picos vocant. Quae Pinoculi naso insidentes, rostro pungere tam vehementer coeperunt, ut, paucis momentis, nasus ille enormis et ingens ad naturalem formam redactus sit.

– Quam bona es, Sospita mea, – Pupulus inquit tergens oculos – et quam te diligo!

– Ego quoque te diligo, – respondit Sospita – et si vis manere mecum, eris tu frater meus minor et ego tua dulcis sororcula! ...

– Ego manerem libenter ... sed pauper pater meus?

– Omnia cogitavi. Pater enim tuus jam monitus est; et priusquam nox incipiat, erit hic.

– Ain'? – Pinoculus gaudio saliens clamavit, – ergo, Sospita mea suavis, si tibi hoc placet, velim occurrere illi! Vehementer momentum illud exspecto in quo

miserum illum senem osculari potero, qui tam multa propter me passus est!

– Abire tibi licet, sed cave ne in itinere deerres. Viam ad nemus ferentem suscipe et certissima sum fore ut illi occurras. –

Pinoculus profectus est; et vix nemus ingressus, tamquam capreolus currere coepit. Sed cum ad locum quendam pervenit, quasi in conspectu magnae Quercus, gradum retinuit, cum in suspicionem venisset se homines inter ramalia audivisse.

Et revera in via apparuerunt ei (divinetisne quinam apparuerint?) Vulpes et Cattus, idest duo itineris socii, quibuscum in caupona Cancri Rubri cenaverat.

– Ecce noster suavis Pinoculus! – Vulpes clamavit, illum complectens et deosculans.

– Quomodo tu hic?

– Quomodo ergo hic? – iteravit Cattus.

– Historia quidem longa est, – Pupulus inquit; – eam vobis cum licebit narrabo. Hoc autem scitote praeterita nocte, quando me solum in caupona reliquistis, quod latrones in via inveni! ...

– Latrones invenistine? ... O pauper amice! Et quidnam volebant?

– Mihi nummos aureos furari volebant.

– Infames! ... – inquit Vulpes.

– Infamissimi! – addidit Cattus.

– At ego fugere coepi, – dicens perrexit Pupulus – et illi post me currere, donec me attigerunt et ramo Quercus illius suspenderunt. – Et Pinoculus Quercum magnam designavit, quae illinc spatia duorum passuum aberat.

– Quid peius hoc audiamus? – inquit Vulpes; – qualem hominum perfidiam experiri damnati sumus! Ubi securum perfugium nos honesti viri inveniemus? –

Illis sic loquentibus , Pinoculus animadvertit Cattum claudum esse crure anteriore dextero; etenim deerat illi ima in parte totus cum unguibus pediculus; et ideo eum interrogavit:

– Quid de tuo pediculo fecisti ? –

Cattus aliquid responsurus erat, sed confusus est. Tum Vulpes dixit:

– Amicus meus nimis modestus est; ideoque nihil respondet. Respondebo ego pro eo. Scito ergo (hora jam elapsa est) secus viam nos in senem lupum incidisse, quasi exanimatum fame, qui a nobis parum eleemosynae petivit. Cum nihil nobis esset quod illi praeberemus, ne spina quidem piscis, quidnam amicus, animi quidem caesarei, fecit? ... Sibi abscidit dentibus pediculum crurum anteriorum et projecit ad illud miserum animal, ut jeiunium solvere posset. –

Et Vulpes, sic loquens , sibi lacrimam abstersit.

Pinoculus, et jpse commotus, ad Cattum appropinquavit in aures eius haec insusurrans:

– Si omnes Catti tui essent similes, o quam beati mures! ...

– Et nunc quid agis his in locis? – ex Pupulo Vulpes quaesivit.

– Exspecto patrem meum, qui adventurus est jam.

– Et tui aurei?

– Illos semper, si unum excipis quem in caupona Cancri Rubri expendi, in crumena habeo.

– Et cogita hoc, pro quattuor aureis, illos in mille et duo milia aureorum cras transmutari posse! Cur non accipis consilium meum? Cur non properas ad serendos illos in Campo miraculorum?

– Hodie hoc fieri non potest : alia vice ibo illuc.

– Alia vice sero erit, – inquit Vulpes.

– Cur?

– Quia ager ille emptus est a ditissimo viro et a crastino die in posterum ibi aureos serere non licebit cuiquam.

– Quanto intervallo Campus miraculorum abest hinc?

– Duobus tantum passuum milibus.

– Visne nobiscum venire? Post semihoram pervenis illuc; subito seris quattuor aureos; pauca post momenta colligis ex iis duo milia et hoc vespere crumenis plenis redibis huc. Visne nobiscum venire? –

Pinoculus parum haesitavit respondere, Sospitae suavis non oblitus, Josepheti senis, et admonitionum Grylli Loquentis; sed postea hoc egit quod pueri omnes imprudentes et immemores pietatis agunt; ad extremum, scilicet, capite leviter nutavit, et Vulpi et Catto dixit:

– Eamus ergo. Ego vobiscum venio. –

Et profecti sunt.

Qui cum iter fecissent dimidiam partem diei, ad urbem quandam, cui nomen Bardocipium erat, pervenerunt.

Pinoculus vix urbem ingressus, animadvertit omnes vias canibus depilatis esse frequentes propter famem oscitantibus, ovibus tonsis frigore trementibus, gallinis sine cristis et sine paleis, unius saltem grani zeae eleemosynam quaerentibus, magnis papilionibus, qui volare propter venditas pulcherrimas pictasque alas nesciebant, cauda mutilatis pavonibus, quos ab aliis conspici pudebat, et phasianis traquillius pedetemptim incedentibus, desiderantibus quidem micantes aureas pennas suas argenteasque, sed jam in perpetuo amissas. Per hanc mendicorum et pauperum timidorum turbam transibant interdiu carrucae quaedam insignes, quae aut aliquam vulpem aut aliquam picam caudatam et spoliatricem aut aliquam rapacem avem trahebant.

– Et Campus miraculorum ubi est? – Pin oculus quaesivit.

– Abest hinc duobus passibus.–

Dictum factum urbem pertransierunt et moenibus egressi in agro deserto constiterunt, qui ceteris omnibus agris fere ferme similis erat.

– Ecce nos pervenimus, – inquit Vulpes Pupulo; – nunc ad terram inclina te, parvam foveam manibus fodito, et in illam aureos introducito. –

Pinoculus oboedivit, foveam effodit, ibi posuit quattuor aureos qui superfuerant; ac deinde foveam aliquantula terra texit.

– Nunc vero, – Vulpes inquit – ito ad proximum canalem, haurito aquae situlam terramque, in qua aureos seminasti, perfundito. –

Pinoculus ad canalem iit et, apta situla deficiente, pedem calceolo nudavit: quo repleto, terram, qua foveam texerat, perfudit. Deinde quaesivit:

– Quid ultra faciendum est?

– Nihil ultra, – Vulpes respondit. – Nunc abire possumus. Tu vero huc redibis post viginti ferme temporis momenta et parvam arborem invenies jam e terra egressam cuius singillatim rami aureis nummis onusti tibimet apparebunt. –

Pauper Pupulus gaudio exsultans, millies Vulpi et Catto gratias egit et pulcherrimum donum eis pollicitus est.

– Nos munera non accipimus, – illae duae pestes responderunt; – nam nobis hoc satis est: nosmet artem scilicet te docuisse, qua dives sine labore fieres et laetissimi sumus paschali gaudio. –

Haec locuti Pinoculum consalutarunt, et, optimam messem ominati, ad sua negotia propere facessiverunt.

CAPITULUM UNDEVICESIMUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus, suis aureis spoliatus, in poenam huiusmodi spoliationis ad carcerern quattuor mensibus damnetur.

Pupulus in urbem ingressus singula momenta numerare coepit: et horam opportunam supervenisse arbitratus, subito iterumque viam suscepit ad Campum miraculorum ducentem. Et illi citato gradu ambulanti vehementer in pectore cor concutiebatur et pulsum edebat, *tic tac tic tac*, quasi exedrae oscillatorium horologium celeriter currens.

Interea secum haec cogitabat:

– Et si pro mille aureis in ramis duo milia inveniam? O qualis dives dominus tunc ego fiam! ... Et si pro duobus milibus inveniam quinque milia? ... Et si Pro quinque milibus inveniam centum milia? ... Velim pulchrum palatium possidere, mille ligneos equulos et mille equilia quibus me oblectem, cellamque odoratis plenam rubrisque liquoribus, bibliothecam denique scriblitis cumulatam et fistulosis offis et amygdalinis et crustulis spuma lactis obvolutis repletam. –

Itaque sibi somnia fingens ad proxima Campi pervenit ibique constitit, si quam forte arborem eiusque ramos aureis plenos videre posset; at nihil vidit. Aliis centum passibus progressus est; at nihil.

Tunc cogitabundus fit et urbanitatis praeceptorum, quae in Galataei traduntur libris, immemor, manum ex crumena extrahit caputque sibi diutissime molliterque scabit[17].

Interea magnam quandam cachinnationem sibi in aures sibilantern sensit, et sursum se vertens, magnum qui in arbore insidebat, Psittacum aspexit, ex paucis, quibus tegebatur, pennis pediculos belle decutientem.

– Cur rides? – ex eo quaesivit irata voce Pinoculus.

– Rideo quod sub alis me titillavi, ex me ipse pediculos decutiens. –

Pupulus non respondit. Properavit autem ad canalem et solito calceolo aqua repleto iterum terram aureos tegentem perfundere coepit. Et ecce alia cachinnatio, et priore petulantior in solitudine Campi illius audita est.

– O igitur, – clamavit Pinoculus irascens, – scire, quaeso, velim, inurbane Psittace, cur rideas.

– Rideo quidem propter bubones illos, qui omnibus credunt insulsitatibus et a callidioribus decipiuntur.

– Loquerisne de me?

– Utique, de te loquor, o infelix Pinocule, de te qui tam dulci sale praeditus es, ut putes denarios per agros seri et colligi posse, sicut revera phaseli et cucurbitae seruntur. Ego quoque hoc credidi quondam et hodie poenas solvo. Hodie (at serius quidem) hoc mihi persuasi: ad honeste nobis paucos nummos conferendos, aut nostrarum manuum labore aut nostro ipsorum ingenio illos

17 caputque sibi diutissime molliterque scabit: e si dà una lunghissima grattatina

lucrari necesse esse.

– Non intellego te, – Pupulus inquit qui jam pavore tremebat.

– Patientia utendum! Melius haec enucleabo tibi, – Psittacus addit. – Scito igitur hoc: cum tu esses in urbe Vulpem et Cattum ad Campum hunc redisse, abstulisse absconditos aureos nummos ac deinde pernicissimos fugisse. Et nunc si quis eos attingat, callidus est! –

Pinoculus similis puero hiante ore factus est, et verbis Psittaci credere nolens, terram, quam perfuderat, manibus et unguibus effodere coepit.

Et effode, effode, effode, tam profundam foveam effodit, ut palearium integrum et erectum in illam descendere posset; sed aurei illinc elapsi erant. Tum spe dejectus celeriter in urbem rediit, et ad tribunal recta perrexit, ut latrones, a quibus spoliatus erat, ad judicem deferret.

Judex erat simius ex genere Gorillarum: senex scilicet simius aetate provectus et venerandus, candida barba, et praesertim aureis perspicillis sine vitro, quae propter oculorum fluxionem ex qua multos jam annos laborabat continuo ferre cogebatur.

Pinoculus coram judice iniquam fraudem diligenter narravit, in quam ut victima inciderat: nomen cognomen et signa latronum manifestavit, ac denique ab eo petivit jus suum.

Judex eum multa cum benignitate audivit; studiosissime narrationi aures praebuit; teneruit, commotus est et, ubi Pupulo nihil dicendum superfuit, manum extendit et tintinnabulum percussit.

Ad illum tintinnabuli sonitum, subito duo canes molossi, vestimentis armiferorum induti, apparuerunt.

Tunc judex, Pinoculum indicans armiferis, dixit:

– Miser puer ille quattuor aureis spoliatus est: eja, agitedum; illum corripite et subito in carcerem mittite. –

Quam sententiam importunam et improvisam Pupulus demiratus, contradicere volebat; sed a publica custodia armiferi, ne inutiles moras internecterent, os ipsius obturaverunt et in carcerem fuscum duxerunt.

Et ibi quattuor menses manere coactus est: quattuor quidem interminabiles menses et ibi etiam amplius mansisset, nisi peropportuna occasio illi obvenisset.

Nam hoc scire oportet: juvenem imperatorem in urbe, cui nomen Bardocipium[18], regnantem, magnam super hostes adeptum victoriam, maximas ludorum celebritates parari jussisse, lumina accendi ignesque artificiosos, numidicorum equiria[19] velocipedumque cursus fieri, et majoris exultationis causa carceres aperiri et ex iis latrones omnes dimitti.

– Si ceteri e carcere exeunt, ego quoque exire volo, – inquit carcerario Pinoculus.

– Tibi non licet, – respondit carcerarius – quia de numero insigni non es tu ...

– Habe me,quaeso, excusatum, – Pinoculus dixit iterum. – Etiam ego malefactor sum.


– Quandoquidem ita se res habet, infinitae cur tu exeas sunt tibi rationes, – carcerarius inquit, et sibi ex capite pileolum trahens et illum salutans, januis carceris apertis, illum aufugere passus est.

---

18 Bardocipium: Acchiappacitrulli

19 numidicorum equiria: corse di barberi

CAPITULUM VICESIMUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus liberatus a carcere ad domum Sospitae divae redire properet; sed in itinere inveniat horridum serpentem ac deinde capiatur pedica.

Vestris, quaeso, fingite mentibus Pinoculi gaudium, cum se liberum sensit. Omittimus quaerere quid sit annon sit. Subito ex urbe egressus est, et viam iterum suscepit, quae ad Sospitae domusculam eum ductura erat. Caelo imbrifero omnino via lutulenta facta erat, et dimidium cruris in eam impingeres. Sed Pupuli nil huiuscemodi adversis casibus animus movebatur. Nam cruciatus videndi patris studio, sororculaeque caesiis capillis videndae, currebat exsultans quasi vertagus canis, et illi currenti luta projecta usque ad pileolum exsiliebant.

Interea secum ipse cogitabat:

– Quot mihi calamitates acciderunt ... et eas mereo, quia Pupulus animi pervicacis jurgiosique sum ... et omnia semper pro libito mea agere volo, neque eos audio qui me diligunt, quibus millies plus quam mihi prudentiae est! ... Sed hinc in posterum, ita mores emendare statuo, ut probus et oboediens puer fiam!... quandoquidem intellexi haud oboedientes pueros semper jacturas pati nec unquam bene sua negotia instituere.

Et pater meus fieri potestne, ut me exspectaverit? Illum in domo Sospitae inveniam? Tantum temporis, ex quo miserum illum hominem non aspicio elapsum est, ut desiderio flagrem illi millies blandiendi et osculis eum satiandi. Et veniam concedet mihi Sospita, postquam sic erga eam male me gessi? ... Et mihi cogitandum est, quod studiose ab ea tot officiis curisque affectus sum ... et mihi hoc cogitandum, siquidem hodie adhuc vita frui possum, illud eius beneficio mihi obvenisse. Atqui inveniri potest puer ingratioris duriorisque anime quam ego? ...

Quae dum secum dicit, improviso gradum retinuit et quattuor passus retrorsum iit. Quidnam viderat?

Viderat, proh!, serpentem magnum, in via stratum, viridi pelle, igneis oculis, caudaque acuta, quae sicut caminus fumabat.

Nemo fingere potest Pupuli pavorem, qui, cum abisset quingentis metris et amplius, super tumulum sedit, exspectans si serpens ille elaberetur tandem ad negotia sua et viae transitum expeditum relinqueret. Unam horam, duas horas, tres horas exspectat; sed serpens semper illic erat et etiam a longe illius rubescentes ignitosque oculos aspiceres et fumi columnam ex apice caudae eius egredientem.

Tunc Pinoculus fingens sibi animum esse, appropinquavit intervallo paucorum passuum, et voculam quandam suaviter modulans blandam et exilem, serpenti dixit:

– Me excusatum habe, domine Serpens; praebeasne, quaeso, hanc gratiam mihi: te aliquantulo spatio retrorsum abire, ut ego transeam?

Idem est ac si ad murum loquaris. Nemo movetur.

Tunc iterum solita vocula dicit:

– Hoc scito, do mine Serpens, me domum revertere, in qua pater meus me

exspectat, quem jamdiu non video ... Sinis, quaeso, me iter continuare? –

Postquam sic interrogavit eum, aliquam exspectavit responsionem; sed nulla responsio venit; quin etiam, qui usque ad id tempus alacer et vivacissimus videbatur, immotus et quasi rigidus factus est. Oculi eius clausi sunt, et cauda fumare desiit.

– Mortuus revera est? ... – Pinoculus inquit magno cum gaudio manus leviter perfricans, et nulla mora interjecta, ut aliam in partem viae progrederetur, illum transilire tentavit.

Sed vix sustulerat crus, cum Serpens improviso surrexit, quasi ferrea spira exsiliens et Pupulus pavide retro cedens titubavit et in terram procidit.

Et quidem ita male procidit, ut caput in lutulentam viam infixerit cruribusque in aëra suspensis steterit.

Serpens in conspectu illius pupuli, qui praeceps agitabat crura incredibili celeritate tanta risus convulsione affectus est, ut sibimet inexpleto ridenti, ad extremum, nimia ridendi contentione, pectoris vena abscinderetur; et tunc revera mortuus est. Actutum Pinoculus currere iterum coepit ut ad domum Sospitae, priusquam tenebrae descenderent, perveniret. Sed iter faciens, cum famis morsus ferre non posset, in campum quendam insiluit, ut paucos uvae apianae racemos decerperet. Utinam nunquam fecisset id! Statim ac sub vitem pervenit, *crac*, sibi crura duobus acutis ferris ita constringi sensit, ut numerum stellarum in caelo computare potuerit. Pauper ille Pupulus pedica quadam captus fuerat, quam agricolae quidam ibi collocaverant ad mustelas foinas aliquas constringendas magnas, quae pestis erant onmium vicinitatis gallinariorum.

CAPITULUM VICESIMUM PRIMUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus ab agricola quodam capiatur qui eum cogit excubitoris canis officio apud gallinarium fungi.

Pinoculus, ut vobis fingere licet, flere, ululare, seque commendare coepit; sed ploratus et ululatus inutiles erant; illic enim domus non conspiciebantur, et nemo viventium hominum per viam transibat. Interea nox incubuit.

Pupulus, cum propter dolorem pedicae secantis illi tibias, tum propter solitudinis pavorem et propter tenebras in agros illos incumbentes, incipiebat quasi animo deficere, cum subito, videns super caput lampyridem transeuntem, ipsam vocat et dicit ei:

– O Lampyridiuncula, hanc tu mihi gratiam vin' praebere: ex hoc me liberare supplicio? ...

– O miser fili! – respondit Lampyris, misericordia mota eumque respiciens, – quomodo factum est ut crura tua hisce acutis ferris constringerentur?

– Agrum ingressus sum ad duos huius apianae uvae corymbos colligendos, et ...

– At uva tua erat?

– Minime ...

– Quis te igitur uvam alienam furari docuit? ...

– Esuriebam ...

– Fames, puer mi, causa ita iusta non est, ut nobis res alienas vindicemus ...

– Recte, recte loqueris! – flens clamavit Pinoculus, – sed in posterum hoc non faciam amplius. –

Hoc momento dialogus tenuissimo rumore passuum quasi appropinquantium interruptus est.

Erat dominus agri veniens suspenso gradu, ut videret aliquane earum mustelarum nocturno tempore pullos devorantium in pedicae insidias incidisset.

Eius autem admiratio maxima fuit cum, lanterna ex pallio extracta, animadvertit pro mustela in pedicam illam puerum incidisse.

– Ah, furuncule! – inquit agricola irascens, – ergo es tu qui mihi gallinas aufers ?

– Minime ego, minime ego! – Pinoculus singultiens clamavit. Ego in agrum ingressus sum tantum, ut legerem duos uvae racemos! ...

– Qui uvam furatur, paratissimus est etiam pullos furari. Sine consulam ipse mihi: ita enim castigabo te, ut multa per tempora id non obliturus sis! –

Et, aperta pedica, Pupulum cervice comprehendit et usque ad domum suam portavit sublatum, ut agnelli lactentes ferri solent. Postquam ad aream, quae coram domo patebat, pervenit[20]agricola in terram eum jactavit, collumque ipsius pede comprimens, dixit:

– Jam sero est et cubitum abire volo. Rationes nostras aequabimus cras. Interea quoniam canis mihi mortuus est, qui mihi noctu excubias agebat, tu subito sedem ipsius occupabis. Tu mihi canis excubitoris vice fungeris. –

Illico collum eius torque circumdedit aurichalcis acuminibus omnino horrescente; et torquis magnus erat, et tam vehementer collum Pupuli strinxerat, ut non posset ex eo caput extrahere ad se liberandum.

Torqui ferrea catenula adhaerebat; et catenula muro infixa erat.

– Si hac nocte, – inquit agricola – pluescat, tu cubile ingredieris, quod est in illa lignea specula, in qua semper est palea, quae quattuor per annos lectulus fuit pauperis canis mei. Quod si iniqua sorte fures venerint, auribus intentis vigilare et latrare memento. –

Post hanc extremam admonitionem, agricola domum ingressus fores diligenter pessulis clausit; et miser Pinoculus propter frigus, famem et pavorem magis mortuus quam vivus in area recubuit.

Atque identidem torqui rabide manus iniciens fauces perstringenti, dicebat flens:


– Hoc mihi bene accidit! ... Tantum, proh!, hoc mihi bene accidit! Nam ignavus et errabundus esse volui... improbis sociis aures praebere, ideoque me semper fortuna persequitur. Si bene moratus puer fuissem ut multi alii, si in studium incumbere et laborare voluissem, si domi cum misero patre meo mansissem, hac hora non essem hic in agris sicut canis qui custodit agricolae domum. Utinam renascerer! Sed jam sero est et patientia utendum est! –

Post hanc brevem effusionem ex imo ipsius pectore fluentem, tugurium ingressus, obdormivit.

20 ad aream, quae coram domo patebat, pervenit; arrivò sull'aia dinanzi la casa

CAPITULUM VICESIMUM ALTERUM

In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus fures deprehenderit et in praemium fidelitatis liberatus sit.



Et amplius jam duas horas dulciter dormiebat, cum sub mediam noctem murmure quodam et versu, pissi–pissi, vocularum peregrinarum excitatus est, quas ex area venire arbitratus est. Apice nasi ex speculae illius foramine prolato, quattuor observavit bestiolas nigro pilorum tegmine, quae in concilium convenerant et figuris feles esse videbantur.

Sed catti non erant; erant autem mustelae, carnivorae bestiolae, ovorum praesertim avidissimae et pullularum. Una ex his mustelis, suas socias relinquens, ad speculae foramen cum appropinquasset, submissa voce, dixit:

– Jubeo te, Melampe, hoc vespere bene valere!

– Mihi Melampus nomen non est, – respondit Pupulus.

– O igitur quis es?

– Ego Pinoculus sum.

– Et quid agis hic?

– Partes excubitoris canis ago.

– Eheu! Melampus quo abiit? Ubi est senex canis qui hac in specula vigilabat?

– Hoc mane mortuus est.

– Mortuus? O miserum animal! Quam bonum erat ... At, si ex ore te judico, tu quoque urbanus canis videris.

– Veniam a te peto; at nego me esse canem.

– O ergo quis es?

– Pupulus equidem sum ego.

– Et canis vigilantis partes agis?

– Tantum, proh!, in poenam meam ago! ...

– Eja, quas cum Melampo condiciones statui, eas tecum statuam, et contentus eris.

– Et hae condiciones quaenam sunt?

– Nos semel in hebdomada veniemus, ut antea, ad hoc gallinarium visitandum, et octo gallinas auferemus. Ex his gallinis septem manducabimus nos, et unam tibi dabimus, hac scilicet condicione, ut dormire simules latrandique cupido non incedat te atque agricolam e somno excitandi.

– Et Melampus agebat vere sic? – quaesivit Pinoculus.

– Agebat ille sic, et semper nos inter et eum consensimus. Dormi securus igitur, et hoc pro certo habe: nos, antequam abeamus hinc, tibi gallinam super tugurium relicturas, jam depilatam, ut crastina die jentare possis. Satisne inter nos convenit?

– Optime quidem, – respondet Pinoculus; et caput quatit more minaci quasi sic dicturus: «Nos inter, mox iterum loquemur».

Quattuor illae foinae mustelae arbitratae se hac in re jam esse securas,

recta via ad gallinarium perrexerunt, quod proximum erat canino tugurio, cumque aperuissent dentibus parvisque unguibus ligneum ostiolum, quo parvus introitus occludebatur, una post aliam, singulatim illapsae sunt. At nondum illapsae erant, cum repente ostiolum maxima vi claudi senserunt. Clauserat quidem illud Pinoculus qui, non contentus quod clauserat, ante illud, quasi fulcrum majoris securitatis causa, magnum lapidem collocavit.

Et iterum ipse latrare coepit: et latrans quasi verus canis excubitor voce hunc versum edebat: *Bu bu bu bu*.

Ad hunc latratum, sclopeto arrepto, agricola e lectulo desiluit seque e fenestra cum ostendisset, quaesivit:

– Quid novi est?

– Fures adsunt, – Pinoculus respondit.

– Ubi sunt?

– In gallinario.

– Nunc subito descendo. –

Itaque lapsu temporis quo dicimus verbum «Amen» agricola descendit: celeri cursu in gallinarium intravit, et quattuor foinis mustelis arreptis saccoque constrictis, accentu laetissimo dixit:

– O tandem in manus meas incidistis! Sit mihi fas sane vos aptis plectere poenis, non dicent vilem me illepidumque tamen! Contentus contra ero, si cras ad cauponem vicini oppidi attulero, qui vos decorticet et condiat ut leporem dulcem et acrem. Hunc honorem non meretis, sed viri nobiles ut ego has nugas spernunt! ... – Deinde, cum ad Pinoculum appropinquasset, frequenter illi blandiri coepit ex eo quaerens:

– Quomodo illarum quattuor furuncularum conjurationem deprehendisti? At hoc mirum sane videtur: Melampum, fidelem meum Melampum, nihil un quam sensisse. –

Tunc Pupulus narrare poterat quae noverat: poterat scilicet inhonestas pactiones, quae canem inter et foinas mustelas statutae erant ostendere; sed recordatus canem esse mortuum, subito haec secum cogitavit:

– Quid prodest mortuos accusare? ... De mortuis jam actum est: et optimum factu hoc est: illos in pace relinquere.

– Advenientibus foinis mustelis in aream, vigilabas an dormiebas? – perrexit agricola ex eo quaerens.

– Dormiebam equidem, – Pinoculus respondit, – sed foinae me excitaverunt garrulitatibus suis, et una ex iis usque ad tugurium hoc venit dicens:

– Si promittis nobis te non latraturum neque dominum excitaturum, pullula jam depilata donabimus te. Intellegisne hoc? Eas sic imprudenter egisse, ut mihi huiusmodi condiciones offerrent? Nam hoc sciendum est: etsi pupulus sum, omnibus huiusce mundi vitiis oneratus, hoc vitio non laboro cum fraudulentis hominibus societatem ineundi eisque saccum relevandi!

– Macte virtute, puer! – agricola clamavit, humerum illi percutiens, – quae enim corde sentis tibi laudi sunt, et ad gaudium meum significandum, ex hoc nunc liberum te facio, ut domum redire queas. –

Et torquem caninum detraxit ei.

CAPITULUM VICESIMUM TERTIUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus mortuam defleat pulchram Puellam caesiis capillis, deinde Columbum inveniat, qui eum transfert ad ripam maris ibique in aquam se proiciat ad auxilium patri Josepheto ferendum.

Simul ac Pinoculus non sensit amplius durissimum et contumeliosum torquis illius circum cervicem pondus, fugere per agros coepit, nulla vel unius momenti mora interjecta donec viam consularem attingeret, quae ad Sospitae domusculam iterum adduceret ipsum.

Qui, ubi ad viam consularem pervenit, subjectam sibi planitiem aspexit, nudisque oculis nemus animadvertit, in quo olim iniqua sorte in Cattum et Vulpem inciderat, vidit inter arbores excelsum cacumen magnae illius Quercus, ex qua ipse collo suspensus pependerat; sed quamvis huc illuc respiceret, pulchrae Puellae caesiis capillis domusculam videre non potuit.

Tum tristia quaedam animo praesagiens, omnibus crurum viribus currere coepit, et, paucis momentis, ad pratum pervenit, ubi candida domuscula surgebat quondam.

Sed ibi domuscula candida non erat neque surgebat jam. Erat autem parvus ibi marmoreus lapis, in quo tristia haec, litteris typo effictis, verba legebantur:

HIC JACET
PUELLA CAESIOCAPILLA
DOLORE VITA FUNCTA
QUOD A SUO DERELICTA EST FRATERCULO
PINOCULO

Quomodo haec tulerit Pupulus, his litteris vix computatis, vobis, lectores, fingendum relinquo. Humi procubuit et mille osculis saturans illud funebre marmor, in magnum vehementemque fletum erupit.

Totam per noctem flevit ipse, et postero mane, prima luce, semper flebat, quamvis oculi lacrimis siccati essent: clamoresque illius et lamentationes aures ita lacerabant tamque acute personabant, ut colles omnes circum undique repercussa voce resonarent.

Et dicebat ille flens:

– O Sospitula mea, cur mortua es? cur pro te non mortuus sum ego? qui tam improbus sum, cum tu bona fueris? ... Et pater meus ubinam gentium est? ... O Sospitula mea, dic mihi ubi eum invenire possim; nam semper cum illo esse volo, nec eum relinquere unquam, unquam, unquam! ... O Sospitula mea, dic mihi hoc verum non esse quod tu mortua es! ... Si vere me amas ... si fraterculum tuum amas, revivisce ... Iterum ut antea vive! Nonne piget te quod solum derelictumque ab omnibus me vides? ... Si latrones advenerint, me ramo arboris iterum suspendent! ... et tunc in aeternum moriar. Quid putas me solum in hoc mundo agere? Nunc quoniam te et patrem meum amisi, quis mihi escam dabit? Quo discedam cubitum noctu? Quis mihi tuniculam novam conficiet? O

quam melius, quam centies melius, si ego quoque moriar! ... Utique mori volo ! ... Ih! Ih! Ih! ... –

Atque sic desperans, conatus est avellere sibi capillos; sed capilli eius cum essent lignei, ne voluptate quidem frui potuit digitos in illos impingendi.

Interea magnus per aërem advolavit Columbus, qui, moratus alis extensis, magna ex celsitudine ad illum clamavit:

– Dic mihi, puerule, quid agis istic?

– Nonne vides? Fleo! – Pinoculus inquit caput erigens ad illam vocem et manica tunicuae oculos sibi perfricans[21].

– Dic mihi, – subjunxit tunc Columbus – novistine inter socios tuos forte pupulum cui nomen est Pinoculus ?

– Pinoculus? ... Pinoculumne dixisti? – iteravit Pupulus subito exsurgens. – Pinoculus ille ego sum! –

Columbus ad hoc responsum celeriter descendit et in terra quievit. Statura maior erat gallopavone[22] .

– Cognoscisne ergo Josephetum quoque? – ex Pupulo quaesivit.

– Cognosco equidem eum! Est pauper pater meus! De me locutusne est? Ad illum me adducis? Sed adhuc vivit? Responde, quaeso, mihi; semperne vivit?

– His tribus diebus eum in litore maris reliqui.

– Quid agebat ille?

– Ipse sibi aedificabat parvam cymbam ad oceanum traiciendum. Pauper homo ille jam amplius quattuor mensibus per terras vagatur quaerens te; et quod te invenire non potuit, hoc sibi in animum induxit, quaerere te usque ad novi mundi regiones migrando.

– Quantum itineris est inter nos et litus? – Pinoculus sollicitus et anxius quaesivit.

– Amplius mille millibus passuum.

– Amplius mille millibus passuum? O Columbe mi, quam commodum hoc esset si alis tuis uterer! ...

– Si venire vis, illuc te afferam ipse ego.

– Quomodo?

– Super terga mea. Nimis gravis es?

– Dixistine gravem? Minime! Levis enim sicut folium sum. –

Tunc autem, nil aliud dicens, in Columbi terga Pinoculus insiluit, et utroque crure huc illuc diducto, insidens sicut gubernatores equorum, valde gaudens clamavit:

– Equule, concita, concita gradum, quod cito pervenire gestio! –

Columbus, impetu collecto, paucis momentis, tam sublimis avolavit, ut quasi nubes tangeret.

Cum tantam sublimitatem attigisset, cupido deorsum respiciendi Pupulum incessit; ac tanto pavore affectus est talibusque vertiginibus correptus, ut, ad vitandum periculum deorsum perlabendi, brachiis circumplicuit se adstrictissime colla pennati illius vectoris. Totam per diem volaverunt. Primo vespere Columbus dixit:

– Magna siti laboro.

– Et ego magna fame laboro! – subjunxit Pinoculus.

– In hoc columbario moram faciamus paucis momentis; ac postea iter suscipiemus iterum; et cras mane, prima luce, ad litus maris perveniemus. –

---

21 manica tuniculae oculos sibi perfricans: strofinandosi colla manica della giacchetta

22 maior erat gallopavone: era piu grosso di un tacchino

Columbarium desertum ingressi sunt, ubi erant catinus aqua plenus et cistula viciae granis affluens.

Pupulus in vita sua nunquam potuerat gustum viciarum ferre: dicebat enim illas fastidium afferre stomachumque movere. Sed eo vespere iis ventrem replevit oneravitque, et, illis fere omnibus consumptis, ad Columbum se vertens dixit:

– Nunquam putaveram vicias tam dulces gustu esse!

– Hoc nobis persuasum sit, puer mi, – iterum inquit Columbus, – etiam vicias fieri delicatas, cum vere fame laboremus neque aliud sit nobis comedendum. Libidines atque delicias fames quidem abhorret. –

Celeriter aliquid cibi attigerunt, iterum viam susceperunt et abierunt. Postero mane ad litus maris pervenerunt. Columbus in terra Pinoculum posuit et nolens fastidium hoc, gratias, scilicet, sibi referri quod bene egisset, volatum iterum suscepit evanuitque.

Litus erat multitudine hominum frequens in cospectu maris clamantium et gesticulantium.

– Quid accidit? – quaesivit ex vetula quadam Pinoculus.

– Accidit sane ut pauper quidam pater, amisso filio, cymbam conscendere voluerit ad illum trans mare quaerendum; et mare hodie nimis procellosum est et cymba in eo est ut submergatur.

– Cymba ubi est?

– Ecce, illic, e recta digiti mei regione – inquit vetula indicans parvam cymbam, quae propter spatium illud interjectum nucis putamen videbatur quo homunculus exiguo corpore ferebatur. Pinoculus eam in partem aciem oculorum exacuit, et intente contemplatus, in ululatum acutissimum erupit clamans:

– Pater meus est, pater meus est! –

Interea cymba undis furentibus jactata nunc inter magnos fluctus evanescebat, nunc emergebat, et Pinoculus in summo scopulo erectus, nunquam cessabat patrem invocare multaque signa in illum edere et manibus et nasali muccinio et etiam pileolo capitis.

Et Josephetus, quamvis multum abesset a litore, filium recognoscere visus est, quia pileolum ille quoque sibi abstulit et salutavit multisque signis filio significavit se libenter rediturum, sed mare esse tam procellosum ut prohiberetur ipse remigando quominus ad terram accederet.

Improviso terribilis aestus exortus est, et cymba evanuit.

Exspectaverunt donec cymba emergeret, sed cymbam revertentem non conspexerunt jam.

– Infelix homo! – tum piscatores dixerunt, qui in litore simul constiterant et, murmurantes submisse precem, ad domos suas redire contenderunt.

Et ecce audierunt ululatum desperationis et, retro se vertentes, puerum conspexerunt e summo scopulo in mare se jactantem et clamantem audierunt:


– Patrem meum servare volo! –

Pinoculus, cum esset totus ex ligno confectus, facile fluctuabat et sicut piscis natabat. Modo videres illum sub aquam evanescentem impetu fluctuum impulsum, modo crus aut brachium ex undis emittentem, quamvis maximo spatio a terra abesset. Postremo ex oculis eorum evanuit nec postea conspexerunt illum.

– O infelicem puerum! – tunc piscatores dixerunt, qui simul in litore constiterant et, murmurantes submisse precem, ad domos suas redierunt.

–

CAPITULUM VICESIMUM QUARTUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus perveniat ad insulam Melisurgiam, quam «Apium industriarum» *appellant, ibique Sospitam divam iterum inveniat.*

Pinoculus, spe excitatus tempestive perveniendi ut auxilium ferret patri suo, totam per noctem natavit. Et quam horrida nox illa fuit! Imbres enim ruerunt, grandinavit, magno cum terrore tonuit, et sic fulguravit, ut quasi dies claresceret. Primo mane adspicere potuit parum longe a se lingulam terrae, quae insula erat in medio mari.

Tum omnia expertus est, ut oram illam attingeret; at frustra. Undae insequentes, interque se superponentes, illum ut ramusculum vel stipulam inter se jactabant. Postremo et sorte secunda aestus tam vehemens violentusque supervenit, ut illum in arenosum litus vibraverit prorsus[23]. Ictus tam fortis fuit, ut illi terram percutienti costae omnes juncturaeque concrepuerint; sed se ipse consolatus est dicens:

– Etiam hac vice belle quidem enatavi! –

Interea paulatim caeli serenitas reddita est: sol se totum micantem ostendit et mare quasi oleum tranquillissimum placidumque factum est.

Tunc Pupulus vestimenta stravit, ut ea sole arefaceret et huc illuc inspicere coepit, si forte, immensum per aequor, parvam cymbam homunculum vehentem dispicere posset. Postquam vero attentius omnia scrutatus est, nil aliud ante se vidit quam caelum mare et aliquam veligeram navem, sed ita remotam, ut muscae lineamenta imitaretur.

– Utinam scire possim quo appelletur nomine insula haec! – intra se dicebat; – scire saltem queam num ab gente humanitate culta incolatur insula haec; a gente quidem cui non sit pravus mos pueros ramis arborum suspendendi; sed ex quonam hominum quaeram haec? ex quonam, quando quidem nemo est hic? ... – Et cogitans se esse solum, solum, solum, in magna illa desertaque regione, tanta maestitia affectus est, ut quasi in eo esset ut fleret, cum improviso, parvo ab ripa intervallo, magnum quendam perlabentem piscem observavit ad negotia sua properantem integroque capite ex undis emergentem. Nesciens quonam eum nomine appellaret, elata voce ut audiretur ab eo, clamavit Pupulus:

– Heus, clarissime Piscis, concedisne, precor, unum tantum loqui verbum?

– Etiam duo verba, – respondit Piscis qui valde urbanus Delphinus erat, cuius similes per omnia orbis terrarum oppida paucos invenias.

– Hanc, quaeso, mihi gratiam praebe: dic, scilicet, mihi num hac in insula oppida inveniantur, in quibus aliquid comedere possimus, remoto periculo ne comedamur.

– Inveniuntur oppida quidem huiusmodi, – respondit Delphinus, – quin immo unum invenies parvo hinc spatio remotum.

– Et quaenam via ad illud ducit ?

– Tibi parva illa via suscipienda illic sinistra: iter semper iuxta nasum tuum dirigito. Errare nequis.

– Aliquid aliud a te scire cupio. Tu diesque noctesque omnes mare perambulans parvam cymbam patrern meum vehentem forte invenisti?

23 ut illum in arcnosum lltus vibraverit prorsus: si che lo scaraventò di peso sul lido

– Et quis est pater tuus?

– Omnium, qui in mundo sunt, patrum optimus est, sicut ego improbissimus omnium filiorum quos fingere velis.

– In magna huius noctis tempestate, – respondit Delphinus – cymbula fluctibus forte absorpta est.

– Et pater meus?

– Hac hora forsitan illurn terribilis Piscis Chane voravit, qui aliquot jam dies aquis nostris cladem affert et desolationem.

– Et quaenam corporis amplitudo et quanta huius Piscis Chanes? – quaesivit Pinoculus jam pavore tremens.

– O quam magnum corpus est illi! ... – inquit Delphinus, – ut tibi illius figuram effingere possis, hoc tibi dico: illum majoris amplitudinis esse quam aedificium ex quinque tabulatis constans; tamque horridum latum profundumque os illius esse, ut integer hamaxostichos ferriviae[24] cum incensa machina per illud commode transire possit.

– Mater mea! – territus Pupulus clamavit; et cum vestes induisset raptim celeriterque se ad Delphinum vertit et dixit ei: – Iterum te videam, o senior Piscis; valde me excusatum habeto, milliesque gratias ago tibi pro urbanitate tua. –

Quae cum dixisset, suscepit diverticulum citoque gradu ambulare coepit tamque celeri quidem, ut currere ille videretur. Quotiescumque vero minimum rumorem audierat, vertens se cito respiciebat timens ne horridum illum se insequentem Piscem Chanem videret, qui magnus sicut aedificium ex quinque tabulatis constans apparebat, cuius per os hamaxostichos ferriviae transire poterat.

Semihora itineris elapsa, ad parvum quoddam oppidum pervenit, quod «Apium industriarum» appellabant.

Viae frequentissimae erant hominibus hac illac ad negotia sua properantibus: omnes operibus incumbebant neque otio indulgebant. Neminem ibi invenires non operosum aut errabundum etiamsi lucernula eum investigasses.

– Intellexi, – inquit subito ignavus ille Pinoculus, – hoc oppidum mihi commodum non esse! Ad laborem enim natus non sum ego! –

Interea fames illum cruciabat, quod jam viginti quattuor horae elapsae erant et nil comederat ne viciarum quidem escas. Quid faceret?

Duobus tantum modis famem depellere poterat: aut aliquem laborem suscipiendo aut eleemosynam teruncii quaerendo vel frustuli panis. Mendicare erubescebat; nam pater eius semper illum monuerat: jus eleemosynae quaerendae senibus tantum et aegrotis esse.

Pauperes veros, hoc in mundo, auxilio et misericordia egentes eos esse qui, propter aetatem aut morbum, damnati sint hac poena: ut non possint jam panem lucrari labore et arte manuum suarum. Omnes alios homines laborare debere; si autem non laborarent et famem paterentur tanto pejus hoc esse illis.

Interea homo quidam transiit per viam sudore omnino manans, anhelans, qui solus magno labore duo plostella carbonibus onusta trahebat. Pinoculus cum ex vultu illum probum virum existimasset, ad eum appropinquavit, et oculos pudore demittens submissa voce dixit:

– Hanc gratiam mihi praebere vis: unum teruncium donare mihi, qui fame pereo?

– Non teruncium unum, – carbonarius inquit – sed quattuor tibi donabo

24 hamaxostichos ferriviae: il treno della strada ferrata

teruncios, si ad haec duo plostella domum trahenda opem praebueris mihi.

– Miror! – inquit Pupulus hoc responsum fere injuriam putans. – Hoc scito: nunquam ego partes aselli egi nec unquam plostella traxi!

– Hoc melius tibi est! – respondit carbonarius, – itaque, puer mi, si vere fame languescis, comede duas integras offulas superbiae tuae, atque ne cruditate aliqua afficiaris caveto. –

Paucis momentis elapsis transiit per viam structor quidam humeros onustus arenati corbe[25].

– Praebeasne, vir bone, huic infelici puero propter aviditatem cibi oscitanti, unum teruncium ex misericordia?

– Libenter si venis mecum ad hoc arenatum ferendum, – structor inquit – et pro uno teruncio quinque dabo tibi.

– Sed arenatum grave est, – inquit iterum Pinoculus, – et laborem sustinere nolo.

– Si laborem sustinere non vis, puer mi, delectare oscitatione et hoc tibi prosit. –

Nondum intervallo semihorae elapso, alii viginti homines transierunt et ab omnibus parum eleemosynae petivit, sed omnes responderunt ei:

– Nonne pudet te? Potiusquam per viam vageris, ad quaerendam tibi operam vade et panem lucrari tibi disce! –

Postrema transiit honesta et proba muliercula quaedam ferens duas aquae hydrias.

– Sinis me, quaeso, o bona mulier, ex hydria tua unum tantum haustum. aquae haurire? – sitis ardore flagrans Pinoculus inquit.

– Bibe sane, puer mi! – muliercula illa inquit duas hydrias deponens.

Pinoculus cum tamquam spongia bibisset, tergens sibi os, pauxilla voce susurravit:

– Sitim exstinxi! Sic famem depellere queam! –

Benigna muliercula illa haec verba audiens subito addidit:

– Si adiuveris me, et unam ex his hydriis portaveris ad domum meam, pulchrum panis frustum dabo tibi. –

Pinoculus hydriam inspexit et haesitavit respondere.

– Et simul cum pane pulchram patinam dabo confertam pompeiana brassica[26] delicata olio acetoque condita, – adiunxit benigna mulier.

Pinoculus iterum hydriam inspexit, sed assentire aut negare ausus non est.

– Et post brassicam pompeianam suave amygdalum odorato liquore plenum[27] tibi dabo. –

Hac extrema allectus cupedia, non sustinuit et, animo erecto, dixit:

– Patienter hoc sustineam! Usque domum tibi hydriam portabo! –

Hydria cum esset gravis eamque manibus ferre non posset, aequo animo, super caput impositam, gessit.

Postquam domum pervenerunt, suavis illa muliercula Pinoculum ad parvam mensam paratamque accumbere jussit et panem et brassicam pompeianam conditam atque amygdalum ante eum posuit.

Pinoculus non manducavit, diluviavit. Nam stomachus eius habitatio videbatur vacua nudaque habitatoribus sextum jam mensem. Sedatis paulatim famis morsibus rabidis, caput erexit ad gratias referendas beneficae illi mulieri, sed nondum bene vultum eius contemplatus erat, cum admirans in

25 structor quidam humeros onustus arenati corbe: un muratore che portava sulle spalle un corbello dl calcina
26 patinam confertam pompeiana brassica: un bel piatto di cavolfiore
27 suave amygdalum odorato liquore plenum: un bel confetto pieno di rosolio

interminabilem hanc vocem «ohhh», erupit ibique stupefactus stetit, dilatatis oculis, in aëra fuscinulam tollens atque ore pane brassicaque pompeiana pleno.

– Quidnam sibi vult haec tanta admiratio? – inquit ridens suavis mulier.

– Hoc est ... – respondit balbutiens Pinoculus – hoc est ... hoc est ... quod tu similis es ... quod tu in memoriam revocas ... utique, utique, utique, tibi quoque sunt caesii capilli ... sicut illi erant! ... O Sospitula mea! O Sospitula mea! ... profitere te eandem esse, te eandem et vere! Noli etiam nunc cogere me fiere! Si scires! ... Quam saepe flevi, et quanta passus sum! ... –

Haec autem dicens Pinoculus ubertim flebat, genibusque humi fiexis, genua mulierculae illius admirabilis amplectebatur.

CAPITULUM VICESIMUM QUINTUM



In hoc capitulo narratur quomodo Pinoculus polliceatur Sospitae se virtuti studioque operam daturum cum fastidiat partes pupuli agere et velit bonus honestusque puer fieri.

Principio suavis muliercula negare coepit se parvam caesiis capillis Sospitam esse; et postea cum sensit se jam esse detectam nolensque comoediam illam ulterius protrahere, postremo manifestavit se dixitque Pinoculo:

– Hem! Pupule furcifer![28] Quomodo animadvertisti quod ego ipsa eram?

– Magnus erga te amor hoc mihi revelavit.

– Recordarisne? Me puellam reliquisti, nunc vero invenis me mulierculam et talem, quae partes matris tuae agere possim.

– Hoc gratissimum quidem mihi est, quod sic, potiusquam sororculam, matrem appellabo te. Jamdiu enim matre ut pueri omnes perfrui gestio! ... Sed quomodo tam cito adolevisti ?

– Hoc est mysterium.

– Doce, quaeso, me illud; nam ego quoque parum crescere volo.

– At nequis crescere, – inquit Sospita.

– Cur?

– Quod pupuli nunquam crescunt. Nascuntur enim pupuli, vivunt pupuli, moriuntur pupuli.

– Eheu! fastidio hoc vehementer quod semper pupuli partes in comoedia ago, – clamavit Pupulus leviter caput sibi percutiens. – Tempus aptum mihi nunc advenisse videtur quo ego quoque sicut ceteri homo fieri possim.

– Et homo certo fies, si illud merueris.

– Ain' ? Quid agam ut meream illud ?

– Quod facillimum factu est: mores addiscere proborum puerorum.

– Non ergo huiusmodi puer modestus videor tibi?

– Nullo modo prorsus! Nam modesti pueri oboediunt, tu contra ...

– Ego vero nunquam oboedio.

– Pueri modesti studio ac labori incumbunt, tu contra ...

– Ego contra totum per annum tamquam cessator et vagabundus vivo.

– Bene morati pueri semper vera fatentur ...

28 Hem! Pupule furcifer!: birba d'un burattino!

– Ego contra semper mendacia.
– Pueri probi ad scholam ire properant ...
– Mihi contra schola dolores ventris infert. Sed ab hodie in posterum vitam mutare volo.
– Hoccine polliceris mihi?
– Polliceor. Ego quoque modestus probusque puer fieri volo et solacium patris mei ... Ubinam nunc pater meus esse potest?
– Hoc nescio.
– Quandonam fortuna iterum videndi et amplectendi illum aderit mihi?
– Credo fieri posse hoc; quin immo certa sum. –
Hoc responso accepto, tali ac tanto gaudio Pinoculus affectus est, ut manus Sospitae comprehenderit tantoque impetu eam osculari coepit, ut ille insanire videretur. Dein ora extollens dulceque illam intuens quaesivit:
– Die, o mammula: hoc ergo verum non est te esse mortuam?
– Videtur esse contra, – subridens Sospita respondit.
– O si scias quali dolore et gutturis angore affectus sim, quando haec legi: «*Hic jacet*»!
– Hoc equidem scio, proptereaque peperci tibi. Sincerus enim dolor tuus mihi quidem animum tuum dulcem ostendit: et festivi pueri nimirum, etsi aliquanto lasciviores et male assueti videntur[29], semper aliquid sperare sinunt. Semper enim hoc est sperandum: verum iter et rectum illos aliquando suscepturos. Ecce: propter hoc ad te quaerendum veni. Ego ero mater tua.
– O quam pulchrum! – clamavit Pupulus gaudio exsultans.
– Tu mihi oboedies et quod tibi imperavero semper ages.
– Libenter, libenter, libenter!
– Jam ab crastino – inquit iterum Sospita – in scholis sedere incipies.–
Pinoculus subito minus laetus factus est.
– Postea ad libitum artem aliquam aut artificium aliquod tibi eliges. –
Pinoculus gravis factus est.
– Quidnam tecum murmuras? – subirato accentu Sospita quaesivit.
– Dicebam ... – gannivit submissa voce[30], – jam serius mihi esse quam ut scholam adire possim.
– Minime. Memento autem hoc: quod nunquam sero est, si quis erudiri atque discere cupiat.
– At ego neque artes neque artificia exercere volo.
– Cur?
– Quia operam impendere laboriosum videtur mihi.
– Puer mi, – inquit Sospita – homines sic loquentes fere semper vitae exitum suae aut in carcere aut in nosocomio habuerunt. Homines, memento huius praecepti, sive divites sive pauperes nascuntur, hoc in mundo aliquid agere, operam impendere, laborare debent. Vae tibi, cum socordia te oppresserit. Socordia gravissimus est morbus et subito a pueris morbus ille depellatur necesse est; secus cum adoleverimus, nunquam ab illo liberabimur. –
Haec autem Pinoculi animum moverunt, qui, erecto iterum alacriter capite, Sospitae dixit:
– Studebo, laborabo, omnia quae dixeris mihi, faciam, quia, ut vere loquar, ratio vivendi pupulorum fastidio me affecit et puer quocumque pretio fieri volo. Nonne mihi hoc promisisti?

29 et festivi pueri nimirum, etsi aliquanto lasciviores et male morati videntur: e i ragazzi buoni di cuore, anche se sono un po' monelli
30 gannivit submissa voce: mugolò a mezza voce

– Hoc sane promisi tibi; sed nunc ex arbitrio tuo dependet. –

CAPITULUM VICESIMUM SEXTUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus, condiscipulis comitantibus, terribilem Piscem Chanem demiraturus ad maritimam oram properanter pergat.

Postero die Pinoculus ad scholam oppidanam[31] perrexit. Vobis mente fingite perfidos illos pueros, cum scholam ipsorum ingredientem Pupulum viderunt! Tum cachinnatio infinita exorta est. Alii aliter illum deludere; alius ex manibus ipsius pileolum eripere; alius ab tergo minusculum thoracem illi trahere[32]; alius conari atramento binos subter ipsius naso mystaces pingere magnos[33]; alius etiam pedes manusque filis constringere, ut ad saltandum provocaret, audere! Aliquantum temporis Pinoculus libero utens habitu duravit haec; sed postremo, ubi in eo fuit ut patientiam abrumperet, ad eos conversus qui acrius eum, sicut tabani, pungebant et deridebant, sic ore vultuque gravi allocutus est:

– Cavete, pueri: nam ego non huc veni ut fierem mimus vester. Ego enim et alios pueros revereor et ab aliis observari volo.

– Macte virtute, Berlicce! Sicut liber quidem typis impressus locutus es! – conclamaverunt pueri illi improbuli, risu quodam insano ilia commoventes; et, unus ex iis, ceteris petulantior, capturus Pupulum nasali apice, manum extendit. Sed occasio fefellit illum; nam Pinoculus crus sub tabulam protendit et ictu pedestri tibias illi percussit.

– Eheu! quam duri pedes! – ululavit puer perfricans lividam vibicem[34] a Pupulo impressam sibi.

– Et quales cubiti! ... etiam pedibus duriores! – inquit alius cuius pectus, cubitali quodam ictu, rostratum mulcatumque erat, immoderata propter ludibria. Et revera post pedestrem illum et cubitalem illum ictum, Pinoculus omnium condiscipulorum reverentiam et gratiam sibi conciliavit; omnes millies blandiebantur illi, omnes vehementer totoque animo eum diligebant.

Magister quoque merita illius in se praedicabat, quod videbat illum intentum lectioni, studiosum litterarum, intellegentem, semper primum scholam ingredientem, semper novissimum, hora scholae elapsa, surgentem.

Huic tantum vitio obnoxius erat, quod pluribus amicis utebatur: multi erant autem inter hos improbuli qui exiguo studio lectionum laudisque sibi comparandae notissimi erant. Quotidie illum magister admonebat, et etiam suavis Sospita non desinebat saepius illi haec dicere:

– Pinocule, cave! Illi enim improbi condiscipuli serius ocius denique te in neglegentiam studiorum inducent et, hoc fieri potest, etiam in triste aliquod magnumque discrimen impellent.

– Nullum periculum est! – respondebat Pupulus, humeros allevans et indice sibi frontis meditullium tangens quasi dicturus: «Magna quidem prudentia intra hoc caput latet».

Itaque factum est ut aliquando, pulchra scilicet quadam die, ille ad scholam

31 ad scholam oppidanam: alla scuola comunale
32 alius minusculum thoracem illi trahere: chi gli tirava il giubbettino di dietro
33 alius conari mystaces pingere magnos: chi si provava a fargli grossi baffi
34 lividam vibicem perfricans: stropicciandosi il livido

pergens incideret in manipulum illorum quos jam noverat comitum, qui, obviam euntes, dixerunt:

– Novistine magnum nuntium?

– Minime novi.

– Huc ad proximum mare Piscis-Chane advenit sicut mons quidem immensus.

– Ain? ... Estne idem Piscis-Chane qui eadem die venit, cum miser pater meus aquis submersus est?

– Illum nos visuri ad litus properamus. Tu quoque venis?

– Minime veniam, quoniam ad scholam ire volo.

– Quid tua interest scholam adire? Scholam adibimus crastino. Sive enim lectioni intersumus sive non, semper iidem asini erimus.

– Et magister quid dicet ?

– Sinamus magistrum loqui. Illi enim ad hoc pecuniam solvimus, ut mussitet tota die.

– Et mamma mea?

– Mammae nihil unquam sciunt, – conclamaverunt pestes illae.

– Scitisne quid acturus sim ego? – Pinoculus inquit. – Piscem-Chanem meis quibusdam de causis videre cupio ... sed ad illum videndum, hora scholae elapsa, properabo.

– O exsucum caput![35] – institit unus e grege. – An censes huiusmodi crassitudinis piscem, commodo tuo, ibi te exspectaturum? Etenim simul ac eum taeduit, properanter aliam in partem iter suum convertit et tunc e conspectu elapsum nullo modo piscem revisas[36].

– Quantum temporis opus est mihi, ut hinc litus adire possim? – Pupulus quaesivit.

– Intra unius horae spatium certo ibimus et redibimus.

– Abeamus ergo hinc! Et quo quisque velocior curret, eo valentior erit! – Pinoculus clamavit.

Itaque, signo proficiscendi dato, turba illa improbulorum, libris et commentariolis brachio compressis, per agros currere, et Pinoculus omnes anteire semper: ipse enim quasi alipes videbatur.

Identidem ipse respiciens condiscipulos irridebat, qui magno intervallo insequebantur et videns illos anhelos, exanimatos longamque per os linguam emittentes voluptate quadam mira ridebat ipse.


Nesciebat puer ille, nequissimus idemque miserrimus, tunc vere quibusnam pavoribus et calamitatum horroribus obviam iturus esset.

---

35 O exsucum caput!: Povero giucco!

36 et tunc e conspectu elapsum nullo modo piscem revisas: e allora chi s'è visto, s'è visto

CAPITULUM VICESIMUM SEPTIMUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo, magno quodam Pinoculum inter et condiscipulos certamine exorto atque uno ex condiscipulis male mulcato, Pinoculus ab armiferis comprehendatur.

Pinoculus, cum ad litus pervenisset, subito late aspexit mare: sed nullum Piscem-Chanem vidit. Mare contra tamquam speculi crystallum levigatum cerneres.

– Et Piscis-Chane ubi est? – interrogavit Pinoculus conversus ad socios.

– Hoc fieri potest ut ad ientandum ierit, – unus ex iis ridens respondit.

– Aut fortasse in lectulum se proiecit ad placide somniculnm dormitandum, – alius effusissime ridens subjunxit.

Pinoculus ineptis illis responsionibus atque stultis cachinnationibus turpiter se ab sociis elusum esse sensit[37], quoniam falsa in aures eius insinuaverant: quod cum aegre ferret, minaci voce illos allocutus est:

– Numquid profuit vobis meas in aures Piscis-Chanes historiolam insinuavisse?

– Fructum certe percipimus ex hac historiola! – unanimes responderunt improbuli illi.

– Ecqui fructus est? ...

– Te ab schola abstrahere et efficere ut illam deseras et nobiscum venias. Nonne te pudet hoc: te tam sedulum ac diligentem quotidie scholae lectionibus interesse? Nonne te pudet sic, ut soles, haerere in libris?

– At si ego haereo in libris, quid vestra illud interest?

– Nostra autem permagni interest; quoniam tu efficis hoc: ut a litteratore improbi ineptique iudicemur ...

– Cur?

– Quia discipuli in studia incumbentes hoc efficiunt, ut ii, qui, more nostro, studium fastidiant, semper improbentur. At contra nos nolumus improbari, quia nos quoque amore nostri flagramus! ...

– Quid ergo agendum est mibi, ut morem vestrum geram?

– Te quoque, scholae, lectionis et magistri taedeat necesse est: quae nobis scilicet acriter adversantur.

– Et si ego studium continuare velim?

– Nec vultum tuum intuebimur unquam et, ubi primum se occasio obtulerit, hac de re poenam nobis solves! ...

– Ad risum me provocatis quasi – Pupulus inquit caput leviter concutiens.

– Hem, Pinocule! – clamavit tunc inter illos pueros grandissimus natu ad os illius proxime accedens. – Apage! Cave coram nobis gloriose mentiaris. Apage! Cave coram nobis gallulurias! ... quod si nos non times, nos non timemus te! Memento te solum esse, nos contra esse septem.

– Septem ut peccata mortalia, – magno quodam risu Pinoculus inquit.

37 turpiter se ab sociis elusum esse sensit: capì che i suoi compagni gli avevano fatto una brutta celia

– Nonne audistis? Injuria nos omnes affecit. Nos enim appellavit peccata mortalia! ...

– Pinocule! excusationem propter iniuriam illatam pete ... secus vae tibi! ...

– Cucù. – hunc versum effudit Pupulus apicem nasalem percutiens sibi significandae irrisionis causa.

– Pinocule, malum exitum sortientur haec! ...

– Cucù.

– Sicut asellus vapulabis.

– Cucù.

– Naso fracto domum redibis! ...

– Cucù.

– Istiusmodi versum *Cucù* mox rependam tibi ego! – clamavit petulantissimus ex improbulis illis. – Accipe interea hanc rationis partem et ad cenam vespertinam servato. –

Et, sic dicens, pugnum capiti eius impingit. Sed hoc fuit, ut dici solet, icere et reicere: etenim Pupulus, ut praevideri poterat, illico altero pugno eum cecidit: tunc e vestigio acris universaque pugna exorta est.

Pinoculus, quamvis solus esset, tamquam heros se defendebat. Pedibus illis ex durissimo ligno sic apte pugnabat, ut commodo semper intervallo a se longe hostes contineret.

Etenim quam partem pedes illius pertetigerant, livida recordatione atque vestigio illam imprimebat. Tum pueri irati, quod cum Pupulo comminus pugnare non possent, hoc optime cogitarunt: missilia arripere; sarcinulisque librorum scholasticorum solutis, *Syllabarios, Grammaticas, Giannettinos, Minutiolos , Narrationes Thovarianas, Pullulum Baccinianum*, aliosque libros scholasticos, in illum jactare coeperunt; sed Pupulus, cum esset oculorum acie acri callidulaque, tempestivus ita capite nutabat, ut volumina illa omnia, capite ipsius supervolato, in mare inciderent. Fingite animis vestris pisces! Nam pisces, rati escam quandam esse libros illos, turbatim ad summam aquam currebant; sed postquam aliquam paginam vel aliquem indicem momorderant, ea respuebant, et os sic distorquebant ut dicere viderentur:

«Haec esca minime nobis apta est: multo meliore esca vesci solemus!»

Interea proelium magis magisque saeviebat, cum subito magnus quidam Cancer, qui, ex aqua egressus, sensim sine sensu ad litus usque adrepserat, absona quadam voce magnae tubae et gravedinosae, clamavit:

– Eja, desinite, improbuli pusiones! Raro enim haec inter pueros manibus conserta proelia prosperum exitum sortiri solent. Semper aliquid calamitosi accidere solet! ... –

O miser Cancer! Idem fuit ac si ad auras effudisset verba. Quin immo Pinoculus, improbus ille pusio, respiciens illum canino intuitu atque oculo, inurbaniter dixit ei:

– Quiesce, fastidiose Cancer! Melius tibi erit si duos lichenis glomerulos ad gutturis gravedinem sedandam suxeris. Vade potius cubitum, et sudorem excita! –

Interea pueri, qui jam omnes libros jecerant, fasciculum Pupuli librorum non procul illinc conspexerunt et citius quam quisque cogitare potest, illo potiti sunt.

Hos inter libros unus eminebat chartula spissa atque membranis apices[38] ipsius et costam munientibus: erat TRACTATUS DE ARITMETICA.

Vobis fingendum relinquo quam magni ponderis fuerit.

---

38 chartula spissa atque membranis munientibus apices: rilegato in cartoncino grosso colla costola e le punte di cartapecora

Unus ex improbulis pusionibus volumen illud arripuit et, caput Pinoculi intuitus, quam validissimo potuit brachio jactavit; sed pro Pupulo, caput unius ex illis sociis cecidit, cuius ora sicut lotus pannus palluerunt, et is nil aliud quam haec verba dixit:

«O mamma mea, adiuva me ... quia morior!»

Deinde pronus in litoris arenam procidit. Pueri, cum mortui pueri corpusculum conspexissent, se fugae praecipites dederunt et, paucis momentis elapsis, e conspectu evanuerunt prorsus. At Pinoculus ibi mansit et quamvis, dolore et pavore perculsus, ipse quoque magis mortuus quam vivus videretur, properavit tamen in marinam aquam linteolum intingere et tempora miseri sui condiscipuli madefacere coepit.

Et interea flens ubertim et desperans eum appellare eique dicere:

– Eugeni, pauper Eugeni mi!!! oculos aperi et inspice me! ... Cur non respondes? Non ego (intellegis hoc?) tam graviter mulcavi te! Hoc crede, non ego fui! ... O mi Deus! quomodo nunc domum redire possum? ... Quo animo dulcis matris meae veniam in conspectum? Quidnam de me futurum est? Quorsum fugiam? ... Quo eam ut abscondam me? O quanto melius erat, millies melius si ad scholam me contulissem ! ... Cur his sociis, qui mea jactura sunt, oboedivi? ... Et magister dixerat mihi! ... et mater me illud admonuerat: «Cave pravos socios». At ego sum pertinax ... pervicacior, sino omnes dicere, et semper pro libito meo ago! Et postea peccatorum poenas solvere cogor ... Itaque, ex quo die lucem aspexi ne per horae quidem quadrantem beatitudine fruitus sum. Deus meus! quid de me futurum est? ... –

Et Pinoculus pergebat flere, ejulare, pugnis caput sibi caedere, pauperemque Eugenium appellare: cum improviso animadvertit surdum rumorem passuum appropinquantium. Convertit se: erant duo armiferi a publica tutela.

– Quid agis hic, humi stratus? – quaesiverunt ex Pinoculo.

– Huic assideo meo condiscipulo.

– Animus forte dereliquit eum?

– Ita esse videtur! ...

– Plusquam animi deliquium videtur! – dixit unus ex armiferis inclinans se et prope Eugenium inspiciens. – Huic puero alterum tempus mulcatum est: quidnam eum vulneravit?

– Minime ego! – balbutivit jam exanimatus Pupulus prorsus.

– Si tu non fuisti, quis ergo vulneravit eum?

– Ego minime, – iteravit Pinoculus.

– Ecquo ictu vulneratus est?

– Hoc libro. –

Et Pupulus collegit tractatum de aritmetica charta spissiore membranaque compactum, ut eum ostenderet.

– Et hic liber cuius est?

– Meus.

– Satis sic: non opus est alio argumento. Surge illico et nobiscum propera.

– At ego ...

– Nobiscum veni.

– Sed ego innocens sum ...

– Nobiscum veni. –

Armiferi, antequam proficiscerentur, vocaverunt piscatores aliquos qui tum forte cymba vehebantur prope litus et dixerunt eis:

– Vobis committimus puerum hunc, cuius caput vulneratum est. Portate eum

ad domum vestram eumque curate. Cras ad eum visitandum redibimus. –

Deinde ad Pinoculum se converterunt eumdemque sibi interpositum, militari accentu, jusserunt:

– Perge et expedite ambula; secus pejus accidet tibi! –

Quod jussum bis audire noluit, sed per illud diverticulum ad oppidum ducens iter facere coepit.

Sed misellus noster ne ipse quidem sciebat quonam in mundo viveret. Nam ille sibi somniare videbatur, et quam horrida somnia somniabat! Ipse enim sibi exulare videbatur. Oculis ipsius omnia confusa apparere: crura trepidare: lingua palato adhaerere, neque ullum jam verbum effutire posse[39]. Atque inter illud stuporis genus animique hebetationem spina acutissima terebrabat ipsius cor: nam secum ipse mente agitabat haec: sub fenestra dulcis Sospitae sibi transeundum, semet vero mortem obire malle.

Jam pervenerant et ingressuri oppidum erant, cum furentis impetus venti ex capite Pinoculi pileolum abripuit et procul ab eo passibus decem transtulit.

– Sinitisne, amabo vos, – inquit armiferis Pinoculus, – pileolum meum reprehendere?

– Vade, sis, sed fac ut properes. –

Iit Pupulus pileolumque reprehendit ... sed potiusquam capiti imponeret, dentibus comprehendit illum posteaque citatissimo cursu ad marinum litus contendit. Avolabat vero quasi a sclopeto plumbea glans. Armiferi, rati illum vix a se attingi posse, molossum ingentem in eum concitaverunt, qui in omnibus canum certaminibus, primum praemium retulerat.

Pinoculus currebat; at canis celerius currebat: omnis igitur plebs ad fenestras prospiciebat, viasque omnes complebat, cum esset cupida huiusmodi acerrimi certaminis exitus videndi. Sed aviditas haec non est expleta, eo quod Pinoculus et molossus tam densum pulverem excitaverunt, ut, paucis post momentis, nihil homines dispicere possent.

CAPITULUM DUODETRICESIMUM

Pinoculus periclitatur tamquam piscis in patella frigi.



Pinoculus autem, celerrimo cursu illo, in tam terribile discrimen venit, ut se perditum crederet: nam hoc scire oportet: Alidorum (hoc nomen molosso erat), magis magisque cursum celerando, fere illum attigisse.

Hoc nobis satis sit dicere: quod Pupulus, unius palmi intervallo, post se anxiae beluae et horrendae anhelitum sentiebat, praetereaque fervidos aestus respirationum.

Litus autem, fortuna secunda, jam proximum erat et illinc paucis aberat passibus mare conspicuum. Pupulus simul atque ad litus pervenit, celerrime exsiluit, ut belle ranunculus quivis exsilire poterat, et in aquam decidit. Alidorus autem quamvis consistere vellet, impetu cursus invectus, in aquam ipse

39 neque ullum jam verbum effutire posse: e non poter spiccicare una sola parola

quoque introivit. At misellus ille natandi inexpertus erat, ideoque subito, ut emergere posset, pedibus circumvolvi coepit: sed quo magis circumvolvebatur[40] eo profundius caput sub aquam mergebat.

Miser canis ille, capite edito, territis distortisque oculis apparuit et latrans clamabat:

– Submergor! Submergor!

– Dirumpere! – procul respondit illi Pinoculus, ab omni periculo tandem semet securum existimans.

– O Pinocelle mi, adiuva me! ... A morte serva me! ... –

Tunc Pupulus, cui reapse egregius animus erat, ad eas lacrimabiles voces misericordia motus est, et ad canem cum se convertisset:

– Si ad te servandum, – inquit, – auxilium meum tibi praebeo, promittisne non amplius te mihi molestiam allaturum neque me amplius insecuturum?

– Hoc quidem tibi promitto! hoc sane tibi promitto! Propera, quaeso, nam si aliud semimomentum moraris de me actum est.

Pinoculus aliquantum haesit anceps: at postea recordatus se totiens a patre admonitum esse, propter bene facta, nullum detrimentum passurum, ad Alidorum natando pervenit: cuius caudam cum cepisset, utraque illum manu in siccam litoris arenam duxit sanum et incolumem.

Canis ille miser consistere jam non poterat: nam invitus sane tantum aquae salsae hauserat, ut follis inflatus videretur. Ceterum Pupulus, nolens sibi confidere nimis, prudenter existimavit in mare se iterum jactare, litusque relinquens ad amicum, quem servaverat, clamavit:

– Alidore, vale: bonum iter ingredere, et domesticos lares saluta.

– Pinocule, vale, – canis respondit – quod me a morte eripuisti millies gratias tibi reddo: magnam enim mihi operam praestitisti et egregiam: et in hoc mundo, quod semel a nobis datum erit, reddetur nobis. Inter nos iterum, occasione data, colloquemur. –

Natare Pinoculus perrexit, semper non procul a terra. Denique se in tutum pervenisse existimavit; litus aspiciens circum, inter scopulos, speluncam quandam vidit ex qua longissima fumidaque crista, exibat.

– In illa spelunca – tunc dixit intra se – forsitan ardet ignis. Tanto melius! Illuc ibo ad membra calefacienda simulque arefacienda, et postea? ... Et postea accidat sane quidquid fortuna vult. –

Hoc consilio capto, ad scopulos appropinquavit: sed quando in eo fuit ut ascenderet, quiddam sub aqua sensit, quod ascendebat, ascendebat, ascendebat ipsumque in aëra tollebat. Subito fugam capessere conatus est, sed jam sero erat; nam vehementissime admirans amplo latoque se reti interceptum esse sensit una cum turba omnis formae magnitudinisque piscium caudas vibrantium, seque, sicut desperatae animae, jactantium.

Eodemque tempore e spelunca egredientem tam foedum piscatorem vidit, tam quidem foedum, ut marino monstro similis videretur. Pro capillis spississimam viridis herbae silvulam capite gerebat; pellis corporis ipsius viridis erat, virides oculi, viridis barba et longissima et ad terram usque descendens. Lacertus videbatur viridis et magnus pedibusque posterioribus erectus.

Piscator, extracto e mari reti, valde gaudens clamavit:

– O Providentia benedicta! Et hodie me piscibus abundanter ingurgitabo! –

«Feliciter, quod piscis non sum ego!», inquit Pinoculus intra se aliquantum animi recipiens.

40 sed quo magis circumvolvebatur: ma più annaspava

Rete illud piscibus plenum in speluncam introductum est, quae obscura fumosaque erat, in qua magna oleoque plena patella frigebat, et ita faculae fungum suaviter olens ut respirationem interciperet.

– Nunc videamus tandem quosnam pisces ceperimus! – viridis Piscator inquit; intrudensque in rete tam abnormem manum ut pala pistoria videretur illa, mullorum manipulum barbatorum extraxit[41].

– Suavissimi quidem sunt isti barbati mulli! – inquit illos notans et cum voluptate olfaciens. Quos olfactos in labrum quoddam jactavit siccum.

Deinde pluries eundem laborem iteravit; et prout ceteros pisces extrahebat, sibi salivam moveri sentiebat et magna laetitia exsultans dicebat:

– Dulces porro aselli[42]sunt isti ! ...

– Suaves mugiles isti! ...

– Jucundae soleae sunt istae! ...

– Exquisiti araneoli isti[43]! ...

– Venustulae quidem sunt apuae istae cum capite! ... –

Ut vobis mente fingere licet, aselli, mugiles, soleae, araneoli et apuae simul promiscue in labrum conciderunt et societatem cum mullis inierunt! ...

Novissimus in reti manserat Pinoculus. Quo simul extracto, dilatavit Piscator enormes et mirabundos viridesque oculos, quasi pavidus clamans:

– Quodnam genus piscium istud? Nunquam vero huius figurae pisces comedisse recordor. –

Et iterum attente illum observavit, cumque illum attentius per omnes partes inspexisset, postremo dixit:

– Intellexi jam: marinus forsitan carabus est. –

Tunc Pinoculus, aegre ferens quod cum carabo confunderetur, irata dixit voce:

– Quidnam tua interest me carabum esse aut non esse?[44] Cave inepte me tractes! Scito ergo me Pupulum esse.

– Pupulus es tu? – rursus Piscator inquit. – Medius Fidius[45], Pupulus piscis mihi novus piscis videtur. Melius ita! Te libentius comedam!

– Ain'? Comedes me? At tibi hoc persuadere non vis me non esse piscem? Annon sentis me, sicut tu, loquentem et ratiocinantem?

– Verissimum est hoc, – subjunxit Piscator – et quoniam video te piscem fortuna utentem, cum loquendi, tum ratiocinandi, sicut ego ipse utor, debita quaedam officia tibi praestare volo.

– Ecquod genus officiorum est? ...

– Ut argumentum tibi praebeam et amicitiae et singularis obsequii sinam te eligere quanam via et ratione coquitari cupias. In patella fortasse cupis frigi an mavis in sartagine coqui conditis lycopersicis aspersa?[46]

– Ut verum loquar, – Pinoculus respondit – si mihi eligendi facultas, libertatem praeopto, ut domum meam redire possim.

– Tu nugaris! An forte putas tam rari piscis gustandi occasionem me relicturum? Non certe quotidie pervenit haec ad litora piscis pupulus huiusmodi! Exspecta et da mihi veniam; in patella enim te frigam cum ceteris piscibus omnibus, et hac sorte contentus eris. Nam illud semper solacium fuit: in patella

41 mullorum manipulum barbatorum extraxit: tirò fuori una manciata di triglie
42 aselli: i naselli
43 araneoli isti: codesti ragnotti
44 Quidnam tua interest me carabum esse aut non esse?: ma che granchio e non granchio?
45 Medius Fidius: dico la verità
46 in sartagine conditis lycopersicis aspersa: nel tegame colla salsa di pomodoro

cum sociis frigi simul. –

Pinoculus miser hac antiphona audita, flere, vociferari, seseque commendare et flens dicere:

– Quam melius erat si ad scholam me contulissem! ... Quod comites sequi et audire volui, nunc poenas solvo! ... Ih! ... Ih! ... Ih! ... –

Et quoniam sicut anguilla distorquebatur et mirum in modum nitebatur ut se eriperet ex unguibus viridis Piscatoris, hic juncinum corticem arripuit et pedibus eius manibusque tomacinae instar[47]ligatis illum cum ceteris piscibus in labrum injecit.

Deinde, extracta lignea enormique lance, farina, qua repleta erat, pisces illos omnes aspergere coepit; et prout illos asperserat, in patellam ut frigerentur jactabat.

Primi, fervido oleo suffusi, aselli miseri saluerunt: idem deinde fatum araneolis obtigit, dein mugilibus, postea soleis et apuis ac tandem momentum Pinoculi advenit. Qui, cum se morti terribili quidem tam proximum videret, tanta trepidatione tantoque pavore invasus est, ut eum ad se commendandum vox spiritusque defecerint. Tunc puer ille miser oculis se commendare!

At viridis Piscator, ne illum respicere quidem, aut audire, quinquies vel sexies in farina illum volutare, tamque scite a capite ad pedes illum aspergere ut gypseus pupulus videretur.

Capite tandem illum arripuit, et ...

CAPITULUM UNDETRICESIMUM



In hoc capitulo ostenditur quemadmodum Pinoculus ad domum Sospitae redeat, quae illi promittit, postero die, ipsum non amplius pupulum futurum sed puerum, atque interea magnum paretur jentaculum kaffeariae potionis cum lactea commixtae ad eiusmodi magnum eventum celebrandum.

Erat Piscator Pinoculum in patellam projecturus, cum subito in speluncam magnus quidam canis intravit, quem odor acerrimus alliciensque fricturae illuc adduxerat.

– Abito hinc! – Piscator inclamavit minitans semperque manu retinens farina conspersum Pupulum.

At miser canis fame cruciabatur quadrifaria[48] et ganniens agitansque caudam dicere videbatur:

– Cedo, quaeso, mihi offulam frictam, nec amplius tibi molestus ero.

– Abito hinc, inquam, – iterum dixit ei Piscator: et crus extendit ut illum pede plecteret.

Tum canis, qui, serio esuriens, non patiebatur sibi muscas insidere naso, in Piscatorem ringens, calcitravit, et ostendit illi terribiles et aduncos dentes.

Interea in spelunca audita est perexigua vocula quae dixit:

– Alidore, precor, serva me! Nisi me servaveris, frigar! ... –

Canis subito adgnovit Pinoculi vocem, demiransque ab sarcinula illa farina dealbata voculam illam egressam sensit[49]; sarcinulam vero manibus regebat

47 tomacinae instar: a guisa di salame
48 fame cruciabatur quadrifaria: aveva una fame per quattro
49 demiransque ab sarcinula sensit: e si accorse con grandissima meraviglia che dal fagotto

Piscator.

Tunc quid agit ille canis? Violenter e terra exsilit, sarcinulamque farina aspersam mordicus arripit, leviterque dentibus retinens, e specu exit currens ac veluti fulgur elabitur.

Piscator perrabidus quod sibi e manibus eriperetur piscis, quem tam libenter manducaturus erat, persequi canem conatus est; sed paucis post passibus nodum tussis sensit et redire ipse coactus est.

Alidorus interea, tramite ferente ad oppidum invento, constitit molliterque amicum Pinoculum deposuit.

– Quam multas gratias tibi referre debeo, – Pupulus inquit.

– Non est opus quidem gratiis, – inquit contra canis, – tu me servasti et quod bonum cuique praestiterimus, illud reddetur nobis. Hoc, scilicet, in mundo inter nos omnes juvare oportet.

– At quomodo in speluncam illam incidisti?

– Ego jamdiu hac in ora maritima manebam stratus, mortuus et eram magis quam vivus quando ventus a longe jucundum obsonii fricti pertulit odorem ad me. Nidor ille suavis obsonavit mihi famem[50] ideoque illum secutus sum. Si tantillo serius advenissem! ...

– Cave hoc dixeris mihi! – ululavit Pinoculus adhuc pavore tremens. – Cave hoc dixeris! Si uno tu momento serius advenisses hac hora jam frictus, manducatus digestusque essem. Brrr! ... Illa recogitans, subito horresco! ... –

Alidorus, ridens, dexteram ungulam extendit ad Pupulum, qui in signum amicitiae illam vehementer perstrinxit; postea uterque abiit aliorsum.

Canis iter domesticum suscepit: et Pinoculus, qui solus erat relictus, ad gurgustium, quod parvo intervallo aberat illinc, perrexit interrogavitque vetulum quemdam in porta stantem et se calefacientem ad solem.

– Dic, quaeso, vir frugi et bone, nihilne scis de infelici quodam puero, cui caput male mulcatum est, cui praeterea nomen erat Eugenius?

– Hoc ad gurgustium piscatores quidam puerum, quem dicis, portaverunt et nunc ...

– Nunc fortasse mortuus est, – vehementer dolens Pinoculus interrupit.

– Minime, at vivit nunc, jamque domum rediit.

– Ain'? Ain'? – clamavit Pupulus exsiliens gaudio. – Ergone vulnus grave non erat? ...

– At gravissimum evadere poterat et letale, – respondit vetulus – quia et magnum et charta spissiore compactum in ipsius caput jactaverunt librum.

– Et quisnam jactavit?

– Scholae socius: Pinoculus quidam ...

– Et Pinoculus hic quis est? – quaesivit Pupulus se ignarum simulans[51].

– Fama est improbum quidem puerum esse et errabundum vereque perditum ...

– Calumniae! Calumniae hac sunt quidem!

– Novistine tu Pinoculum istum?

– De facie tantummodo – Pupulus respondit.

– Et quid de illo opinaris? – vetulus quaesivit.

– Ille mihi videtur et optimus filius valdeque studendi cupidus et patris et familiae diligens. –

Haec omnia, pudore excusso, mendacia continuata serie trahens, nasum

50 Nidor ille suavis obsonavit mihi famen: quell'odorino mi ha stuzzicato l'appetito

51 se ignarum simulans: facendo lo gnorri

tangit sibi et sentit nasum uno palmo prolixiorem factum. Tunc perpavidus ipse clamare coepit:

– Cave credideris, o vir frugi, quae de illo benigne dixi ego: optime enim Pinoculum novi ac te certiorem facere possum revera ipsum esse puerastrum, et inobsequentem et ignavum familiariterque uti, potiusquam ludum litterarium frequentet, aliis aequalibus improbulisque pueris[52]. –

Nasus illius, hisce prolatis verbis, illico contractus est et ad pristinam naturam et formam rediit.

– At cur sic corpus et vultus albula tibi sunt? – extemplo ex eo vetulus ille quaesivit.

– Hoc equidem fatebor ... recenter dealbatum murum, inscius ego confricui, – Pupulus respondit, quoniam ipsum pudebat quod more piscis farina conspersus esset, ut mox in patella frigeretur.

– Ecquid vero de tunicella tua, ecquid de braculis tuis et de pileolo tuo?

– Ego equidem in latrones incidi, qui despoliaverunt me. Dic, quaeso, o vetule frugi: num qua tibi vestis exigua, tantum ut liceat mihi revertere domum?

– O puer mi, inter vestimenta mihi tantum est saccellus idemque exiguus, in quo lupinos custodio. Sis, capito illum: ecce, illic est. –

Et Pinoculus bis haec sibi dici non passus est; subito lupinis vacuum saccellum comprehendit, et, cum foramen forficibus per illius fundum et duo foramina per utrumque latus aperuisset, tamquam subuculam induit illum. Et vestitus levissimo vestimento huiusmodi ad oppidum contendit. Sed illi iter facienti minime tranquillus animus erat; uno enim gradu procedebat et altero recedebat secumque ipse loquens dictitabat:

«Quomodo adibo dulcem Sospitam meam? Quidnam mihi dicet cum ipsa reviset me? Ignoscetne iterum huic improbulitati meae?...[53] Caput voveo, quod ipsa mihi non ignoscet! ... Hanc certo mihi non ignoscet improbulitatem! ... Et mihi hoc bene accidit, quoniam improbulus ille sum, qui pollicear memet semper vitam emendaturum, nunquam vero promissa exsolvam! ...».

Tenebrosa cum facta esset nox ad oppidum pervenit cumque tempestas horrida esset imberque irrueret, ad Sospitae domum rectissima perrexit, consilio certo pulsandi ostium ut sibi patefieret. Illum vero defecit animus cum ad ostium pervenisset, et, potiusquam pulsaret, viginti passus abiit currens. Ad ostium iterum accessit, nec quidquam egit; tertio accessit et nihil; quarto malleum ferreum, pavidus, manu comprehendit et leviter, exiguo ictu, ostium pulsavit.

Exspecta, exspecta, semihora tandem elapsa, fenestra ultimi tabulati patefacta est et Pinoculus magnam quandam Cochleam caput accensa cicendela ornatum e fenestra efferre vidit; quae mox ita locuta est:

– Ecquis, hac hora, venit?

– Sospita forte domi est? – Pupulus quaesivit.

– Sospita dormit neque excitari vult; tu vero quis es?

– Ego sum equidem!

– Quis est ego?

– Pinoculus.

– Quis est Pinoculus?

– Pupulus ille qui in domo Sospitae habitat.

– Hem! intellexi – inquit Cochlea. – Exspecta me istic, nunc enim descendo et cito tibi aperiam.

52 famlliariterque uti aliis aequalibus improbulisque pueris: va coi suoi compagni a far lo sbarazzino
53 huic improbulitati meae: a questa mia birichinata

– Propera, amabo te, quoniam frigore morior ego.

– Puer mi, ego sum Cochlea, et cochleae numquam festinare solent. –

Interea una hora transiit, transierunt duae, nec ostium aperiebatur; quamobrem Pinoculus frigore tremens et pavore et aqua madefaciente corpus ipsius, animo erecto, pulsavit iterum, et pulsavit fortius. Post iteratum ictum illum, inferioris tabulati fenestra aperta est et solita Cochlea prodiit.

– Cochleola pulchra, – a via Pinoculus clamavit – tertiam jam horam exspecto! Et duae horae hoc iniquo vespere longiores fiunt duobus annis. Propera, amabo te.

– Puer mi, – ex fenestra bestiola illa pace et lentitudine plena respondit, – puer mi, ego Cochlea sum, nec unquam cochleae festinae esse solent. –

Et fenestra iterum clausa est.

Aliquanto post, mediae noctis signum insonuit: dein horae septimae, dein octavae; et ostium semper clausum manebat.

Tum Pinoculus, patientia abrupta, rabide ferreum januae manubrium, magnum ictum vibraturus, quo domus tota resonaret, arripuit; sed manubrium, cum esset ferreum, subito in anguillam viventem transformatum est; quae, ex ipsius manibus aufugiens, illapsa est in aquae rivulum per mediam viam currentem atque ex oculis evanuit.

– Etiam hoc? – magis magisque ira incensus Pinoculus clamavit. – At si manubrium evanuit, ego equidem pulsare non desinam calcitrando saepius. –

Et cum aliquanto spatio recessisset, domus ostium quam maximo potuit ictu percussit pedestri. Ictus vero tam fortis fuit, ut pes eius penetraverit lignum in medium, et connisus extrahere illum frustra omnem laborem impendit: etenim pes sicut retunsus clavus infixus manserat.

Vestris animis Pinoculum fingite miserum!

Altero pede terram premente et altero sublime suspenso reliquum tempus noctis terere debuit. Orto mane primaque luce ostium tandem apertum est. Cochlea, egregia quidem bestiola, a quarto tabulato usque ad ostium viam prospiciens descendit, et novem tantum horas triverat. Fatendum quidem insudasse illam!

– Quidnam hoc pede in ostium fixo? – ridens ipsa interrogavit Pupulum.

– Calamitas fuit et infortunium. Vide modo, o Cochleola pulchra, num possis me ex hoc supplicio liberare.

– Puer mi, hic opus est lignatore; nec ego unquam lignatrix fui.

– Obsecra, quaeso, Sospitam nomine meo! ...

– Sospita dormit neque excitari vult.

– At quidnam vis me facere tota die huic ostio infixum?

– Fac delecteris formiculas numerare pertranseuntes viam.

– Affer saltem mihi aliquantulum cibi, ut manducem quoniam me exhaustum sentio.

– Illico! – inquit Cochlea.

Re autem vera, tres post horas cum dimidio, illam cum argentea super caput lance Pinoculus redeuntem vidit.

In lance erant panis, pullus assus et quattuor matura armeniaca.

– Ecce jentaculum, quod tibi Sospita mittit, – inquit Cochlea.

Pupulus coram illa copia divina magnum intra se solatium expertus est.

Sed quantopere se spe deceptum vidit, cum manducare incipiens animadvertit, dolendum sane, panem illum ex gypso esse confectum et gallinaceum pullum ex spissiore charta fictum et quattuor armeniaca ex

alabastro, quibus ad naturam color erat inductus!

Plangere ipse volebat, animum in desperationem inducere, et abicere lancem cum omnibus quos ferebat fictos cibos: at contra sive magnus dolor erat sive stomachi languor, revera animo defecit et cecidit. Postquam vero se recepit, in stibadio stratum se vidit ipsique Sospita aderat.

– Etiam nunc ignosco tibi, – Sospita dixit ei, – at tibi vae si quid, ut adhuc fecisti, petulanter feceris! ... –

Pinoculus promisit, iuravitque se in studia incubiturum et in omnibus rerum adjunctis bene facturum.

Et promissa per reliquum anni illius tempus servavit. Et revera periculis vacationum superatis summam inter socios laudem nactus est; et mores ipsius universim ita laude digni probabilesque existimati sunt, ut Sospita vehementer gaudens dixerit ei:

– Cras tandem desiderium tuum explebitur.


– Idest?

– Tu cras ligneus pupulus desines esse, et probus puer fies. –

Si quis non vidit Pinoculi gaudium ad tam desideratum nuntium, nunquam illud sibi fingere poterit. Ad magnum eventum celebrandum omnes ipsius amici et condiscipuli ad solemne prandium apud Sospitam in posterum diem invitandi erant; et Sospita jusserat parari ducentas ex arabica faba potiones et lacte, quadringentaque panis frustula butyro infra supraque illita.. Dies ille admodum dulcis laetusque initio apparebat, sed ... Infeliciter vero in vita pupulorum accidit, ut aliquid semper adversi occurrat[54] quod omnia dissipet.

CAPITULUM TRICESIMUM

In hoc capitulo narratur quomodo Pinoculus, potiusquam adulescentulus fiat, clandestinus cum Lucinulo, amico suo, Crepundoviam proficiscatur.



Pinoculus scilicet Sospitam rogavit ut sibi potestatem faceret circumeundi civitatem ad amicos suos invitandos, et Sospita dixit ei:

– Abi sane ad amicos tuos invitandos ad crastinum jentaculum: at memento redire domum antequam incumbat nox. Intellexistine?

– Post unam horam jam rediero, – Pinoculus inquit iterum.

– Pinocule, cave! Pueri cito promittunt, sed plerumque cunctanter promissa exsolvunt.

– At ego non sum sicut ceteri: ego vero, si quid pollicitus sum, persolvo illud.

– Hoc videndum. Quod si forte non oboediveris, multo pejora occurrent tibi!

– Cur?

– Quia pueris, qui non oboediunt sapientioribus, aliqua semper calamitas occurrit.

54 ut aliquid semper adversi occurrat; c'è sempre un *ma*

– Et ego haec expertus sum! – Pinoculus inquit. – At in eandem culpam non relabar amplius!

– Videndum mox verumne dixeris. –

Pupulus, nullo alio addito verbo suavem Sospitam salutavit, matris ipsius munere fungentem, et canens et exsiliens, ostium domus praetergressus est. Intra unius fere horae spatium omnes ipsius amici invitati sunt. Quorum alii subito libentissimeque invitationem non abnuerunt; alii prima rogari se passi sunt, sed cum scierunt panis frustula in calicem kaffeariae et lacteae potionis intingenda etiam butyro circumlita fore, omnes denique concordes dixerunt:

– Veniemus et nos, ut morem tibi geramus. –

Nunc vero sciamus oportet, inter omnes scholasticos socios omnium carissimum Pinoculo amicum fuisse, Romaeum nomine; sed omnes Lucinulum cognominabant eum, cum esset exili puer et macilento simulque perlucidulo corpore[55] persimilis prorsus novo lucinii nocturni filo. Quamvis Lucinulus inter omnes scholae pueros ignavus maxime et improbulus esset, Pinoculus tamen vehementer diligebat ipsum. Quamobrem ad ipsius domum, ut ad jentaculum invitaret cum properasset, non invenit tamen ipsum: iterum rediit, sed Lucinulus aberat; tertio rediit, sed iter frustra suscepit.

Ubinam piscaretur illum? Modo hac modo illac properans ad inquirendum in porticu quadam vidit illum tandem abditum.

– Quid agis hic? – quaesivit Pupulus appropinquans.

– Exspecto mediam noctem ad proficiscendum ...

– Quo vadis?

– Abeo procul, procul, procul!

– Et ego ter ad te quaerendum veneram! ...

– Ecquid a me requirebas?

– Nonne scis magnum eventum? Nonne scis fortunam quae occurrit mihi?

– Quaenam?

– Cras desinam pupulus esse et puer fiam sicut tu et sicut ceteri omnes.

– Hoc tibi prosit.

– Cras igitur te exspecto ad jentandum apud me.

– Hoc vespere, inquam, proficiscar!

– Quota?

– Media nocte.

– Ecquo vadis?

– Vado ad habitandum pagum ... quo nullum jucundiorem in orbe terrarum invenias: vere cucaniam dixeris! ... [56]

– Et quo appellatur nomine?

– Crepundovia[57] appellatur.

– Cur non venis et tu?

– Ego minime prorsus veniam!

– Recte non loqueris, Pinocule! Nisi veneris, crede mihi, te id poenitebit! Ubinam invenias pagum isto nobismetipsis salubriorem? Illic scholae non sunt: ludi magistri non sunt: illic libri non sunt. In illo fortunato pago nunquam pueri studere solent: Jovis dies schola vacat: et omnis hebdomada e Jovis diebus sex et una Dominica die constat. Hoc tibi finge: Kalendis quidem Januariis feriae incipiunt et ad pridie Januarias Kalendas protrahuntur. Ecce pagus, qualem mihi fingo! Ecce quales oportet esse pagos omnes humanitate excultos.

55 cum esset exili puer et macilento simulque perlucidulo corpore: per via del suo personalino asciutto, secco e allampanato
56 vere cucaniam dixeris!: è una vera cuccagna
57 Crepundovia: Paese dei balocchi, per antifrasl con *Morbovia*: Paese dei malanni

– At quomodo Crepundoviae dies currunt?

– Dies inter crepundia et ludos a mane usque ad vesperam labuntur. Vesperi autem cubitum discedimus, et postero mane ab initio incipimus. Quid tibi videtur?

– Uhm!... – Hunc versum Pinoculus edidit, et capite leviter nutavit, quasi diceret: «Hanc vitam libenter ego quoque viverem!»

– Vis ergo mecum proficisci? Vis annon? Delibera!

– Minime, minime, minime et insuper minime! Hoc enim dulcissimae Sospitae jam pollicitus sum, quod bene moratus puer fieri et promissa servare volo. Immo, solem quoniam video occidentem, te cito relinquo et aufugio. Vale igitur faustumque iter tibi sit.

– Ecquo tam festinanter curris?

– Domum. Nam suavis Sospita mea, antequam nox incumbat, me redire vult.

– Exspecta, quaeso, alia duo momenta.

– Nimis serus redeo.

– Duo tantum momenta.

– At si Sospita postea increpabit me?

– Illam increpare sine. Ubi satis superque increpuerit ipsa, quiescet, – Lucinulus, carcer ille, inquit.

– Et quomodo proficisceris ? Solus an cum sociis?

– Solum dixistine? Ultra centum erimus.

– Iterque pedetemptim facietis?

– Media nocte currus transibit hac, qui suscipiet nos, ut usque ad fines perbeati illius pagi perducat.

– O quam magnum pretium solverem, si media nox jam incumberet! ...

– Cur?

– Ut videam vos simul abeuntes!

– Parumper mane et videbis nos.

– Minime, minime, redire domum volo.

– Duo alia, quaeso, momenta exspecta.

– Cunctatus sum et quidem satis. Sospita vero anxia forte facta est propter me.

– O misera Sospita! Timetne haec ne forte vespertiliones devorent te?

– At vere certus es, – adiunxit Pinoculus, – in pago illo nullas esse scholas?

– Ne umbra quidem earum.

– Neque ibi esse magistros? ...

– Ne unus quidem.

– Nec prorsus esse ibi studendi obligationem?

– Nunquam, nunquam, nunquam!

– Quam pulcher pagus est ille! – Pinoculus inquit salivam sibi in ore moveri sentiens. – Quam pulcher quidem pagus! Nunquam quidem in illo versatus sum, sed mente mihi illum statuo!...[58]

– Cur non venis et tu?

– Frustra me tentas. Ego enim jam dulci Sospitae memot puerum probum fieri pollicitus sum, neque datam fidem fallere volo.

– Vale ergo et nomine meo Gymnasii ludos salutato! ... Et etiam Lycei ludos salutato, si forte ex itinere illis occurreris.

– Salve, Lucinule: fortunatum iter ominor tibi, utque animum relaxes cura,

58 sed mente mihi illum statuo: me lo figuro

atque interdum amicorum memento. –

Pupulus haec locutus, tamquam abiturus duobus passibus recessit; sed deinde consistens seque ad amicum convertens quaesivit:

– At hoc certum est in pago illo omnes hebdomadas e sex constare diebus Jovis et una Dominica?

– Certissimum est hoc.

– O pulchrum pagum! – iterum Pinoculus inquit nimio gaudio exspuens.

Dein animo erecto subjunxit praepropere et festinanter:

– Vale ergo postremo; ac fortunatum iter.

– Vale.

– Post quantum temporis proficiscemini?

– Post horas duas!

– Damnum! Si tantum unam post horam profectio esset, morarer forsitan.

– Et Sospita? ...

– Nunc jam sero est! Et redire domum post unam horam aut antea mihi idem esse arbitror.

– O miser Pinocule! At si Sospita increpabit te?

– Dolendum sane! Sinam illam me increpare, cum satis superque increpuerit, acquiescet tandem aliquando! –

Interea incubuemt nox et tenebrosa quidem nox; cum improviso igniculum procul nutantem conspexerunt sonitumque crepitacillorum audierunt[59], tubulaeque clangorem tam exiguum et repressum, ut culicis perlevis sibilus videretur[60].

Ecce adest! ... – clamavit Lucinulus erigens se.

– Quis est? – quaesivit submissa voce Pinoculus.

– Currus est, qui me assumpturus venit. Ergo, venire vis annon?

– At verum est quidem, – quaesivit Pupulus – in pago illo pueros nullo studiorum officio obligari?

– Nunquam, nunquam, nunquam!


– O pulchrum pagum! ... O beatum pagum! ... O fortunatum pagum! ...

---

59 sonitumque crepitacillorum audierunt: e sentirono un suono di bubboli
60 ut culicis perlevis sibilus videretur: che pareva il sibilo di una zanzara

CAPITULUM TRICESIMUM PRIMUM

In hoc capitulo narratur quomodo Pinoculus, quinque post menses in ludibundis cucaniae illius amoenitatibus, sibimet demiranti binas asininas aures excrescere sentiat caudatusque quidem asellus fiat ceterisque omnibus praeditus artubus.



Currus demum pervenit: et pervenit ne minimum quidem rumorem ciens, quod rotae illius stuppa panniculisque involutae erant. Currum trahebant duodecim asellorum juga, quibus omnibus eadem magnitudo, varius tamen pilus erat.

Alii cinereo, alii albo, alii salis piperisque colore: alii magnis flavisque fasciis caeruleisque distincti.

Illud vero mirum erat et singulare, quod duodecim jugis illis (idest vigintiquattuor asellis) non ferro muniti erant pedes sicut ceteris sunt jugalibus jumentisque, sed albis ex corio, more hominum, calceolis. Et auriga currus?

Homullum vobis mente statuite magis figura latum quam longum, tenerum unguinosumque[61] instar butyrrei globi, vulticulo roseo malo simili, osculo semper ridente exilique voce et blanda, ut vox felis quae erilem gratiam interdum sibimet eblandiri solet[62].

Omnes pueri simul atque eum conspexerant, capiebantur amore certatimque conscendebant in illius currum, ut in non fictam cucaniam illam[63] in tabulis geographicis notam illecebroso nomine Crepundoviae conducerentur. Etenim currus omnino pueris stipatus erat non infra octo neque supra duodecim annos natis atque inter se coacervatis sicut in salsura apuarum multitudo.

Incommode collocati erant, et inter se compingebant et respirare vix poterant, at nemo ex eis dicebat «hoe», nemo querebatur.

Illud autem eos sic patientia et laetitia replebat, ut ipsi neque molestiam, neque labores, neque famem, neque sitim, neque somnum sentire viderentur, quod sciebant se, intra paucas horas, in pagum perventuros, in quo neque libri neque scholae neque magistri essent.

Simul atque currus constitit, homullus ille se ad Lucinulum convertit, et infinitis oris distortionibus itemque blandimentulis subridens ex eo quaesivit:

– Dic mihi, quaeso, puerule mi, venturusne tu quoque es in illum fortunatum pagum?

– Profecto illuc venire volo.

– Sed admoneo te, corculum meum, in curru nullum esse locum. Omnino enim, ut cernis, confertus est!

– Patienter feramus! – Lucinulus inquit iterum. – Et si intra currum locus non

61 unguinosum: untuoso
62 quae erilem gratiam eblandiri solet: che si raccomanda al buon cuore della padrona di casa
63 in non fictam cucaniam illam: in quella vera cuccagna: cioè, luogo di vita allegra e oziosa

est mihi, satis erit insidere in temonibus currus. –

Qui, cum exsiluisset, diductis cruribus temonibus insedit.

– Et tu, amor mi? ... – ad Pinoculum officiose totum se convertens homullus dixit ille. – Quid statuis facere? Nobiscum venis annon? An manes? ...

– Ego manebo equidem, – Pinoculus respondit. – Ego redire ad domum meam volo: studere scilicet et laudem in schola consequi volo.

– Hoc prosit tibi!

– Pinocule! – deinde Lucinulus inquit. – Obtempera, precor, consilio meo: nobiscum veni hilaresque vitam vivemus.

– Minirne, minirne, minime!

– Nobiscum veni et erimus laeti, – ex intimo curru aliae quattuor voces conclamaverunt.

– Nobiscum veni et erimus laeti, – ululaverunt ex intimo curru centum simul voces.

– At vero si vobiscum venero, quidnam suavis mea Sospita dicet? – jam tenerascens et labascens[64] Pupulus inquit.

– Ne tot aegritudinibus animum tuum obduxeris. Hoc vero statue mente tua in pagum nos pergere, ubi nobis strepere licebit a mane usque ad vesperum. –

Non respondit Pinoculus, sed suspirium duxit; deinde suspirium iterum duxit; postea tertium suspirium; tandem dixit:

– Para, quaeso, tantillum loci; quoniam et ego venire volo! ...

– Sedilia omnia occupata sunt, – iterum homullus ille inquit, – sed ut tibi ostendam quantum acceptus sis, tibi locum meum in sella cedere possum ...

– Et tu? ...

– Ego contra iter pedestre suscipiam.

– Minime prorsus, non patiar hoc. Malo tergum alicuius ex istis asellis conscendere! – Pinoculus clamavit.

Illico accessit ad primi jugi asellum dexterum, illumque supersilire tentavit: sed bestiola improviso se convertens tam vehementer pectus illi tutudit rostro ut illum repulerit cruribus in aëra distentum.

Omnium puerorum, qui huic rei jocosae aderant, petulantiam et immodestiam cachinnorum, vestris, quaeso, fingite animis.

At homullus non risit. Accessit ad indocilem asellum benigniore vultu, et, sic illum osculari simulans, dexterae morsu dimidium abscidit auris ipsius.

Interea Pinoculus, cum furens omnino e terra surrexisset, rapidus in tergum miseri mius aselli insiluit.

Et saltus ipsius tam lepidus fuit, ut pueri, risu interrupto, ululare coeperint «Io Pinocule» manuumque imbricibus frequenter plaudere atque immodice[65].

Et ecce improviso asellus, cruribus posterioribus sublatis, tam vehementer dorsum concussit, ut miserum Pupulum jaculatus sit in glarearum tumulum in via illa positum. Tunc illi effusius iterum ridere; sed homullus potiusquam rideret tanto erga illum inquietum asellum flagravit amore, ut, osculando, alterius dimidium auris ipsius prorsus abstulerit.

Dein Pupulo dixit:

– Agedum, iterum ascende et noli pavere. Asellus ille nimirum aliquid alogiarum cerebro secum ipse volvebat[66]; at ego in ipsius aures aliqua verba insusurravi et spero illum ad mansuetos docilesque mores revocasse. –

Tunc Pinoculus insiluit, et currus procedere coepit: at asellis citato gradu

64 jam tenerascens et labascens: già cominciando a intenerirsi e a ciurlar nel manico
65 manuumque imbricibus frequenter plaudere atque immodice: e a fare una smanacciata dl applausi che non finivano più
66 asellus ille nimirum aliquid alogiarum cerebro secum ipse volvebat: quel ciuchino aveva qualche grillo per la testa

currentibus curruque saxosa publica via procedente, submissam exilemque vocem Pupulus excipere arbitratus est, quae dixit illi:

– O miser et fatue puer! Prout tibi placuit agere voluisti; id vero mox te poenitebit! –

Pinoculus quasi pavidus, huc illuc respexit, ut pernosceret undenam egrederentur verba haec; at neminem vidit: aselli interea libero cursu ire, currus currere, pueri intra currum dormire, Lucinulus stertere quasi glis et homullus in sella insidens inter dentes cantillare:

Omnes in noctibus dormiunt
ego vero dormio nunquam...

Pinoculus, cum alios quingentos passus processisset, solitam repressamque audivit voculam, quae dixit ei:

– Hoc memoria retine, stolidule! Pueri, studio librisque valedicentes, et ludis litterarum et litteratoribus, ut omnino se crepundiis delectamentisque dedant, nullum alium exitum obire possunt quam calamitosum! ... Ego enim haec expertus sum! ... et hoc tibi dicere possum! Veniet tandem aliquando dies, cum tibi flendum erit, sicut ego fleo ... sed tunc sero erit! ... –

Pupulus, hisce submissis susurrationibus quam qui maxime territus, e dorso aselli exsiluit rostrumque aselli capessere festinavit.

Et vobis fingite quanto opere obstupuerit , cum animadvertit asellum suum flere et flere, scilicet, puerorum more.

– Eheus, egregie homulle – Pinoculus ad erum currus clamavit, – scisne quid novi accidat? Asellus iste plangit.

– Sine plangere illum: ridebit sane cum maritus erit.

– Illum forte etiam loqui docuisti?

– Minime docui, sed ipse per se nonnulla verba murmurare didicit, quoniam tres per annos coetum insuefactorum canum frequentavit.

– Eheu ... miserum animal! ...

– Apage, apage, – homullus inquit – ne tempus nostrum teramus asellum lacrimantem contemplantes. Iterum asellum conscende, et abeamus: nam frigida nox et via longa restat. –

Pinoculus obtemperavit neque spiritum duxit. Currus iterum currere coepit: et mane postero, prima luce, Crepundoviam feliciter pervenerunt.

Hic autem pagus ab omnibus orbis terrarum pagis differebat.

Frequentia incolarum eius omnino ex pueris constabat. Natu majores quattuordecim annos nati erant: natuque minores vix octo annos. In viis tantum laetitiae erat ac tantus strepitus vociferantium, ut mente te quasi captum esse crederes.

Minusculorum manipulos nebulonum[67] ubicumque cerneres: alii nucibus ludere, alii disco, alii pila, alii birota vagari, alii praeterea ligneo equulo: isti vero aeneam muscam venari[68]; illi inter se insequi: alii scurriles vestes induti stuppam accensam comedere: alius recitare, alius cantare, alius cernuare[69], alius, manibus terra innixis cruribusque in aëra sublatis, ambulans delectari[70]: alius mittere trochum, alius tamquam imperator quidam galeam ex macerata charta gerens gladiumque stringens obambulare; alius ridere, alius ululare, alius clamare, alius

67 manipulos nebulonum: branchi di monelli
68 aeneam muscam venari: giocare a mosca cieca
69 alius cernuare: un altro fare il salto mortale
70 alius manibus terra innixis... delectari: chi si divertiva a camminare colle mani in terra

manibus plaudere, alius sibilare, alius gallinae, postquam ovum peperit, versum imitari: uno verbo tanta daemonica turbatio, tantus, ut in turba passerum, clamor, tantus quasi diabolorum strepitus, ut gossipio, ne obtunderentur, obturare aures necesse esset.

In omnibus foris lintea conspiceres theatridia, quae a mane usque ad vesperum pueri frequentabant et in omnibus muris huiuscemodi carbone inscripta eaque pulcherrima legeres:

Io *crepundi!* (pro *crepundia*): non *bolamus amplius solas* (pro *nolumus amplius scholas*); auferte hinc *Larin Meticam* (pro *arithmeticam*) et huiusmodi flores sententiarum.

Pinoculus, Lucinulus, ceterique pueri omnes, qui una cum homullo iter fecerant, simul atque urbem ingressi sunt, subito in tumultum illum injecerunt se et, paucis momentis elapsis, ut facile fingere possumus, omnium amici facti sunt. Quemnam feliciorem, quemnam beatiorem illis invenias?

Inter continuos ludos et varia oblectamenta, horae, dies, hebdomadae, sicut fulgura transibant.

– O quam dulcis vita! – Pinoculus dicebat quotiescumque Lucinulo forte occurrerat.

– Vides ergo quam recte locutus sim? – hic rursum dicebat. – Atqui proficisci nolebas! Atqui tibi in animo erat infixum ad Sospitae domum redire, ut tempus in studiis tereres! ... Quod si hodie jam te librorum taedio atque scholae liberasti, hoc mihi debes, et meis consiliis et sollicitudinibus. Nonne assentiris mihi haec? Haec enim officia veri amici tantum praestare valent.


– Hoc verum est, Lucinule! Etenim si hodie ego equidem puer contentus sum, hoc omnino tibi debeo. Scisne contra quid de te magister dixerit in sermone? Mihi semper dicebat: «Noli Lucinulo, improbulo illo, familiariter uti, quoniam Lucinulus improbus est socius, et nil aliud quam improbe agere te docere potest! ...»

– O litterator miser! – inquit iterum alter nutans capite. – Hoc scio tantum pro!, quod illum taedebat mei et delectabatur me calumnians; sed quoniam magnanimus sum, ignosco illi.

– O magnanime puer! – inquit Pinoculus benigne amplectens amicum suum interque oculos osculans.

Pinoculus interea sextum jam mensem hac in jucunda oblectationum ludicrorumque cucania vitam degebat integros per dies neque intuebatur aut unum librum jam aut unam scholam cum, mane quodam expergefactus, necopinata, ut dici solet, tristique re ita est affectus, ut sane quidem ipse stomachatus sit.

CAPITULUM TRICESIMUM ALTERUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo asininae Pinoculo aures increverint ac deinde, verus asellus factus, rudere coeperit.

Et quidnam fuit hoc necopinatum?

Hoc ego narrabo vobis, o dilecti mei pusillique lectores: hoc necopinatum quidem fuit, quod Pinoculo expergiscenti hoc scilicet accidit, ut caput sibi scaberet, et inter scabendum sensit ...

Eia, solvite aenigma, quid sensit ille?

Maxime admirans amplius palmo sensit aures increvisse sibi.

Pupulus, hoc quidem scitis, inde ab nativitatis die perexiguas aures gerebat; tam pusillas gerebat, ut oculis nudis ne conspicerentur quidem! Fingite ergo quomodo emiratus sit, cum animadvertere ipse potuit aures noctu tam longas esse. factas, ut duo peniculi palustres viderentur.

Tum subito speculum quaeritare ille, ut in ipso se inspicere posset; sed speculum non inveniens, labellum manibus lavandis replevit aqua, et introspiciens vidit quod nunquam videre volebat: imaginem demirans vidit suam miris quidem venustam asininis auribus.

Dolorem autem sino vos cogitare, pudorem, Pinoculique desperationem miseri! Ille flere, ululare, in murum caput percutere; sed quo magis desperabat, eo citius aures eius crescebant, crescebant, crebrisque pilis circa apices horrescebant ... Strepitu illo clamoreque peracuto percita egregia forma Marmotilla[71] quaedam cubiculum ingreditur ex superiore tabulato domus: quae cum respexisset tam graviter insanientem Pupulum, quaesivit ex eo sollicita:

– Quidnam accidit tibi, ou suavis contubernalis?

– Aegrotus sum quidem, Marmotilla mea, et graviter aegrotus ... et aegrotus morbo formiduloso sane! Intellegisne venarum pulsum?

– Paululum.

– Senti igitur, quaeso, pulsum mihi ut experiaris num febrim habeam. –

Marmotilla tunc pedem anteriorem dexterum protendit; et postquam pulsum sensit suspirans Pinoculo dixit:

– Quod tristia tibi nuntiare debeo, amice, hoc sane mihi febris est!

– Ecquid triste nuntiandum est?

– Tu foedissimam febrim habes! ...

– Ecquae febris?

– Febris quidem asinina.

– Non intellego febrim hanc! – respondit Pupulus, quamvis tantum pro! intellexisset.

– Propterea ergo quod non intellegis explicabo tibi, – Marmotilla subjunxit. – Scito ergo quod intra duas vel tres horas, nec pupulus jam, neque puer eris ...

– Et quidnam fiam?

– Intra duas vel tres horas in asellum quidem verum commutaberis, sicut qui trahunt plostellum portantes in forum olitorium et caules et lactucas.

– Ehi mihi misero! Ehi mihi misero! – ululavit Pinoculus aures sibi manibus

71 Marmotilla: la marmotta detta pure mus alpinus

capessens, easque trahens rabideque avellens tamquam si alienae essent.

– Corculum meum, – ad eum consolandum iterum inquit Marmotilla – quomodo contra haec repugnes? Hoc jam Fatum tuum. Jam in decretis sapientiae scriptum est, pueros omnes ignavos qui fastidiant libros, scholas, magistros, quique integros dies terant crepundiis, ludis oblectamentisque serius ocius in tot asellos commutatum iri.

– Ain' ? ita esse? – quaesivit Pupulus singultans.

– Tantum pro! Ita est! Et nunc fletus inutiles! Antea vero cogitare haec oportebat.

– Sed culpa mea non est: culpa omnis, fac credas hoc, Marmotilla, in Lucinulum cadit! ...

– Et quisnam Lucinulus iste est?

– Condiscipulus meus. Redire domum volebam: oboedire volebam: ego perseverare in studiis volebam laudesque mihi adipisci ... sed Lucinulus dixit mihi: «Cur taedium studendi obire yis? Cur scholam adire vis? Veni potius mecum Crepundoviam; ibi non studebimus amplius; ibi a mane usque ad vesperum delectabimur semper que laeti erimus».

– Et cur ficti illius amici consilia secutus es, improbique socii?

– Cur? ... Propterea quod, O Marmotilla dulcis, pupulus excors ...et inhumanus sum. Utinam ciccum humanitatis[72] fuisset mihi, nunquam dulcem Sospitam deseruissem, quae tamquam mater diligebat me totque beneficia, in me contulerat! Et nunc non jam pupulus essem ... sed contra unus ex bene moratis puerulis, quos videlicet tam multos invenias! Hem, si Lucinulo forte occurrero, vae illi! Contumeliis innumeris onerabo illum! –

Deinde in eo fuit ut exiret Pupulus. Sed cum in limine ostii stetit recordatus est sibi aures esse asininas, et, cum eum puderet illas ostendere populo, quid excogitavit ille? Magnum ex gossipio pileum arripuit in quem caput sic impegit ut quasi omnino, usque, videlicet, infra apicem nasi, in ingluviem infartum appareret[73].

Postea egressus est quaeritans Lucinulum per omnia loca. Quaeritavit illum per vias, in foris, in theatridiis, in omnibus locis: at illum non invenit. Quoscumque in via invenit percontatus est, sed nemo illum viderat. Tum properavit illum quaerere domi, et, ubi ad ostium pervenit, pulsavit.

– Quis pulsavit? – interior quaesivit Lucinulus.

– Ego equidem sum! – respondit Pupulus.

– Parumper exspecta et aperiam tibi. –

Media hora elapsa, ostium patuit: et vobiscum ipsi animo fingite quomodo Pinoculus se habuerit cum, cubiculum ingressus, vidit Lucinulum, amicum suum, in capite magnum e gossipio galerum gerentem, qui usque sub nasum descendebat.

Pinoculus postquam vidit galerum illum fere acquievit et subito secum ipse cogitavit:

«Eodemne morbo laborat amicus meus? An ipse quoque asininam febrim habet? ...» Et simulans se nihil advertisse, subridens, quaesivit ab eo:

– Quomodo te habes, Lucinule mi?

– Optime quidem: sicut mus intra metam casei parmensis.

– Ain' vere?

– Cur mendacium tibi dicam?

72 ciccum humanitatis: un zinzino di cuore

73 ut in ingluviem infartum appareret: appariva il capo ficcato fino al gozzo

– Habe me excusatum, amice: tu vero cur capite geris istum ex gossipio gaJerum, quo aures omnino tibi teguntur?

– Hunc videlicet medicus me gerere jussit, quod hoc genu meum male mulcavi egomet. Atque rursus tu, Pupule care, cur geris pileum istum, qui usque sub nasum caput tuum, instar videlicet ingluviei, voravit?[74]

– Hunc me pileum medicus gerere jussit, quia pedem mihi deglupsi.

– Eheu, Pinocule miser! ...

– Eheu, Lucinule miser! ... –

Perdiuturnum haec verba continuavit silentium, quod inter nil aliud duo amici fecerunt, quam inter se ludificantium more conspexerunt.

Pupulus tandem vocula quadam suavi et tibicinio mixta[75] dixit comiti suo:

– Huic indulge, quaeso, curiositati meae: Lucinule care, nunquam ex auribus laborasti?

– Nunquam! ... Et tu?

– Nunquam! Ex hoc autem' mane aurem habeo, quae spasmo quodam vexat me.

– Eodem quidem morbo et ipse vexor.

– Tu quoque? ... Quaenam auris dolet tibi?

– Ambae dolent. Et tu?

– Ambae dolent. Idem forte morbus est.

– Ne ita sit vereor.

– Vin' gratum, Lucinule, mihi facere?

– Libenter, totoque animo.

– Ostendere vis mihi aures?

– Cur non ostendam? Sed prior tuas videre cupio, Pinocule bone.

– Minime, corculum meum! Tu prior, et ego posterior.

– Atqui, – tum Pupulus inquit, – tamquam probi amici paciscamur.

– Audiamus pactionem.

– Ambo simul galerum abstrahamus. Acceptasne hoc?

– Accepto equidem.

– Attende ergo. –

Et Pinoculus elata voce numerare coepit:

– Semel! bis! ter!

Ad verbum *ter*! pueri ambo galeros abstractos in aëra jaculati sunt; ac tum, vix credibile hoc, nisi verum esset, spectaculum factum est.

Accidit, videlicet, ut Pinoculus et Lucinulus, cum se ab eodem fato ictos viderunt, haudquaquam confusi et dolentes, immodico aurium incremento significare inter se coeperunt, et post innumeras insulsitates[76] demum ex animo effuse que riserunt.

Et riserunt, riserunt, et ita riserunt, ut corpora sustentare deberent. Attamen inter pereffusum risum, Lucinulus subito quievit et vacillans mutansque colorem amico suo dixit:

– Succurre, precor, succurre mihi, Pinocule!

– Quid habes?

– Hei mihi! Cruribus non amplius consistere valeo!

– Ne ego quidem valeo, – Pinoculus flens titubansque clamavit.

Et sic interea dicentes ad terram corpora quadrupede gradu inflexerunt, et manibus ambulantes pedibusque, in cubiculo ambire et currere coeperunt. Et

74 caput tuum, instar videlicet ingluviei, voravit?; ha inghiottito il tuo capo come un gozzo

75 tibicinio mixta: flautata

76 post innumeras insulsitates: dopo mille sguaiataggini

currentibus illis brachia in ungulas mutari et vultus ipsorum excrescere et in rostra desinere, dorsaque ipsorum subcanentibus pilis indui et subnigrescentibus[77]

Sed quodnam maxime horrendum miseris illis momentum fuerit scire potestis?


Foedum maxime et horrendum momentum fuit miseris illis, cum post se caudam quandam prodire senserunt. Pudore victi atque dolore, flere conati sunt et lamentari fatum suum.

Utinam nunquam fecissent hoc! Potiusquam gemitus et lamentationes, ruditus asininos edebant, et inter sonorum ruditum, simul concinebant: I–A, I–A, I–A.

Interea ad ostium pulsatum est, et vox quaedam externa dixit:

– Aperite! Homullus ego equidem sum, ductorque curriculi sum, quo ad oppidum hoc vecti estis. Aperite subito, secus vobis vae! –

CAPITULUM TRICESIMUM TERTIUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus in asellum transmutatus ad Forum asinarium, ut venumdetur, ducatur, ibique sannionum Societatis Moderator quidam emat illum, ut mox doceat saltare trochosque transilire; denique quomodo vespere quodam claudus factus ab alio emptore redemptus sit, ut ex ipsius pelle sibimet tympanum conficeret ille.

Homullus ille, cum vidisset non aperiri ostium, quam maximo calcis impetu patefecit illud, et cubiculum ingressus, ex more molliter subridens, Pinoculo et Lucinulo dixit:

– Macte virtute estote, o pueri! Bene enim rudistis et subito ex voce recognovi vos. Ideoque ecce huc properavi. –

Ad haec verba duo illi aselli confusi facti sunt, capite demisso, auribus inclinatis caudaque inter crura posita.

Principio homullus ille dorsis ipsorum irrepere manu eosque demulcere atque palpare: deinde, strigili extracta scite coepit subradere illos. Et postquam illos iterum atque iterum subradendo sicut duo specula reddidit, tunc capistratos in rerum venalium forum duxit, se illos venditurum sperans et sibi aequum lucrum belle quaesiturum.

Et emptores revera non diu oppertus est homullus.

Lucinulus ab agricola quodam emptus est, cuius asinus pridie mortuus erat, et Pinoculus veniit scurrarum et funambulorum Societatis Moderatori: qui ad erudiendum illum emit, ut postea induceret saltantem choreasque agentem[78] una cum reliquis Societatis bestiis.

Nonne pernovistis demum, o mei parvi lectores, quonam in pernicialis artificii genere semet exercuerit homullus ille?

Hoc foedum mostellum, cuius ex ore vultuque lactis et mellis suavitas quaedam prodibat, identidem currulo vectus per orbem vagabatur; iter faciens

77 subcanentibus pilis indui et subnigrescentibus: coprirsi di un pelame grigiolino chiaro brizzolato di nero
78 ut induceret saltantem choreasque agentem: per farlo saltare e ballare

cum promittendo, tum blandiendo, omnes ignavos alliciebat pueros, quos librorum scholaeque taederet: curruloque impositos Crepundoviam ideo ducebat, ut omne tempus tererent inter ludos strepitus et oblectamenta.

Cum vero, studiorum neglegentia ludorumque frequentia miseri deceptique pueri in tot asellos transformabantur, tunc pergaudens perque laetus capiebat illos, venalesque ad nundinas mercatusque portabat. Itaque, paucis post annis, maximos quaestus fecerat, et locupletissimus factus erat. Quid de Lucinulo factum fuerit nescio: hoc autem scio: Pinoculum inde usque a primis diebus durissimam vitam ac defatigatam obisse.

Ubi Pinoculus in stabulum ductus est, novus dominus palea replevit ei praesepe: sed Pinoculus ex hac palea unam bucceam degustatam respuit. Tum dominus mussitans foeno praesepe replevit illi: sed ne foenum quidem placuit ei.

– Hem! ne foenum quidem placet tibi? – dominus iratus clamavit. – Me impedire noli, aselle pulchre, quod si libidines caput incesserunt tuum, ipsemet eas tibi auferam! ... –

Atque ipsius crura, emendandi nimirum causa, subito fiagelli perstrinxit ictu[79].

Pinoculus vehementer dolens, flere et rudere coepit, et rudens dixit:

– J a, J a, paleam digerere nequeo prorsus! ...

– Comedo ergo foenum! – dominus iterum inquit, optime cum intellegeret asininum sermonem.

– J a, J a, foenum hoc efficit, ut ego corpore laborem! ...

– Fortasse hoc a me expostules, ut asinum huiusmodi, tui videlicet similem, pectoribus pullorum caponumque insiticiis et juri concreto commixtis nutrire velim? – subjunxit dominus magis magisque irascens iterumque illi ictum fiagelli vibrans.

Subito Pinoculus ad illam novam fiagelli verberationem acquievit, nec aliud dixit.

Interea stabulum clausum est et Pinoculus solus relictus est: et cum multas jam horas non manducasset, magna cibi cupiditate oscitare coepit, et oscitans sic os patefaciebat, ut furnus illud videretur.

Postremo nil aliud in praesepi inveniens, pusillum foeni aequo animo manducare tulit: quod cum pertrivisset clausis oculis deorsum duxit.

– Hoc foenum insuave non est, – dein intra se dixit – at quanto melius erat si studiis operam dare non desissem!!! ... Nunc autem loco foeni angulum saltem recentis panis comederem cum tomacinae segmento suavi! ... Patientia utamur! ... –

Postero mane expergefactus, subito quaeritavit in praesepi num tantillum panis esset; sed nihil invenit, quia per noctem totum manducaverat.

Tum tritae paleae pusillum sumpsit; sed, inter manducandum, sensit saporem tritae paleae dissimilem, videlicet, prorsus oryzae, quae Mediolanensium more conditur, nec non et tubulatae pastae Neapolitanorum more conditae.

– Patientia utamur! ... – iterum inquit manducare pergens. – Utinam saltem calamitas mea omnes perdoceat, qui detrectent potestatem studiumque fastidiant, pueros. Patientia utamur! Patientia utamur! ...

– De patientia susque deque est mihi! ... – tunc stabulum ingrediens ululavit dominus. – An putas, asellule mi, te ideo emptum esse tantum, ut cibum potumque praeberem tibi? Ego ideo ut laborares emi te ideoque, praeterea, ut

79 atque ipsius crura, emendandi nimirum causa, subito flagelli perstrinxit ictu: gli affibbiò subito una frustata nelle gambe

ipse mihi magnos ex te quaestus facere possem. Macte virtute, igitur, esto! Veni mecum in Circum et ego illic trochos te transilire docebo, doliaque ex folio capite tundere, simulque saltare germanica polonaque tripudia cruribus posterioribus innixum. –

Pinoculus miser, sive libens sive non libens, in hisce, videlicet, circensibus artibus se exercere debuit; sed ad haec addiscenda trium mensium exercitationes opus illi fuerunt, ac tam multae flagelli verberationes, ut fere depilatus sit.

Venit tandem dies cum dominus eius spectaculum magnificum et singulare nuntiare potuit. In tabulis varii coloris, angulis viarum affixis, huiuscemodi verba legebantur:

MAGNUM APPARATISSIMUM SPECTACULUM
HOC VESPERE

Ostendentur soliti saltus atque mirificae
Exercitationes
Ab omnibus scaenicis perfectae omnibusque
Utriusque sexus equis Societatis
Et amplius
Primum inducetur insignis asellus

PINOCULUS

Cui cognomen est Stella saltationis.
Diurna luce theatrum illuminabitur.

Illo vespere, ut vobis fingere licet, una hora antequam scaenicus ludus ederetur theatrum illud omnino stipatum erat. Nec cathedram unam jam invenires, aut locum unum discretum aut unum spectaculum etiam si permagno emisses.

Circi gradus puerulis, puellis, et cuiuscumque aetatis pueris scatebant, qui studio febrique gestiebant Pinoculi, aselli clarissimi, inter saltationes conspiciendi.

Postquam prima scaenici ludi pars exitum habuit, Societatis Moderator, nigrum thoracem candidasque bracas coxis adhaerentes ingentesque ultra genua ocreas indutus, in conspectum frequentissimi populi venit, et, curvata cervice, humi paene affixus, grandiloquus, hanc, quae in grammatica offendebat, orationem habuit.

«Venerande consessus, Equites et Matronae, humilis subscriptus, pertransiens hanc clarissimam metropolim honorem sane mihi procreare volui itemque voluptatem ostendendi huic prudenti et conspicuo auditorum consessui asellum quendam clarum, cui obtigit honor coram Sua Majestate atque Imperatore perillustrium in Europa regiarum saltandi.

«Et gratias agens illis, opem nobis ferte vestrae ipsorum animosae praesentiae, atque nobis ignoscite».

Hanc multi risus itemque plausus orationem continuaverunt; sed plausus ingeminarunt et quasi tempestatis quoddam genus imitati sunt, ubi asellus in medium Circum prodiit.

Is omnino festive excultus erat; habenisque lucebat ex pelle novis et fibulis et aurichalcis bullis candidaeque auribus ipsius haerebant cameliae: jubaque

ipsius in aliquot discreta cincinnos flocculis sericis rubri coloris ligatos: magna corpus fascia aurei cingebat argenteique coloris, caudaque ipsius optime innexa taeniis quibusdam ex velluto caerulo aut amaranthum mentiente.

Erat, uno verbo, tam scitulae formae asellus, ut omnes incenderet homines amore.

Moderator ille ac ludorum Magister populo ostendens asellum, haec, subaddidit verba:

«Auditores mei spectabiles!

«Non operam meam perdam mentitionem[80] faciens de magnis difficultatibus quas suberravi[81] ut subicerem et comprehenderem hoc mammis ornatum animal, libere per montes pascens, in planis adustae zonae.

«Contemplamini, precor, quam multam ferinam[82] oculi ipsius exsudent, quamobrem, cum omnia quae experti sumus ad illum assuefaciendum ad quadrupedum civilium mores, nobis tantum proh!, ventosa[83] evaserint, pluries affabili scuticae dialecto uti coactus sum.

«Sed quidquid humanitatis in me erga illum fuit, potiusquam illius benevolentiam mihi capesseret, animum eius tanto magis conformavit[84]. Ego vero sequens Vallianum systema parvam, in ipsius calvaria, inveni carthaginem[85] osseam, quam parisiensis ipsa medicea[86] Facultas recognovit esse bulbum tum capillorum tum choreae pyrrhicae.

«Quamobrem illum choream ducere perdocere volui nec non et per trochos saltus itemque dolia foliis obtecta supersilire.

«Admiramini illum, precor, ac deinde existimate. Antequam vero dimensionem[87] accipiam a vobis sinite, optimi viri, ad diurnum vos spectaculum invitem in cras vesperum, sed in apotheosi[88] imbriferi caeli nobis aquam minantis, tunc vero spectaculum potiusquam ad cras vesperum ad cras mane proferetur, in horam undecimam antemeridianam post meridiem».

Hic vero Moderator ille atque Magister iterum profundissime inclinavit se; dein, ad Pinoculum conversus:

– Eja, – inquit, – macte virtute, Pinocule! Anteguam tuas exercitationes incipias, saluta hunc spectabilem populum: Equites, Matronas, Puerosque! –

Pinoculus, docilis, subito ad terram usque genua flexit, et genibus nixus mansit, donec Moderator, fiagello crepitum faciens, clamavit illi:

– Pedetemptim! –

Tunc asellus quattuor cruribus surrexit et circum ambire coepit, semperque pedetemptim.

Paulo autem post Moderator clamavit:

– Tolutim! –

Et Pinoculus, praecepto obtemperans, tolutim ambulare.

– Incitato gradu! – Et Pinoculus incitato gradu carpere viam.

– Incitatissimo gradu! – Et Pinoculus quam incitatissimo currere cursu.

Sed, illo, punici instar equi, currente, Moderator brachium in aëra tollens, glandem ex pyroballistula jaculatus est.

80 mentitionem: per «mentionem»
81 suberravi: per «superavi»
82 ferinam: per «feritatem»
83 ventosa: per «vana»
84 conformavit: per «deformavit»
85 carthaginem: per «cartilaginem»
86 medicea: per «medica»
87 dimensionem: per «dimissionem»
88 apotheosi : per «hypothesi»

Asellus ad illum pyroballistulae fragorem, se vulneratum simulans, tota mole, quasi vere exanimus esset et moriturus, cecidit jacuitque in Circo[89].

Cum e terra surrexisset inter plausus crepitusque, interque ululatus manuumque percussiones, quae ad sidera ferebantur, accidit videlicet ut caput erigens sursum aspiceret ... et sursum aspiciens pulchram matronam quandam in pulpito vidit, cuius collum magno aureoque monili micabat, ex quo emblema quoddam pendebat. Imago Pupuli in emblemate picta apparebat.

– Illa quidem imago mea est! Matrona illa Sospita videtur, – recognoscens illam subito Pupulus dixit secum: et, gaudio victus magno, clamare conatus est:

– O Sospitula mea! O Sospitula mea! – sed potiusquam verba huiusmodi ex ipsius ore tam sonorus et protractus ruditus prodiit, ut ad risum omnes spectatores omnesque praesertim pueros in theatro considentes provocarit.

Tum vero Moderator, ut doceret illum commoneretque minime urbanum esse coram populo rudere, nasum illius flagelli manubrio percussit. Asellus miser, palmo linguae extracto, saltem per quinque temporis momenta, nasum sibi ligurrire non desiit, ratus sic, quem dolorem senserat, eum sibi exsiccare posse[90].

Sed quantum desperationis invasit illum, cum sursum se iterum vertens, pulpitum vacuum Sospitamque evanuisse animadvertit! ...

Fere morientem sensit se: oculi inundarunt lacrimis, ubertimque flere coepit. Nemo vero hoc animadvertit et minus quam ceteri Moderator, qui, contra, flagello crepitum faciens, clamavit:

– Agedum, Pinocule! Mox ostendes quanta cum pernicitate et arte trochos transilire scias. –

Pinoculus bis terve conatus est; sed quotiescumque ad trochum pervenerat, non pertransibat, sed potius subter illum ibat.

Postremo, cum exsiluisset, transmeavit illum; sed infeliciter crura posteriora inhaeserunt trocho: ex quo factum est, ut aliam in partem, sicut fasciculus ligneus, incideret.

Cum surrexisset claudus factus, vix redire ad stabulum potuit.

– Pinocule, foras! Asellum volumus! Foras asellus! – clamabant ex media cavea pueri tristissimum dolentes casum misericordiaque moti. Sed asellus, vespere saltem illo, non ostendit se. Postero mane veterinarius, idest pecorum medicus, postquam illum visitavit declaravit illum omnem per aetatem claudum fore.

Tunc dixit Moderator caloni, qui stabulo praeerat:

– Quid de asino claudo mihi faciendum? Tamquam parasitus manducabit. Affer igitur in forum et illum vendito. –

Cum in forum pervenissent, subito invenerunt emptorem, qui e calone stabulo praefecto quaesivit:

– Quanti, quaeso, venit asellus iste claudus?

– Viginti libellis.

– Ego contra viginti nummulos numerabo tibi. Cave credas me utendi causa mercari velle: tantummodo pellis causa mercari volo. Ipsius pellem durissimam video et ex pelle tympanum musicis oppidi mei conficere volo.–


Vobis, o pueri, cogitandum relinquo, quantum voluptatis Pinoculus expertus sit, cum audivit se mox in tympanum transformatum iri. Emptor vero, viginti nummulis solutis, asellum in scopulum quendam marini litoris adduxit; saxoque ipsius collo alligato ungulaque quem manu tenebat fune constricta, improviso

89 jacuitque in Circo: giacque disteso nel Circo
90 ratus sic, quem dolorem senserat, eum sibi exsiccare posse: credendo dl rasciugarsi il dolore che aveva sentito

impulit illum et in aquam projecit.

Pinoculus, saxo collo inhaerente, subito in profundum submersus est: atque emptor semper funem manu retinens, in scopulo insedit, exspectans donec, necessario tempore elapso, asellus in aqua periret, ut illi postea pellem detraheret.

CAPITULUM TRICESIMUM QUARTUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus in mare projectus a piscibus comedatur iterumque Pupulus, ut antea, fiat: et natans se servandi causa a terribili Pisce Chane absorbeatur.

Quinquaginta momentis elapsis postquam asellus aquis submersus erat, emptor secum ipse loquens dixit:

– Hac hora pauper meus asellus claudus jam undis forte absorptus est. Sursum igitur illum trahamus et pelle ipsius hoc pulchrum tympanum faciamus. –

Et funem trahere coepit, quo crus illius ligaverat: et ipse, semel iterumque ac tertio funem attrahens, denique ex summa aqua, apparere aspexit ... nonne divinatis? Pro asello mortuo, ex summa, aqua apparere aspexit Pupulum, qui sicut anguilla caudam agitabat.

Aspiciens illum ligneum pupulum pauper homo somniare sibi visus est, et tunc obstupuit, ore aperto oculisque ex orbe elapsis[91].

Cum se ex primo stupore recepisset, dixit flens et balbutiens:

– Et asellus, quem in mare projeci ubi est? ...

– Asellus ille ego equidem sum! – Pupulus inquit, ridens.

– Tu es, ain'?

– Ego equidem!

– Ah!, improbule carcer![92] Audesne forte me ludificare?

– Num audeo te ludificare! Nullo modo, prorsus, domine dulcis; ego tibi loquor graviter.

– At quomodo tu, qui modo asellus eras, nunc morans in aqua, pupulus ligneus factus es?

– Fortasse hoc effecit aqua maris. Mare profecto huiusmodi jocis delectari solet.

– Cave, Pupule, cave! ... Cave hoc credideris; te, videlicet, posse incommodo meo recreari. Vae tibi, si patientiam abrupero!

– Quid igitur, domine? Scire cupis totam et integram historiam? Hoc crus, mihi, quaeso, solve et historiam narrabo tibi. –

Emptor ille, turbidus fatuusque mente[93], curiosus videlicet inquisitor, ut historiam veram cognosceret, nodum funis, quo tenebatur Pupulus, solvit cito: ac tum Pupulus se liberum sentiens sicut avis per aëra, ita ei dicere coepit:

– Scito ergo quod ego pupulus fui ligneus sicut hodie sum; sed evasurus eram unus ex illis pueris, quos tam multos in hoc mundo invenias; attamen

91 oculisque ex orbe elapsis: con gli occhi fuor dell'orbita
92 ah!, improbule carcer: ah!, mariuolo
93 turbidus fatuusque mente: quel buon pasticcione di compratore

exiguo doctrinae studio incensus, improbis sociis morem gerendi causa, domo aufugi ... et quodam mane, belle expergefactus e somno, me in asinum trasmutatum inveni, tam longis auribus ... tamque longa cauda! ... O quantum me illud puduit! Et talis fuit pudor, domine dulcis, ut Sanctum Antonium benedictum orem, ne tu quoque similem exsperiaris. Ad forum asinarium, ut venirem, transvectus, a Moderatore Circi cuiusdam equestris emptus sum, qui sibi hoc in animum indiderat me callidum saltationis artificem, trochorumque saltatorem efficere; sed quodam vespere inter spectaculum in theatro ita male cecidi, ut utroque pede claudus factus sim. Tunc Moderator quidnam de claudo asino faceret nesciens, posuit me in foro venalem, et tu me emisti.

– Tantum pro! Et nunc ubi aliam pellem inveniam!?

– Cave desperaveris, domine! Asellorum multitudo hoc in mundo fere innumerabilis est!

– Dic mihi, improbe petulansque: historia tua forte desinit hic?

– Minime, – respondit Pupulus – alia duo verba habeo dicere, ac postea narrare desino historiam. Postquam me emisti, adduxisti in hunc locum, ut occideres me; sed postea, pietate atque humanitate commotus, maluisti, saxo ad collum meum alligato, in profundum mare me proicere. Haec humanitas maximae tibi laudi est, et in aeternum gratam memoriam servabo. Ceterum hac vice, domine dulcis, rationem instituisti, Sospita absente ...

– Et quisnam est Sospita haec?

– Est mamma mea, quae similis est omnibus bonis mammis, quae vehementer diligunt liberos suos neque e conspectu oculorum eos amittunt; illis studiose omni in discrimine adsunt, etiam si tales pueri sint, ut propter ipsorum imprudentiam ac temere facta derelinqui mereant suaeque ipsorum potestati tradi. Paulo ante, igitur, dicturus eram haec, quae historiam continuant: suavis Sospita, videlicet, simul ac me in periculo versari vidit, ne aquis haurirer, subito circum me misit infinitam piscium catervam, qui, rati jam me mortuum asellum esse, comedere coeperunt! Nunquam putaveram pisces vel pueris avidiores esse. Alii comedere aures, alii comedere rostrum mihi, alii collum et jubam, alii pellem crurum, alii tunicam tergoris pelliceam ... et inter ceteros pisciculos unus tam humanus fuit, ut vel caudam mihi manducare placuerit ei.

– Ab hodie in posterum – emptor inquit horrore perstrictus – juro me non amplius carnem piscium gustaturum. Nimis moleste hoc feram, si, uno ex mullis aut asellis frictis aperto, in eiusdem corpore caudam asininam invenero.

– Idem ac tu sentio de hac re – rursum inquit Pupulus ridens.

– Ceterum hoc tibi sciendum est: pisces, cum comedere desissent illud totum asininum tegimen, quo indutus fueram, pervenisse demum ad ossa ... aut, quo melius dicam, ad lignum, quia, ut cernis, me ex ligno durissimo fecerunt. Sed post primos morsus avidiores illi pisces senserunt lignum non esse suis dentibus escam, et fastidio huius cibi difficilis, alii alio abierunt, neque sese converterunt ad mihi gratias agendas ... Et ostendi tibi quemadmodum sursum funem trahens, pupulum vivum inveneris pro asello mortuo.

– Ego rideo hanc tuam historiam – clamavit emptor saeviens. – Hoc scio equidem me viginti nummulos solvisse, ut te emerem; a te repeto nummulos meos. Scis quid faciendum censeam? Ad forum adducam te iterumque te vendam ex pondere ligni ad maturitatem perducti ad ignem in foculo alendum.

– Iterum vende quidem me: contentus sum, – Pinoculus inquit. Sed dum ita loquitur, pulchre exsiluit et in mediam aquam desiluit et natans laeto vultu litusque relinquens clamabat ad miserum emptorem.

– Vale, domine: si indiges pelle ad tympanum conficiendum, memento mei. –

Et postea ridebat et natare pergebat: et paulo post, se retro convertens, vehementius ululabat:

– Salve, domine: si opus est tibi aliquantum ligni maturi quo ignem accendas, memento mei. –

Et revera in ictu oculi tam longe discesserat, ut non conspiceretur amplius: vel potius vix in summo mari conspiceretur exiguum et nigrum punctillum, quod identidem crura extra aquam erigebat et exsultans persultabat[94] sicut delphinus jocandi studio. Pinoculus, fortunae se credens, interea natabat, cum vidit in medio mari scopulum candidum marmoris instar: summoque in scopulo pulchram capellulam suaviter balantem et significantem, ut ipse appropinquaret.

Hoc vero maxime singulare erat, lana capellulae non alba aut nigra erat aut bifariam, pilarum formis,fucata[95] ut aliis capellulis: sed contra caesia, et colore caesio fulgente simillimoque pulchrae puellae comis.

Recogitate, quaeso, quemadmodum cor miseri Pinoculi pulsaverit tunc fortius! Vires et animum ingeminans ad candidum scopulum natare coepit: et jam dimidium itineris fecerat, cum subito ex aqua emergit et illi occurrit marinum monstrum capite horrendo, ore voraginis instar aperto, triplicique dentium ordine aduncorum, qui, vel picti, terrore te afficere poterant.

Et cognoscitisne forte illud marinum monstrum?

Illud marinum monstrum erat giganteus ille Piscis–Chane, quem pluries hac in historia memoravimus, et qui propter caedes et inexplebilem voracitatem, cognominabatur «Attila Piscium et Piscatorum ».

Vestris fingite animis quis terror miserum Pinoculum invaserit in conspectu monstri! Conatus est vitare illud, iter mutare, fugere conatus est; sed illud immensum os apertum semper occurrebat sicut sagitta velox.

– Matura, Pinocule, amabo te! – clamat balans pulchra capellula. Et Pinoculus natare desperanter, brachiis, pectore, cruribus, pedibus.

– Curre, Pinocule, quia monstrum appropinquat! ... – Et Pinoculus colligens omnes vires ingeminabat spiritum in cursu et alacritatem[96].

– Cave, Pinocule! ... Monstrum te attingit! ... Ecce illud! ... Ecce illud! ... Matura, amabo te, aut periisti! ... –

Et Pinoculus natare celer quam qui maxime, et ultra, et ultra, et ultra sicut fugere solet sclopeti glans.

Et jam ad scopulum appropinquaverat, et jam capellula tota in mare impendens, praebebat ei parvos pedes anteriores, ut ex aqua egredienti praestaret opem! ...

Sed jam sero erat! Monstrum attigerat eum: monstrum spiritum ad se trahens, miserum bibit Pupulum, ut ovum gallinae absorbuisset: eumque tanta vi deglutivit atque aviditate, ut Pinoculus in corpus Piscis–Chanes irruens, gravem plagam exceperit et inurbanam et per horae quadrantem stupefactus manserit.

Cum se ex perturbatione recepisset, ne ipse quidem intellegere poterat quonam in mundo viveret[97] .

Magnae circum undique tenebrae: sed tenebrae tam nigrae profundaeque, ut is sibi videretur cum capite in atramentarium ingressus plenum. Stetit audiens, nec ullum rumorem sensit: solum sentiebat sibi vultum identidem

94 et exsultans persultabat: faceva capriole e salti
95 aut bifariam, pilarum formis, fucata: e pallata di due colori
96 ingeminabat spiritum in cursu et alacritatem: raddoppiava di lena nella corsa
97 intellegere quonam in mundo viveret: raccapezzarsi in che mondo vivesse

percuti quidusbam flatibus repentinis et magnis[98].

Primo nesciebat unde ventus ille exiret; sed postea ex monstri lateribus exire illum sensit. Nam hoc scire juvat: Piscem–Chanem gravissime tardissimeque spiritum ducere, et, ipso respirante, ventum aquilonem crederes a septemtrionibus perflare.

Pinoculus primo enisus est ut sibi aliquantum animi adderet; sed cum omnino certior factus est se in corpore marini monstri clausum esse, tunc flere et quiritare coepit, et dicebat flens:

– Auxilium ferte! Ehi, mihi misero! Nemo est qui veniat ad servandum me?

– Quis infelix servare te potest? ... – inquit per illas tenebras ingrata quaedam vox et absurda, velut fremitus absonae citharae[99].

– Quis ita loquitur? – quaesivit Pinoculus, pavore sentiens se rigescentem gelu.

– Ego sum! Pauper Thunnus sum, quem tecum Piscis–Chane absorbuit. Tu, vero, ecqui piscis et quonam genere natus?

– Mihi vero et piscibus nihil est commune. Ego pupulus sum.

– Atqui si piscis non es, cur a monstro deglutiri passus es?

– Per me non stetit, ut deglutirer: ipsum vero me deglutivit: et nunc quid nobis agendum hisce in tenebris? ...

– Aequo animo ferendum et exspectandum nobis, donec a pisce digeramur ambo! ...

– At ego digeri nolo! – Pinoculus ululavit flere incipiens.

– Ne ego quidem digeri volo, – addidit Thunnus; – sed ego satis phisolophus sum, et ipse me consolor haec cogitans; quod videlicet magis honestum est subter aquam mori quam subter oleum, si nascimur Thunni! ...

– Nugas! ... – ululavit Pinoculus.

– Sic mea fert opinio, – iterum inquit Thunnus – et opiniones, ut dicunt Thunni politici, honorandae sunt!

– Quid multa? ... hinc abire volo ... fugere volo ...

– Fuge, si potes! ...

– Quanam crassitudine ceteris praestat hic Piscis–Chane qui devoravit nos? – quaesivit Pupulus.

– Finge hoc tibi: corpus eius, caudam si excipias, ultra mille passus in longitudinem patere. –

Dum hoc sermonis genus in tenebris fit, genus quoddam claritudinis, procul procul diffusae, Pinoculus videre arbitratus est.

– Quidnam est lumen parvum illud tam procul apparens? – Pinoculus inquit.

– Forte socius aliquis calamitatis exspectans nobiscum momentum in quo digeratur! ...

– Visitare illum volo. Annon fieri potest, ut vetus aliquis piscis sit, qui viam ad capessendam fugam me docere possit?

– Haec tibi ex toto animo ominor, Pupule dulcis.

– Vale, Thunne.

– Vale, Pupule: et fortuna secunda comitetur te.

– Ubi iterum nos videbimus?


– Quis scit? ... Melius est et praestat haec ne cogitare quidem! –

98 quibusdam flatibus repentinis et magnis: alcune grandi buffate di vento

99 ingrata quaedam vox et absurda, velut fremitus absonae citharae: una vociaccia fessa di chitarra scordata

CAPITULUM TRICESIMUM QUINTUM

Pinoculus reperit intra corpus Piscis Chanes ... Ecquem reperit? Legite, quaeso, hoc capitulum et scietis.



Pinoculus simul ac Thunno, corculo suo et amico, valedixit , per tenebras iter praetentare coepit[100] et intra Piscis–Chanes corpus tentabundus ambulare[101], pergens pedetemptim ad parvam faculam quam procul, procul aspiciebat interrupte lucescentem[102].

Et ambulans sensit pedes perlabi crassum lubricumque aquae volutabrum[103] et aquam illam tam acriter frictum piscem redolere, ut ipse sibi quadragesimae tempus vivere videretur.

Et quo magis ipse anteibat, eo vividior evidentiorque claritudo fiebat; donec indesinenter ambulans, pervenit tandem, et postquam pervenit, quid invenit?

Vobis, mille lectoribus, millefariam divinandum relinquo: invenit scilicet parvam instructam mensulam, in qua posita erat candela accensa, infixa viridi et crystallinae lagunculae, et ad mensulam accumbentem vetulum omnino candidum, quasi ex nive factus esset aut ex spuma lactis flagello aucta, qui aliquot pisciculos erat ibi manducans: pisces vero tam vivi erant, ut interdum ex ipsius ore inter manducandum effugere viderentur.

Quod admirans, Pinoculus miser laetitia tam magna tamque improvisa affectus est, ut non multum afuerit, quin deliraret.

Ridere ipse volebat, flere volebat, plurima loqui volebat: at ganniebat confuse et balbutiebat interrupto dissolutoque sermone. Valuit tandem ipse laetum eicere clamorem et, dilatatis brachiis, in collum vetuli invadere[104], ululare simul incipiens :

– O patercule mi! Aliquando tandem inveni te! Ex hoc nunc te non relinquam unquam, unquam, unquam!

– Ergo oculi mei vera mihi ostendunt? – rursum inquit vetulus sibi perfricans oculos. – Ergo tu vere Pinoculus meus es et corculum meum?

– Utique, utique ego sum, ego equidem sum! Atqui tu nonne iam mihi ignovisti? O patercule mi, quam bonus es! At ego cogitare cogor, quod contra ... Ah velim scias quot calamitates in caput meum irruerint, et quam multa mihi adversa acciderint!

«Haec tecum ipse cogita, patercule miser: quo die tu, vendito sago, Abecedarium, ut ludum litterarum frequentarem, mihi comparasti, fugi equidem ut viderem pupulos, et neurospasticus Magister[105] in ignem me mittere volebat, ut arietem illi coquerem et assarem. Ille vero donavit mihi quinque aureos

100 per tenebras iter praetentare coepit: si mosse brancolando in mezzo a quel buio
101 tentabundus ambulare: andare a tastoni
102 ad parvam faculam procui procul interrupte lucescentem: verso quel piccolo chiarore baluginante lontano lontano
103 sensit pedes perlabi crassum lubricumque aquae volutabrum: si accorse che i suoi piedi sguazzavano in una pozzanghera d'acqua grassa e sdrucciolona
104 in collum vetuli invadere : saltare al collo del vecchio
105 neurospasticus Magister: «burattinaio», e più precisamente, «marionettista»

nummos, ut afferrem illos tibi, sed Vulpem et Cattum inveni, qui ad cauponam adduxerunt me signo Cancri Rubri distinctam, ubi sicut lupi helluati sunt et ego illinc nocte profectus solus in latrones incidi, qui me insequi properarunt, et ego ipse aufugere, et illi post me currere, et ego ipse pergere, et illi post me semper properare, et ego ipse fugere, donec ramo Magnae Quercus suspenderunt me.

«Pulchella vero caesiis capillis pilentum quoddam minusculum misit, quo illinc auferrer et medici postquam me visitarunt, subito dixerunt :

«Si mortuus iste non est, hoc argumentum est vitae.

«Tunc vero ex ore mea mendacium elapsum est, et nasus mihi ita excrescere coepit, ut cubiculi ostium non transiret mihi.

«Quamobrem simul cum Vulpe et Catto quattuor nummos aureos ut sub terram absconderem profectus sum, cum jam unum ex iis in caupona expendissem, et Psittacus tunc in risum erupit, et pro duobus millibus nummum nihil inveni. Ex quo factum est, ut judex, postquam sibi compertum habuit me spoliatum esse, subito, ut furibus satisfaceret, in carcerem me conici juberet.

«Ego deinde illinc abiens quadam in vinea pulchrum uvae racemum vidi. Tunc in pedicam incidi et rusticus jure meritoque millo[106] obstrinxit me, ut ipsius gallinarium custodirem. Rusticus ille cum meam innocentiam perspexisset, me liberum abire passus est.

«Et Serpens cauda fumante ridere coepit et vena illi pectoris perfracta est; quapropter ad domum Pulchellae redii, et mortua est.

«Et Columbus videns me lacrimantem, sic ait: – Patrem tuum vidi cymbulam sibi compingere, qua vectus ad te quaerendum veniret – et ego illi dixi: – Utinam ego quoque alis uterer – et ipse dixit mihi: – Ad patrem tuum venire gestis? – et ego dicere: – Utinam! Ecquis transfert me illuc? – et ipse dixit mihi: – Illuc te transferam ego; – et ego illi dicere: – Quomodo? – et ipse dixit mihi: – Dorsum meum conscende – et sic totam per noctem volavimus ac dein postero mane omnes piscatores, qui mare adspiciebant, dixerunt mihi: – Est homo quidam in cymba quadam, qui undis submergitur – et ego procul subito adgnovi te, quia animus mihi haec dicebat, et manibus significavi tibi, ut ad litus redires ...».

– Et ego recognovi te, – Josephetus inquit – et libenter ad litus redissem: sed quidnam facerem? Mare enim tunc procellosum erat et fluctus magnus mihi cymbam subvertit. Tunc Piscis–Chane horribilis, qui proxime aderat, simul ac me vidit in aqua, subito ad me cucurrit: et, lingua extracta, illico me corripuit et ut pastillum Bononiensem absorbuit me[107].

– Et quamdudum hic intra clausus exspectas? – quaesivit Pinoculus.

– Ex eo die usque nunc duo jam elapsi sunt anni: anni duo, Pinocule mi, qui duorum saeculorum spatium explere visi sunt mihi ...!

– Et quomodo vixisti? Et ubinarn candelam invenisti? Et ut illam accenderes, sulphurata ramenta quis praebuit tibi?[108]

– Nunc tibi narrabo omnia. Hoc ergo scito: eadem procella, quae meam cymbam subvertit, etiam onerariam navem submersit[109]. Nautae omnes incolumes evaserunt, sed navis demersa est et solitus Piscis–Chanes, qui illo die vehementer esuriebat, post me, etiam navem absorbuit[110].

– Quid ais? Totam absorbuit quasi offam? – mirabundus Pinoculus quaesivit.

– Totam quasi offam, videlicet, absorbuit illam: et respuit tantum maximum

106 millus: collare da cane
107 ut pastillum Bononiensem absorbuit me: e m'inghiotti come un tortellino di Bologna
108 sulphurata ramenta quis praebuit tibi?: e i fiammiferi, chi te li ha dati?
109 onerariam navem submersit: fece affondare un bastimento mercantile
110 etiam navem absorbuit: inghiottì anche il bastimento

navis malum, qui dentibus illius sicut spina adhaeserat.

Peropportune accidit ut navis illa onusta esset carne stanneis capsulis recondita, crustulis, idest pane tosto, lagunculis vino plenis, uva passa idest exsiccata, caseo, coffea arabica, saccharo, candelis theculisque cum cereolis ignescentibus[111].

Hoc dono Providentiae duobus annis vivere potui: hodie ad extremum prorsus penoris perveni, hodie in cella penaria nihil est ciborum jam, et haec candela accensa quam cernis, sola superest mihi.

– Et postea?

– Et postea, o corculum meum, in tenebris manebimus ambo.

– Itaque, patercule mi, – inquit Pinoculus – nulla mora intericienda. Subito fugam capessere necesse est ...

– Fugiendum, ain'? ... At quomodo?

– Ex ore Piscis–Chanes aufugiendo et, postquam nos in mare proiecerimus, natando.

– Tu recte loqueris, Pinocule mi, sed mihi usus natandi non est.

– Quid hoc ad rem? Tu mihi super humeros ascendes et ego, utpote nandi peritus, usque ad oram incolumem transferam te.

– Praestigiae[112], puer mi – iterum Josephetus inquit, caput quatiens et melancholicus subridens. – Videturne tibi hoc fieri posse, ut pupulus, vix unius metri[113] sicut tu, tanta vi polleat, ut natando memet humeris ipsius insidentem transferre valeat?

– Hoc experire et videbis! Si quoquo modo in fatis erit ut moriamur, hoc saltem valde consolabitur nos: quod inter nos amplectentes commoriemur. –

Nec aliud adiciens, Pinoculus candelam comprehendit, et, progrediens ad praelucendum, patri dixit:

– Veni post me et noli timere. –

Et sic diu ambulaverunt, totumque corpus totumque ventrem Piscis–Chanes pertransierunt.

Sed cum ad locum pervenissent, ubi magnum monstri guttur incipiebat, recte cogitarunt consistere ut dispicerent circum[114] et occasionem nanciscerentur fugam capessendi.

Piscis–Chanes, hoc enim sciamus oportet, cum jam admodum esset aetate provectus et gravem tardumque spiritum expediret eiusque cor exsiliret[115], ore aperto dormire cogebatur: quamobrem Pinoculus ad gutturis limen prospiciens sursumque inspectans, extra immensum apertumque oris hiatum illum, magnam plagam stelliferi spatii pulcherrimumque lunae nitorem[116] contemplari potuit.

– Hoc sane aptum fugiendi tempus videtur, – ad patrem se convertens susurravit, – Piscis–Chane dormit veluti glis: tranquillum mare est et sicut in die oculata omnia conspiciuntur. Agedum, veni, patercule mi, post me et mox salvi erimus. –

Illico conscenderunt per guttur marini monstri, et assecuti immensum oris hiatum, summis ambulare digitis per linguam coeperunt: lingua vero tam lata tamque prolixa erat, ut trames magnus hortos pererrans videretur[117] .

Et mox magnum saltum saltaturi erant seque in mare proiecturi ut

111 theculisque cum cereolis ignescentibus: e di scatole di fiammiferi di cera
112 praestigiae: illusioni
113 pupu!us vix unius metri: un burattino alto appena un metro
114 ut dispicerent circum: per dare un'occhiata intorno
115 et gravem tardumque spiritum expediret elusque cor exsiliret: e soffrendo d'asma e di palpitazione di cuore
116 magnam plagam stelliferi spatii pulcherrimumque lunae nltorem: un bel pezzo di cielo stellato e un bellissimo lume di luna
117 ut trames magnus hortos pererrans videretur: che pareva Il viottolone d'un giardino

enatarent, cum in ea re Piscis–Chane sternuit et inter sternuendum tam vehementer subsiluit, ut Pinoculus et Josephetus retrorsum repercussos iterumque in profundum stomachum illius monstri jactatos invenirent se.

Propter magnam praecipitationem candela exstincta est et pater et filius tenebris circumvoluti sunt.

Tum Pinoculus, graviter vultu composito, quaesivit:

– Et nunc? ...

– Modo, puer, de nobis actum est jam.

– Cur de nobis actum est jam? Cedo, patercule, manum mihi et cave labaris.

– Quo me ducis?

– Nobis iterum fuga capessenda. Veni, quaeso, mecum et noli timere. –

Pinoculus, haec locutus, patris manum comprehendit; semperque summis digitis ambulantes, iterum simul per monstri guttur conscenderunt: dein totam linguam pertransierunt ac tres dentium ordines transiluerunt[118].


Antequam vero magnum saltarent saltum, Pupulus dixit patri suo:

– Super humeros, sicut equulus, divaricatis cruribus, ascende meos et arctissime amplectere me. Quid ceterum agendum sit egomet ipse videbo. –

Statim atque Josephetus humeris filii insedit, Pinoculus, quippe qui usu natandi maxime calleret, in aquam projecit se et natare coepit.

Mare quasi oleum tranquillum erat: luna in tota claritudine sua splendebat et Piscis–Ohane dormiebat adhuc somnum tam profundum, ut ne tormenti bellici quidem fragore excitaretur[119].

CAPITULUM TRICESIMUM SEXTUM



In hoc capitulo ostenditur quomodo Pinoculus pupulus esse desierit et factus sit puer.

Pinoculus, cum alacriter nataret ad ripam attingendam, animadvertit patrem, qui humeris sibi insidebat, cruribus in aquam semisubmersis, properanter tremere, quasi misero homini palpitaret cor febri tertiana[120].

Tremebat frigore an pavore? Quis scit? ... Parum forte utraque de causa. Sed Pinoculus, ratus tremitum esse pavoris, ad eum consolandum dixit:

– Adesto animo, pater! Post aliquot momenta terram attingemus erimusque salvi.

– At ubi est hoc litus desideratum? – quaesivit vetulus, magis magisque inquietudine pressus, et oculorum acuens aciem, ut sartoribus est mos, filum in acum inserentibus. – Ecce me hic circum aspicientem omnia, et nihil aliud quam caelum et aquam videntem.

– Sed ego litus quoque video, – Pupulus inquit. – Hoc pro certo habe quod felium similis sum et melius noctu quam die video. – Pauper Pinoculus simulabat se laeto animo esse: at contra ... Contra incipiebat animo deficere: nam illi vires

118 tres ordines dentium transiluerunt: scavalcarono tre filari di denti
119 ut ne tormenti bellici quidem fragore excitaretur: che non l'avrebbe svegliato nemmeno una cannonata
120 properanter tremere, quasi misero homini palpitaret cor febri tertiana: tremava fitto fitto come se gli battesse la febbre terzana

minuebantur, spiritus crassus et anxius fiebat ... demum nil jam valebat viribus, cum tamen litus semper longinquum appareret.

Natavit donec spiritus ei fuit: deinde, capite erga Josephetum verso, verbis fraetis locutus est:

– Pater mi, adjuva me ... Nam morior ego. –

Et pater et filius jam in eo erant ut submergerentur, cum vocem quandam absonae citharae audierunt dicentem:

– Quis moritur? ...

– Sum ego et pater meus infelix! ...

– Hanc vocem jam novi. Tu es Pinoculus! ...

– Haud dubie: et tu?

– Ego sum Thunnus, socius captivitatis in ventre Piscis–Chanes.

– Et quomodo effugere ex illo potuisti?

– Exemplum tuum secutus sum. Tu mihi viam ostendisti, et post te ego quoque fugi.

– Thunne, opportunus quidem adfuisti! Oro te, quo amore parvos thunnulos filios prosequeris, ut adjuves nos: secus peribimus.

– Libenter totoque ex animo. Applicate vos simul caudae meae et sinite me ducere vos. Ad litus, quattuor momentis, vos reducam. –

Josephetus et Pinoculus, hoc vobis fingere mente licet, cito invitationem non recusaverunt: sed, potiusquam caudae inhaererent, utilius tergis prorsus Thunni insidere aestimaverunt.

– Graviores sumus? – interrogavit eum Pupulus.

– Graves? Minime prorsus: videor enim humeris duas conchulas ferre – inquit Thunnus, qui corpore tam crasso robustoque erat, ut bimus vitulus videretur.

Cum ripam attigerunt, Pinoculus in terram exsiluit prior, ut patri similiter exsilienti auxilio esset: deinde ad Thunnum se convertit voceque trepida dixit ei :

– Amice mi, tu servasti patrem meum! Verba igitur mihi desunt ad meritas tibi gratias agendas. Consiste, amabo, et sine, pro grato in aeternum animo, saltem deosculer te! ... –

Itaque Thunnus ex aqua rostrum exprompsit, et Pinoculus, genibus ad terram flexis, tenerrimum osculum ori ipsius applicuit.

Hoc signa vehementissimi amoris sponte dato[121] Thunnus ille miser, non assuetus ad haec, ita corde commotus est, ut, pudens atque metuens ne pueriliter videretur flens, rursus in aquam caput injecerit seque apoculaverit.[122]

Interea illuxit.

Tum Pinoculus Josepheto spiritum vix trahenti et vix pedibus consistenti, brachium offerens, dixit:

– Agedum, brachio meo innitere, patercule mi, et eamus. Sicut formiculae lente, lente ambulabimus, et cum lassi erimus, quiescemus secus viam.

– Et quorsum nobis eundum? – quaesivit Josephetus.

– Ad quaerendam domum aut casam, in quibus frustum panis ex caritate nobis praebeatur, parumque stramenti ad lectum nobis sternendum. –

Vix centum passuum iter processerant, cum duo animalia, quae insidebant supercilio viae, conspexerunt: horridis erant rostris animalia, quae ibi stipem sibi emendicare videbantur.

Erant quidem Cattus et Vulpes; sed nullo pacto cognosceres eos, eo quod

121 hoc signo vehementissimi amoris sponte dato: a questo tratto di spontanea e vivissima amicizia

122 rursus in aquam caput injecerit aeque apoculaverit: ricacciò il capo sott'acqua e sparì

essent mutati quidem ab illis!

Nam Cattus, nil mirum, saepius simulando se caecum, caecus reapse factus erat: et Vulpes ipsa, aetate provecta scabieque omnino laborans et male mulcata unum latus[123], etiam cauda carebat. Ita est. Misera illa furuncula, in maximam egestatem cum cecidisset, aliquando coacta est vel pulcherrimam caudam vendere circulatori cuidam qui illam emit, ut sibi ex ea flabellum contra muscas conficeret.

– O Pinocule, – clamavit Vulpes lamentabili voce – tantillum eleemosynae miseris nobis fac, qui aegrotamus.

– Aegrotamus! – suscepit Cattus huiusmodi verbum.

– Valete, oscilla mea![124] – Pupulus inquit. – Me decepistis aliquando, at nunc iterum non capietis me.

– Hoc crede, Pinocule, hodie miseri pauperesque reapse sumus!

– Reapse! – ingeminavit Cattus.

– Si pauperes estis, haec digne fertis. Mementote illius proverbii: «Nunquam fructus attulit pecunia rapta». Valete, oscilla mea!

– Miserere nostri ! ...

– Nostri! ...

– Valete, oscilla mea! Mementote illius proverbii: «Male parta, male dilabuntur»[125].

– Noli derelinquere nos! ...

– ... inquere nos – suscepit Cattus.

– Valete, oscilla mea! Mementote proverbii dicentis: «Si quis vestem proximo suo eripuerit, sine indusio solito more morietur». –

Et ita loquentes Pinoculus et Josephetus tranquille perrexerunt iter: denique, post centum passus, in extrema quadam agresti semita pulchram viderunt sed stramenticiam casam, imbricibusque et lateribus tectam.

– Casam illam aliquis haud dubie habitat, – inquit Pinoculus. – Illuc eamus ad pulsandum ostium. –

Et revera profecti sunt, ostiumque pulsaverunt.

– Quis est? – inquit vocula quaedam interior.

– Pauper pater et filius sumus, sine pane et sine tecto – respondit Pupulus.

– Volvite, quaeso, clavem et porta patefiet, – inquit solita vocula.

Pinoculus clavem volvit, et porta patefacta est. Statim atque intraverunt, huc et illuc quamvis respexissent, neminem tamen viderunt.

– Casae dominus ubinam, edepol, est? – inquit Pinoculus mirabundus.

– Ecce me hic! Supra!

Pater et filius ad laquear oculos subito verterunt et super tigillum Gryllum Loquentem conspexerunt.

– O dulcis Gryllule mi! – Pinoculus inquit urbaniter eum salutans.

– Nunc vocas me «dulcem Gryllulum tuum», nonne verum est? Nonne tibi in mentem venit eius diei, cum ligneum malleum in me jactasti ut me domo depelleres tua?

– Ais quidem recte, Gryllule! Etiam me depelle! ... in me quoque ligneum malleum jacta, sed te misereat patris mei miseri.

– Me miseret patris et etiam filii: sed in mentem tibi revocare volui rusticitatem scilicet illam, qua mecum usus es, ut haec videlicet te commonerem: nos oportere urbaniter omnes tractemus, cum nobis liceat, hac in vita, si

123 et male mulcata unum latus: e tutta perduta da una parte
124 Valete, oscilla mea: Addio, mascherine!
125 Male parta, male dilabuntur: La farina del diavolo va tutta in crusca: le cose malamente acquistate vanno tutte in rovina

optemus aliquando in discrimine parem aliorum humanitatem experiri.

– Recte dicis, Gryllule, immo vero rectissime loqueris[126] et semper praeceptorum, quibus me imbuisti, meminero. At vero vis mihi ostendere quibus artibus pulchram istam emeris casam tuam?

– Casa haec mihi heri donata est a pulchra quadam capella, quam pulcherrimi lana vestiebat caesii coloris[127].

– Et quorsum capellula abiit? – quaesivit Pinoculus, quam qui maxime magna quadam curiositate permotus.

– Nescio.

– Quando autem redibit?

– Nunquam redibit. Nam profecta est valde tristis, balansque dicere videbatur: «Infelix Pinoculus ... non amplius revisam ilum ... Piscis–Chane hac hora jam forte devoravit eum! ...».

– Sic dixit illa vere? ... Ipsa igitur erat! ... Ipsa erat! ... Erat Sospita mea dulcis! ... – ululare coepit Pinoculus, singultans ubertimque lacrimans.

Postquam lacrimas effusissime dedit, oculos sibi detersit et in lectulo stramenticio bene composito Josephetum senem stravit. Dein sic interrogavit Gryllum Loquentem:

– Dic, quaeso, Gryllule mi: ubinam pauperi patri meo lactis poculum inveniam?

– Hinc post tria praedia hortulanus habitat cui nomen Jangius: boves custodit: ad eum vade et quod quaeris invenies. –

Pinoculus festinanter ad Jangii hortulani domum pervenit; sed hortulanus dixit eì:

– Quantum lactis vis?

– Poculum plenum volo.

– Poculum lactis asse venit[128]. Ideo assem mihi solve ab initio.

– Ne assis quidem mihi est – verecundus vehementerque dolens Pinoculus respondit.

– Male, Pupule mi, – rursum hortulanus inquit. – Si ne assis quidem tibi est, ne digitus quidem lactis mihi est.

– Dolendum! – Pinoculus inquit et abire coepit.

– Paulisper exspecta, – inquit Jangius. – In has condiciones mihi tecum convenire licet. Vin' te accommodare ad gyrgillum vertendum ?[129]

– Quid est gyrgillus?

– Machina quaedam lignea est qua, videlicet, cisterninam aquam exhaurimus, ut olem possimus aqua diluere.

– Tentabo hoc ...

– Agedum; extrahe mihi centum aquae situlas, et tibi pro merito donabo poculum lactis.

– Bene quidem: convenit. –

Jangius duxit Pinoculum in hortum et docuit eum artem gyrgilli volvendi. Pinoculus illico suscepit laborem; sed priusquam exhausisset centum aquae situlas, pedes, caput, corpusque totum sudore manarunt. Eiusmodi laborem nunquam toleraverat[130].

---

126 immo vero rectissimo loqueris: hai ragione da vendere

127 quam pulcherrimi lana vestiebat caesii coloris: che aveva la lana di un bellissimo colore turchino

128 Poculum lactis asse venit: un bicchiere di latte costa un soldo: il soldo semplice moneta spicciola si dice anche *nummulus, teruncius*

129 Vin, te accommodare ad gyrgillum vertendum?: Vuoi adattarti a girare il bindolo?

130 Eiusmodi laborem nunquam toleraverat: una fatica a quel modo non l'aveva mai durata

– Usque adhuc hunc laborem gyrgilli volvendi – inquit hortulanus – asello meo imposui: sed hodie miserum illud animal ad extremum spiritum venit.

– Vin' ad illud videndum me adducere? – rursum inquit Pinoculus.

– Libenter adducam. –

Simul atque stabulum introivit Pinoculus, asellum pulchrum, in palea stratum, fame confectum nimioque labore vidit. Illum intentius intuitus intra se turbatus dixit:

– Atqui asellum novi illum. Mihi enim lineamenta ipsius ignota non sunt! –

Et inclinato usque ad eum capite sermone asinino ipsum interrogavit:

– Quis es tu? –

Ad hanc interrogationem asellus oculos aperuit moribundos eodemque sermone balbutiens respondit:

– Sum Lu ...ci ...nu ...lus ... – Et postea, oculis clausis, efflavit animam.

– Heu miserum Lucinulum! – submissa voce Pinoculus inquit, et, manipulo palearum comprehenso, lacrimam sibi e vultu labentem detersit.

– Siccine turbaris propter asinum nullius pretii? – inquit hortulanus. – Quidnam faciam ego, illo numerata pecunia empto?

– Hoc ego equidem fatebor, amicus meus ille fuit.

– Amicusne tuus?

– Socius meus in schola! ...

– Quomodo?! ... – ululavit Jangius in magnum risum erumpens. – Quomodo?! Asellos habuisti in schola socios! Ain'? Mecum ipse recogito quam pulchra studia obieris! ...[131] –

Pupulus autem his verbis afflictus, nihil respondit: sed poculum cepit lactis quasi ferventis et ad gurgustiolum rediit.

Et ab illo die amplius quinque menses quotidie ante primam lucem surrexit, ut ad gyrgillum volvendum ire posset, et ita lucraretur illud poculum lactis, quod optime infirmae patris valetudini proderat. Neque vero his contentus fuit; nam, temporis cursu labente, canistra et calathos[132] juncinos nectere didicit, et pecunia quam ex iis lucrabatur, cunctis cotidie epularum sumptibus maxima cum prudentia consulebat. Inter alia multa ipse sibi plostellum quoddam eleganter aedificaverat, quo patrem suum pulchris serenisque diebus deambulatum duceret[133], eumque aëre puro recrearet.

In vigiliis vespertinis, tum legendo, cum scribendo, se exercebat.

Emerat autem in vicina villa, paucis assibus, magnum librum cui deerant frons et index, eoque utebatur in lectione.

Quod ad scribendum attinet cauliculo exacuto[134], instar plumae scriptoriae, utebatur: et cum illi deessent atramentum et atramentarium, intingebat in laguncūlam suco quodam ex moris et cerasis plenam.

Itaque studio quodam atque industria, labore quodam atque constantia, non solum hoc consecutus erat, ut patrem semper aegrotantem quasi commode alere posset, sed etiam quadraginta asses colligeret ad novam sibi vestem emendam.

Mane quodam patri suo dixit:

– Ibo ad vicinas nundinas, ut mihi tuniculam manicatam, pileolum et jugum calceolorum comparem. Cum domum rediero – subjunxit ridens – tam pulchra veste indutus videbor, ut me divitem dominum judicare possis. –

Et egressus domo, valde laetus et gaudens currere coepit. Tunc improviso se

131 recogito quam pulchra studia obieris: i belli studi che devi aver fatto
132 canistra et calathos: canestri e panieri
133 plostellum... quo deambulatum duceret: un carrettino per condurre a spasso
134 cauliculo exacuto utebatur: si serviva di un fuscello temperato

nominari sensit, et se convertens pulchram quandam cochleam e saepe exeuntem vidit.

– Nonne recognoscis me? – inquit Cochlea.

– Nota tute mihi modo videris, modo ignota.

– Nonne tibi in mentem venit illius Cochleae, ancillae videlicet cubiculariae, apud Sospitam caesiis capillis? Nonne recordaris aliquando me descendisse ad te illuminandum et pedem tuum portae domus inhaesisse?

– Omnia quidem memini, – clamavit Pinoculus. – Cito responde mihi, Cochleola pulchra: ubinam Sospitam meam benignam reliquisti? quidnam agit ipsa; veniamne mihi dedit? mei semper meminit ipsa? semperne diligit me? hinc multum abest? possum revisere illam? –

Quibus omnibus praepropere et sine intermissione ulla, ad animam recipiendam, quaesitis, Cochlea more lento suo respondit:

– Pinocule mi! Misera Sospita jacet in imo lecto nosocomii cuiusdam.

– In nosocomio? ...

– O quam dolendum! Infinitis aerumnis affecta, gravem in morbum incidit, nec habet ullum assem quo frustulum saltem panis sibimet acquirat.

– Ain'? ... Heu quanto dolore me affecisti! Misera Sospitula! Misera Sospitula! Misera Sospitula! ... Si mihi essent decies sextertium centena milia, haec properarem afferre illi ... At mihi quadraginta asses tantum sunt ... Ecce illos hic: ibam quidem ad novam vestem mihi emendam. Accipe hos, Cochlea, et cito propera, ut offeras dulci Sospitae.

– At nova tua vestis? ...

– Quid mea interest novam vestem habere? ... Etiam haec quibus tegor scruta vendam ad illam adiuvandam! Vade, Cochlea, et expedi te: et post biduum huc redi: nam spero etiam aliquem assem me tibi daturum. Usque adhuc operam impendi ad patrem alendum; ex hac die in posterum, alias quinque horas, operam, insuper, impendam, ad matrem meam bonam alendam. Vale, Oochlea, et post biduum te exspecto. – Cochlea more non suo, sicut lacerta canicularibus diebus Augustum per mensem, currere coepit.

Pinoculus, cum domum redisset, sic a patre interrogatus est:

– Et nova vestis tua? ...

– Fieri non potuit, ut aliquam vestem aptam invenirem. Dolendum sane! ... Alias comparabo illam. –

Eo vespere Pinoculus non solum usque ad horam decimam vigilavit, sed usque ad mediam noctem: et non octo canistra intexuit juncina, sed sedecim. Dein cubitum discessit et somnum cepit. Et ipse sibi dormiens, pulchro et arridente vultu Sospitam intueri visus est, quae, osculo dato, sic locuta est:

– Euge, Pinocule! Pro animo tuo bono, tibi parco omnino, etiamsi usque adhuc improbe feceris. Pueri enim qui amanter parentes in miseriis ipsorum et infirmitatibus adiuvant, magnam merentur laudem, etsi tamquam oboedientiae et morum probitatis exemplum proferri nequeunt. Prudens esto in posterum, et eris felix. –

Hoc momento somnium cessavit, et Pinoculus stupefactis intentisque oculis, experrectus est.

Nunc vobis mente fingite quinam stupor invaserit eum, cum expergiscens, animadvertit se jam non esse, id quod aliquando fuerat, ligneum pupulum, sed puerum, contra, factum esse ceterorum similem. Circumtulit oculos et, pro parietibus casae stramenticiis, pulchram cellulam supellectile ornatam[135] et

135 pulchram cellulam supellectile ornatam: una bella camerina ammobiliata

simplicitate quadam et elegantia excultam vidit. Ex lectulo desiliens invenit pulchram et novam vestem, novum pileolum et calceolorum jugum ex pelle, qui, videlicet, ut pictura ipsi conveniebant[136].

Simul ac vestem induit, manus in crumenas injecit, extraxitque nummariam eburneam capsulam, cui haec verba insculpta erant:

«*Sospita – Pinoculo suo dilecto – Restituit quadraginta asses – Eique vehementer gratias agit – Pro bono ipsius animo*».

In aperta eburnea nummaria capsula, non quadraginta asses ex aere lucebant, sed quadraginta nummi ex auro omnesque recentes.

Deinde ambulavit et iit ad se in speculo inspiciendum, et ipse sibi alius esse visus est.

Non amplius enim solitam et ligneam pupuli imaginem ibi reflexam vidit, sed hilarem et argutam imaginem inspexit pueri castaneo capillo oculisque caesiis, laeto festivoque, ut paschalium rosarum, vultu.

Inter haec mira ex ordine apparentia, Pinoculus ipse nesciebat quidem, utrum vigilaret an apertis oculis somniaret.

– Et pater meus ubinam est? – improviso clamavit: cellamque propinquam ingressus Josephetum senem invenit, sanum alacrem hilaremque, sicut aliquando, qui, cum artem ligni incidendi suscepisset iterum ac subito, delineabat quidem tabulae cuiusdam marginem, qui pulcherrimis foliis et floribus et variis animalium capitulis[137] ornatus videbatur.

– Velim satisfacias, patercule mi, huic studio meo sciendi, quaenam causa improvisae huius transmutationis fuerit – ex eo quaesivit Pinoculus in collum eius invadens et osculis eum tegens.

– Merito tuo in domo nostra haec improvisa transmutatio facta est – inquit Josephetus.

– Cur merito mea? ...

– Eo quod pueri, cum ex improbis in probos mutantur ea virtute nitent, ut etiam penetralia domorum in novam hilaremque faciem transmutare videantur.

– Et antiquus ille ligneus Pinoculus quanam in parte latet?

– Ecce, illic, – Josephetus respondit: eique magnum significavit sellae innixum pupulum, capite alteram in partem verso, brachiis suspensis cruribusque complicitis et ita semireplicatis, ut hoc mirum esse videretur, quod adhuc consisteret.

Pinoculus respexit illum, et cum paulisper observasset intra se magno cum gaudio cogitavit:

– O quam deridiculus apparui, donec pupulus fueram. Et quanto autem gaudio afficior nunc, quod perscitus tandem atque festivus factus sum puer! ... –

136 qui, videlicet, ut pictura ipsi conveniebant: che gli tornavano una vera pittura
137 et variis animalium capitulis: e di varie testine di animali

APPENDICE

1.

ELOCUTIONES QUAEDAM ENODATAE ATQUE CUM VULGARI FABULA COMPARATAE.

CAPITULUM PRIMUM

1. *Fragmentum ad struem aptum*: Pezzo da catasta.
2. *Manusque inter se perfricans*: Dandosi una fregatina alle mani.
3. *Gravius ne me tutuderis*: Non picchiarmi tanto forte.
4. *Stupere vehementer*: Rimaner di stucco, di princisbecco.
5. *Scrutatus est subter tabulam*: Guardò sotto il banco.
6. *Scrutatus est intra semper clausum armarium*: Guardò dentro un armadio sempre chiuso.
7. *Corbis* (corbello). – *Scobis* (segatura).
8. *Capillamentum sibi scalpere*: Grattarsi la parrucca.
9. *Magno impetu lignum percussit*: Tirò un solennissimo colpo.
10. *Mihi male fecisti*: Mi hai fatto male.
11. *Lingua ad mentum usque cadens*: Lingua giù ciondoloni.
12. *Persona magna fontis*: Mascherone da fontana.
13. *Olla phaselorum*: Pentola di fagioli.
14. *Utraque manu aliquid perstringere*: Agguantare con tutt'e due le mani.
15. *Illud nulla pietate commotus illidere coepit*: Cominciò a sbatacchiarlo senza pietà.
16. *Si qua vocula querens audiri posset*: Per sentire se c'era qualche vocina che si lamentasse.
17. *Capillamentum sibi turbare*: Arruffarsi la parrucca.
18. *Runcinare*: Piallare.
19. *Polire aliquid*: Tirare a pulimento qualche cosa.
20. *Pellem leviter titillare*: Fare il pizzicorino sul corpo.
21. *Tamquam de coelo tactus procubuit*: Cadde giù fulminato.
22. *Vultus transmutatus*: Viso trasfigurato.
23. *Caeruluerat nasi apex magnum propter pavorem*: La punta del naso era diventata turchina per la paura.

CAPITULUM ALTERUM

1. *Pulsatum est ad januam*: Fu bussato alla porta.
2. *Polentilla ex zea confecta*: Polendina di granturco.
3. *Iracundissimi ingenii homo*: Bizzosissimo.
4. *Doceo abacum formiculas*: Insegno l'abbaco alle formicole.
5. *Mihi in cerebrum impluit cogitatio quaedam*: Mi è piovuta nel cervello un'idea.
6. *Saltare*: Ballare; *Batuere*:Tirar di scherma; *Cernuare*: Far i salti mortali.
7. *Factus est ruber tamquam piperitis*: Diventò rosso come un peperone.
8. *Et inter utrumque manibus consertis*: E acciuffatisi tra di loro.
9. *Unguibus inter se lacerarunt*: Si graffiarono.
10. *Inter se deturpaverunt*: Si sbertucciarono.

11. *Uterque jurat se in amicitia futurum*: Giura l'uno e l'altro di rimanere amico.
12. *Tibiae pernarum more arefactae*: Stinchi impresciuttiti.
13. *Et hic multa vicissim verbera accepta redditaque*: Se ne dettero un sacco e una sporta.
14. *Acie oculorum orbatus*: perduto il lume degli occhi.
15. *Claudicans domum rediit*: Zoppicando ritornò a casa.

CAPITULUM TERTIUM

1. *Luce perfusa ex hiatu infra scalam*: Pigliava luce da un sottoscala.
2. *Olla laete effervescens*: Una pentola che bolliva allegramente.
3. *Incidendo fabricandoque dare operam*: Porsi a intagliare e a fabbricare.
4. *Operari alacriter coepit*: Cominciò a lavorare a buono.
5. *Lignei enormes oculi*: Occhiacci di legno.
6. *Circumcidebat atque decurtabat*: Ritagliava e scorciva.
7. *Totam linguam detrudit*: Cacciò fuori tutta la lingua.
8. *Neque attingere eum posse*: Senza poterlo raggiungere.
9. *Quasi viginti juga sculponearum*: Come venti paia di zoccoli da contadino.
10. *Ut nemo nostrum fingere possit quomodo*: Da non poterlo figurare.
11. *Advenit forte armifer a publica tutela*: Capitò un carabiniere.
12. *Huiusmodi validum audiens strepitum*: Sentendo tutto quello strepito.
13. *Intrepide, cruribus divaricatis, in media via stetit*: Si piantò coraggiosamente a gambe larghe in mezzo alla strada.
14. *Nihil profecit*: Fece fiasco.
15. *Eum naso corripuit pulchre*: Lo afferrò pulitamente per il naso.
16. *Subito aures stringere pulchre*: Dargli subito una buona tiratina d'orecchi.
17. *Humi procubuit*: Si gettò per terra.
18. *Josephetus improbus ille*: Quell'omaccio di Geppetto.
19. *Non multum aberit quin eum confracturus sit*: È capacissimo di farlo a pezzi.
20. *Tamquam vitulus flebat*: Piangeva come un vitello.
21. *Quem ut perscitum pupulum redderem*: Per farlo un burattino per bene.

CAPITULUM QUARTUM

1. *Cum miser Josephetus innoxius in carcerem duceretur*: Mentre il povero Geppetto era condotto in carcere innocente.
2. *Non aliter quidem atque capreolus*: Non altrimenti che un capretto.
3. *Magnum propter gaudium suspirium ex imo corde trahens*: Lasciando andare un gran sospiro di contentezza.
4. *Centum jam annos amplius*: Da più di cent'anni.
5. *Et magis delector cum ascendo arbores ad eripiendas ex nidis aviculas*: Mi diverto a salire su per gli alberi a prendere gli uccellini di nido.
6. *Miser stultille*: Povero grullerello.
7. *Desine, inepte Grylle, mihi infausta ominari*: Chetati, Grillaccio del mal'augurio!
8. *Qua tibi frustum panis compares*: Tanto da guadagnarti un pezzo di pane.
9. *Si suscensuero*: Se mi monta la bizza.
10. *Perincommode accidit ut caput quidem ipsius percuteret*: Lo colse disgraziatamente per l'appunto nel capo.
11. *Ac deinde parieti inhaereret exsiccatus atque aridus*: Rimase lì stecchito e

appiccicato alla parete.

CAPITULUM QUINTUM

1. *Stomachum lamentantem animadvertit*: Senti un'uggiolina nello stomaco.
2. *Et fames, luce in tenebras transeunte, mutata est in famem lupinam* : E la fame, dal vedere al non vedere, si convertì in una fame da lupi.
3. *Saltem parum panis sicci*: Magari un po' di pan secco.
4. *Parum polentae mucidae*: Un po' di polenta muffita.
5. *Nihil aliud erat solacio quam ut oscitaret*: Altro sollievo che quello di sbadigliare.
6. *Ut illi interdum os ad aures pertingeret*: La bocca gli arrivava agli orecchi
7. *Et ventrem sibi languescere sentiebat*: Sentiva che lo stomaco gli andava via.
8. *Si illud coquam more ovi bibendi*: Se lo cuocessi a uso uovo da bere.
9. *Aut in parva fictili sartagine*: O nel tegamino.
10. *Fregit testam et conatus est in sartaginem infundere ovum*: Spezzò il guscio dell'uovo, e fece l'atto di scodellarlo.

CAPITULUM SEXTUM

1. *Erat quidem perfida hiemis nox*: Era una nottataccia d'inverno.
2. *Efficiebat ut omnes ruris arbores striderent crepitarentque*: Faceva stridere e cigolare tutti gli alberi della campagna.
3. *Linguam emittens et crasse expirans*: Colla lingua fuori e il fiato grosso.
4. *Tintinnabulum cuiusdam domus arripuit*: Si attaccò al campanello di una casa.
5. *Ad molestiam afferendam honestis hominibus*: Per molestare la gente per bene.
6. *Quasi pullus tinctus*: Come un pulcino bagnato.
7. *Et fame et labore confectus*: Rifinito dalla stanchezza e dalla fame.
8. *Et paulatim ad carbonem ambusti sunt*: Adagio adagio gli si carbonizzarono.
9. *Cum quis januam pulsavit*: Quando uno bussò alla porta,

CAPITULUM SEPTIMUM

1. *Scabello lapsus est ut festinanter traheret januae paxillum*: Schizzò giù dallo sgabello per correre a tirare il paletto.
2. *Delectabatur pediculis assulas quasdam ex ligno ad saltationem provocare*: Si divertiva a far ballare colle zampine alcuni trucioli di legno.
3. *Et murum scandens*: E arrampicatosi su per il muro.
4. *Lacrimulisque per genas cadentibus*: Coi luccioloni che gli cadevano giù per le gote.
5. *Ut procul quinque millium passuum intervallo, audiri posset*: Sì che lo sentivano da cinque chilometri lontano.
6. *Nunquam arbitrabar temet sic molli osculo ac delicato palato esse*: Non credevo che tu fossi così boccuccia e così schizzinoso di palato.
7. *Omnia libenter comedere nos assuescamus oportet*: Bisogna avvezzarsi abboccati e a saper mangiare di tutto.
8. *Sed deinde omnes uno spiritu cutes singillatim peniculi more detersit*: Ma poi, una dietro l'altra, spolverò in un soffio tutte le bucce.
9. *Non oportere, scilicet, nos aut nimis sophisticos esse aut nimis palato molles*:

Non bisogna avvezzarsi né troppo sofistici né troppo delicati di palato.

CAPITULUM OCTAVUM

1. *Subito flere et mussitare coepit*: Cominciò subito a piangere e a bofonchiare.
2. *Aliquod saltem artificium addiscam*: Imparerò una qualche arte.
3. *Oculis lacrimis obtectis animoque tristitia oppresso*: Gli occhi pieni di pianto e il cuore grosso di passione.
4. *Quales ab artifice magni ingenii exprimi solent*: Come se fossero modellati da un artista di genio.
5. *Ut indicium juncturae nullum appareret*: Che non si vedeva nemmeno il segno dell'attaccatura.
6. *Et innumeras supplantationes innumerasque exultationes agere coepit*: E principiò a fare mille sgambetti e mille capriole.
7. *Quoniam pauper erat perulasque gerebat nummorum prorsus inanes*: Che era povero e non aveva in tasca nemmeno un centesimo.
8. *Parvam vestem ei ex charta floribus ornata confecit*: Gli fece allora un vestituccio di carta fiorita.
9. *Non pulchrum vestimentum honestatem homini addere, sed potius vestimentum mundum*: Che non è il vestito bello che fa il signore, ma piuttosto il vestito pulito.
10. *Obsoletum sagum xylinum indutus, panniculis mendisque distinctum*: Rivestito di una vecchia casacca di fustagno tutta toppe e rammendi.
11. *Vultum ipsius osculis fatigare coepit*: Cominciò a baciarlo per tutto il volto.

CAPITULUM NONUM

1. *Simul ac ningere cessavit*: Smesso che fu di nevicare.
2. *Cerebello suo fictas cogitationes vertebat innumerasque*: Fantasticava nel suo cervellino mille ragionamenti.
3. *Cito volo litteras discere et legere*: Voglio subito imparare a leggere.
4. *Argenteam et auream omnino globulis et pretiosissimis gemmis ornatam conficere volo*: Gliela voglio fare tutta d'argento e d'oro, e coi bottoni di brillanti.
5. *Fistularum et percussorum tympanorum concentum quendam*: Una musica di pifferi e di colpi di gran cassa.
6. *Extremo lascivus ille puerulus humeros allevans inquit*: Disse quel monello facendo una spallucciata.
7. *Qui se conglobabant circa magnum ligneumque tabernaculum*: Che si affollavano attorno a un gran baraccone di legno.
8. *Macte, bos*: Bravo bue!
9. *Quattuor nummulis tibi tuniculam vendo*: Per quattro soldi ti vendo la mia giacchettina.
10. *Pinoculus animo quidem spinis angebatur*: Pinocchio era sulle spine.
11. *Qui sermoni forte adfuerat praesens*: Che s'era trovato presente alla conversazione.

CAPITULUM DECIMUM

1. *Hoc vero scire oportet aulaeum jam sublatum esse et comoediam initium sumpsisse*: Bisogna sapere che il sipario era tirato su e che la commedia era

incominciata.
2. *Minantes ... fustibus et alapis se graviter mulcaturos*: Minacciavano di scambiarsi un carico di schiaffi e di bastonate.
3. *Risu quodam laetissimo ad usque intestinorum redigebantur dolorem*: Si mandavano a male dalle grandi risate.
4. *Quasi reipsa duo rationis participia animalia aut nostrae aetatis homines*: Come se fossero due animali ragionevoli di questo mondo.
5. *Ab extrema scaena caput emittens*: Facendo capolino di fondo alla scena.
6. *Et illinc in scaenam insilit*: E di lì schizza sul palcoscenico.
7. *Nemo fingere potest amplexus, collorum compressus, amicas vellicationes atque ictus cucurbitarum ad ostendendam veram et sinceram fraternitatem*: È impossibile figurarsi gli abbracciamenti, gli strizzoni di collo, i pizzicotti dell'amicizia e le zuccate della vera e sincera fratellanza.
8. *Ad proscaenii lumina*: Davanti ai lumi della ribalta.
9. *Tam corpulentus homo tamque foedus, ut, primo aspectu, terrorem iniceret*: Un omone così brutto che metteva paura solo a vederlo.
10. *Barba horrida et atra erat illi et similis atramenti maculae*: Aveva una barbaccia nera come uno scarabocchio d'inchiostro.
11. *Ipse vero, magno quodam, quod manu arripuerat, flagello serpentinis vulpinisque caudis contexto, crepitum faciebat*: Faceva schioccare una grossa frusta fatta di serpenti e di code di volpe attorcigliate insieme.

CAPITULUM UNDECIMUM

1. *Igniphagus neurospastorum magister*: Il burattinaio Mangiafoco.
2. *Praesertim propter atram foedamque illam barbam*: Specie con quella sua barbaccia nera.
3. *Et sonorissimum sternutamentum emisit*: E lasciò andare un sonorissimo sternuto.
4. *Maestus et deflexus sicut salix babylonica*: Afflitto e ripiegato come un salcio piangente.
5. *Mos patibilem piamque naturam manifestandi*: Modo di dare a conoscere la natura pia e sensibile (la sensibilità del suo cuore).
6. *In imo stomacho fastidium mihi quoddam excitaverunt*: Mi hanno messo un'uggiolina nello stomaco.
7. *Eia, properanter armiferi*: Olà, giandarmi!
8. *Et manibus rumpiam destrictam gerebant*: Colla sciabola sfoderata in mano.
9. *Ut crura illi inflecterentur*: Che le gambe gli si ripiegarono.
10. *Rotundum finxit osculum*: Fece il bocchino tondo.
11. *Effecerunt ut pupuli qui eiusmodi spectaculo praesentes adessent cuncti lacrimarentur*: Fecero piangere tutti i burattini che erano presenti a quella scena.
12. *Properavit osculum illi pulcherrimum in apice nasali deponere*: Andò a posargli un bellissimo bacio sulla punta del naso.

CAPITULUM DUODECIMUM

1. *In secretum locum Pinoculum vocavit*: Chiamò in disparte Pinocchio.
2. *Quod nomen est patri tuo?*: Come si chiama tuo padre?
3. *Sagulum quod panniculis sarturisque omnino vulneratum videbatur*: Una casacca, che fra toppe e rammendi era tutta una piaga.

4. *Incidit in Vulpem altero pede claudam et in Cattum utroque oculo caecum*: Si imbatté in una volpe zoppa da un piede e in un gatto cieco da tutt'e due gli occhi.
5. *Ridere coepit rustico quodam risu et dicaci*: Cominciò a ridere di un riso sguaiato e canzonatore.
6. *Anterioribus pediculis sibi superioris labri pilos depectebat*: Si pettinava i baffi colle zampe anteriori.
7. *Et Cattus oculos ambos diduxit*: E il gatto spalancò tutt'e due gli occhi.
8. *Totamque illam cum pinnis devoravit*: Se la mangiò in un boccone colle penne e con tutto.
9. *Alias discet aliorum non interloqui sermonibus*: Imparerà per altra occasione a non metter bocca nei discorsi degli altri.
10. *Ad oppidum Bubonum*: Nel paese dei Barbagianni.
11. *Vixdum reminiscor haec, pellis timore excutit aristas* : Mi viene i bordoni soltanto a pensarci.

CAPITULUM DECIMUM TERTIUM

1. *Usque ad mortem itinere fessi ... perveniunt*: Stanchi morti dal cammino arrivarono.
2. *Comedere nil aliud potuit quam triginta quinque mullos barbatos lycopersico condimento intinctos et quattuor partes omasi parmensi caseo conditi*: Altro che trentacinque triglie con salsa di pomodoro e quattro porzioni di trippa alla parmigiana.
3. *Debuit delectari uno lepore dulci et forti*: Dovette accontentarsi di una sola lepre dolce e forte.
4. *Ad gustum titillandum minutal quoddam delicatum ex perdicibus*: Per tornagusto un cibreino di pernici.
5. *Anticipaverat cruditatem quandam aureorum nummum*: Aveva preso un'indigestione anticipata di monete d'oro.
6. *Brevem somnum captabimus*: Stiacceremo un sonnellino.
7. *Et campus plenus esse videbatur arbusculis corymbiferis*: E questo campo era pieno di arboscelli carichi di grappoli.
8. *Urbaniores sunt quam ut injuriam huiusmodi afferant tibi*: Troppo educati per fare un affronto a te.
9. *Tam densae ingruebant tenebrae, ut nil hinc illuc dispicere posses*: C'era un buio così buio che non si vedeva da qui a lì.
10. *Faculae nocturnae instar in argillacea lampade pellucentis*: Come un lumino da notte dentro una lampada di porcellana.
11. *Quam ab inferis locis egressam crederes*: Che pareva venisse dal mondo di là.
12. *Sicut lumen exstinguitur, si in illud flaveris*: Come si spenge un lume soffiandoci sopra.

CAPITULUM DECIMUM QUARTUM

1. *Omnes si eos loqui patiaris, hoc sibi persuadeant: se patres nostros et magistros esse*: A lasciarli dire, tutti si metterebbero in capo di essere i nostri babbi e i nostri maestri.
2. *Et nesciens quomodo absconderet quattuor aureos*: E non sapendo dove nascondere i quattro zecchini.

3. *Millies putide inclinato corpore salutavit et millies pantomimice egit*: Fece mille salamelecchi e mille pantomime.
4. *Ita illo inclamante, nummi in ore eius insonuerunt*: Nel gridare così gli zecchini gli sonarono in bocca.
5. *Tum qui statura minor erat magnum cultrum extraxit*: Allora quello che era minore di statura cavo fuori un coltellaccio.
6. *Sed Pinoculus celer ut fulgur manum illius dentibus arreptam morsu abscidit*: Ma Pinocchio, lesto come un lampo, gli azzannò la mano coi denti, e con un morso gliela staccò di netto.
7. *Foedissima aqua kaffeariae potionis lactisque colorem imitabatur*: Acquaccia sudicia color del caffelatte.

CAPITULUM DECIMUM QUINTUM

1. *Cum inter virides opacasque arbores domusculam vidit*: Quando vide fra mezzo al verde cupo degli alberi una casina.
2. *Denique vehementer anhelans ad portam illius domusculae pervenit*: Finalmente tutto trafelato arrivò alla porta di quella casina.
3. *Pedum capitisque ictibus portam percutere coepit*: Cominciò a dare calci e zuccate nella porta.
4. *Puellula pulchra, caesiis capillis, candido ore, imaginis instar cereae*: La bella Bambina, coi capelli turchini e il viso bianco come un'imagine di cera.
5. *Vespillones exspecto, qui mox efferant me*: Aspetto la bara che venga a portarmi via tosto.
6. *Illi inflixerunt duos ictus inter renes*: Gli affibbiarono due colpi nel mezzo delle reni.
7. *Et circumducto gutturi illius curraci laqueo*: E passatogli un nodo scorsoio intorno alla gola.
8. *Et crura agitabat saepius vehementerque*: E sgambettava più che mai.

CAPITULUM DECIMUM SEXTUM

1. *Videns illum praesultantem impetu aquilonari*: Vedendo quell'infelice ballare il trescone alle ventate di tramontana.
2. *Ter manus simul percussit et tres parvos ictus edidit*: Battè tre volte le mani insieme e fece tre piccoli colpi.
3. *Alarum sonitus, praecipiti cum impetu volantium, exauditus est*: Si sentì un gran rumore di ali che volavano con foga precipitosa.
4. *Caput enim eius tricorniger tegebat pileolus auro ornatus et album capillamentum cirris quibusdam cervice dependulis distinctum*: Aveva in capo un nicchiettino a tre punte gallonato d'oro, una parrucca bianca coi riccioli che gli scendevano giù per il collo.
5. *Et pone eum recte, plane, super carrucae pulvinaria et affer illum ad me*: Posalo, pari pari, su i cuscini della carrozza e portamelo qui.
6. *Pinnis omnino fringillae canariae farta et, intima parte, tecta flore lactis cum sabaudiis crustulis*: Tutta imbottita di penne di canarino e foderata nell'interno di panna montata e di crema coi savoiardi.
7. *Pupulus ille, – Gryllus loquens dicere perrexit – fraudulentus est et longe iniquissimus*: Quel burattino lì – disse il Grillo parlante – è una birba matricolata.

CAPITULUM DECIMUM SEPTIMUM

1. *Sensit illum laborare magna quadam et incredibili febri*: Si accorse che era travagliato da un febbrone da non si dire.
2. *Globum sacchari tibi dabo, ut tibi gustum reficias*: Ti darò una pallina di zucchero per rifarti la bocca.
3. *Postquam illum fregit ac deglutivit perniciter*: Dopo averla sgranocchiata e ingoiata in un attimo.
4. *Et ingressi sunt quattuor cuniculi similes atramento*: Entrarono dentro quattro conigli neri come l'inchiostro.
5. *Videns illum cubiculo currentem et lascivientem*: Vedendolo correre e ruzzare per la camera.
6. *Nasus eius ita excreverat, ut non potuerit jam portam pertransire*: Il suo naso era così cresciuto che non poteva più passare per la porta.

CAPITULUM DECIMUM OCTAVUM

1. *Quod turpissimum in pueris vitiorum reputatur*: Il quale è il più brutto vizio che possa avere un ragazzo.
2. *Rostro pungere tam vehementer coeperunt, ut, paucis momentis, nasus ille enormis et ingens ad naturalem formam redactus sit*: Cominciarono a beccarglielo tanto e poi tanto, che in pochi minuti quel naso lungo e spropositato si trovò ridotto alla sua grandezza naturale.
3. *Vehementer momentum illud exspecto in quo miserum illum senem osculari potero*: Non vedo l'ora di poter dare un bacio a quel povero vecchio.
4. *Gradum retinuit cum in suspicionem venisset se omines inter ramalia audivisse*: Si fermò perché gli parve di aver sentito gente fra mezzo alle frasche.
5. *Donec me attigerunt et ramo quercus illius suspenderunt*: Finché mi raggiunsero e mi impiccarono a un ramo di quella quercia.
6. *Pinoculus animadvertit Cattum claudum esse crure anteriore dextero*: Pinocchio si accorse che il Gatto era zoppo dalla gamba destra davanti.
7. *Scito ergo, hora iam elapsa est, secus viam nos in senem lupum incidisse*: Sappi dunque che un' ora fa abbiamo incontrato sulla strada un vecchio lupo.
8. *Pinoculus, vix urbem ingressus, animadvertit vias canibus depilatis esse frequentes propter famem oscitantibus, ovibus tonsis frigore trementibus, gallinis sine cristis et sine paleis*: Pinocchio vide la strada popolata di cani spelacchiati che sbadigliavano dall'appetito, di pecore tosate che tremavano dal freddo, di galline rimaste senza creste e senza bargigli.

CAPITULUM UNDEVICESIMUM:

1. *Subito iterumque viam suscepit ad Campum miraculorum ducentem*: Riprese subito la via che menava al Campo dei miracoli.
2. *Cor pulsum edebat quasi exedrae oscillatorium horologium celeriter currens*: Il cuore gli batteva forte come un orologio da sala quando corre davvero.
3. *Caputque sibi diutissime molliterque scabit* : Si da una lunghissima grattatina di capo.
4. *Magnum, qui in arbore insidebat, psittacum aspexit, ex paucis quibus tegebatur pennis pediculos decutientem*: Vide sopra un albero un grosso pappagallo, che si spollinava le poche penne che aveva addosso.

5. *Tam profundam foveam effodit, ut palearium integrum et erectum in illam descendere posset*: Fece una buca così profonda che ci sarebbe entrato per ritto un pagliaio.
6. *Hoc scire oportet, imperatorem maximas ludorum celebritates parari jussisse, lumina accendi, ignes artificiosos, numidicorum equiria velocipedumque cursus fieri*: Ordinò grandi feste pubbliche, luminarie, fuochi artificiali, corse di barberi e velocipedi.

CAPITULUM VICESIMUM

1. *Omittimus quaerere quid sit aut quid non sit. Subito ex urbe egressus est et viam iterum suscepit*: Senza stare a dire che è che non è, uscì subito fuori della città e riprese la strada.
2. *Cruciatus videndi patris studio, sororculaeque caesiis capillis videndae*: Tormentato dalla passione di rivedere il suo babbo e la sua sorellina dai capelli turchini.
3. *Quia pupulus animi pervicacis jurgiosique sum*: Perché io sono un burattino testardo e piccoso.
4. *Atqui inveniri potest puer ingratioris duriorisque animi quam ego?*: Ma si può dare un ragazzo più ingrato e più senza cuore di me?
5. *Et, etiam a longe, illius rubescentes ignitosque oculos aspiceres et fumi columnam ex apice caudae eius egredientem*: E anche di lontano si vedeva il rosseggiare dei suoi occhi di fuoco e la colonna di fumo che gli usciva dalla punta della coda.
6. *Sed vix sustulerat crus, cum Serpens improviso surrexit, quasi ferrea spira exsiliens*: Ma non aveva ancora finito di alzare la gamba, che il Serpente si rizzò all'improvviso, come una molla scattata.

CAPITULUM VICESIMUM PRIMUM

1. *Quomodo factum est, ut crura tua hisce acutis ferris constringerentur?*: Come mai sei rimasto colle gambe attanagliate fra codesti ferri arrotati?
2. *Erat dominus agri veniens, suspenso gradu, ut videret aliquane earum mustelarum nocturno tempore pullos devorantium in pedicae insidias incidisset*: Era il padrone del campo che veniva in punta di piedi a vedere se qualcuna di quelle faine ...
3. *Pupulum cervice comprehendit et usque ad domum suam portavit sublatum*: Afferrò il burattino per la collottola e lo portò di peso fino a casa.
4. *Illico collum eius torque circumdedit verubus ex orichalco omnino horrescente*: Gl'infilò al collo un grosso collare tutto coperto di spunzoni di ottone.
5. *Quodsi iniqua sorte fures venerint auribus intentis vigilare memento et latrare*: E se per disgrazia venissero i ladri, ricorda di stare a orecchi ritti e di abbaiare.

CAPITULUM VICESIMUM ALTERUM

1. *Sed viri nobiles ut ego has nugas spernunt*: Ma gli uomini generosi come me non badano a queste piccolezze.
2. *Foinae me excitaverunt garrulitatibus suis*: Ma le faine mi hanno svegliato coi loro chiacchiericci.
3. *Hoc vitio non laboro cum fraudulentis hominibus societatem ineundi eisque*

saccum relevandi: Ma non avrò mai il vizio di star di balla e di reggere il sacco alla gente disonesta.

CAPITULUM VICESIMUM TERTIUM

1. *Simul ac Pinoculus non sensit amplius durissimum et contumeliosum torquis illius circum cervicem pondus*: Appena Pinocchio non sentì più il peso durissimo e umiliante di quel collare intorno al collo.
2. *Ubi ad viam consularem pervenit subjectam sibi planitiem aspexit*: Arrivato sulla strada maestra, si voltò in giù a guardare nella sottostante pianura.
3. *Tum tristia quaedam animo praesagiens*: Allora avendo una specie di tristo presentimento.
4. *Omnibus crurum viribus currere coepit*: Si diede a correre con quanta forza gli rimaneva nelle gambe.
5. *Clamoresque illius et lamentationes aures ita lacerabant tamque acute personabant, ut colles omnes undique circum repercussa voce resonarent*: Le sue grida e i suoi lamenti erano così strazianti ed acuti, che tutte le colline all'intorno ne ripetevano l'eco.
6. *Brachiis circumplicuit se adstrictissime collo pennati vectoris*: Si avviticchiò colle braccia, stretto stretto, al collo della sua piumata cavalcatura.
7. *Quae nucis putamen videbatur quo homunculus exiguo corpore ferebatur*: Pareva un guscio di noce con dentro un omino piccino piccino.
8. *Cymba undis furentibus jactata, nunc inter magnos fluctus evanescebat, nunc emergebat*: La barchetta sbattuta dall'infuriare dell'onde, ora spariva fra i grossi cavalloni, ora tornava a galleggiare.

CAPITULUM VICESIMUM QUARTUM

1. *Pinoculus spe excitatus tempestive perveniendi, ut auxilium ferret patri suo, totam per noctem natavit*: Pinocchio, animato dalla speranza di arrivare in tempo a dar aiuto al suo povero babbo, nuotò tutta quanta la notte.
2. *Ictus tam fortis fuit, ut illi terram percutienti, costae omnes iuncturaeque concrepuerint*: Il colpo fu così forte che, battendo in terra, gli crocchiarono tutte le coste.
3. *Et huc illuc inspicere coepit, si forte, immensum per aequor, dispicere posset*: E si pose a guardare di qua e di là, se per caso avesse potuto scorgere su quella immensa pianura.
4. *Tu diesque noctesque mare perambulans parvam cymbam vehentem patrem meum forte invenisti*?: Lei che passeggia tutto il giorno e la notte per il mare, non avrebbe incontrato, per caso, una piccola barchettina con dentro il mi' babbo?
5. *Hoc tibi dico ... tamque horridum latum profundumque os illius esse, ut integer hamaxostichos ferriviae cum incensa machina per illud commode transire possit*: Ti diro che ... ha una boccaccia così larga e profonda, che ci passerebbe comodamente tutto il treno della strada ferrata colla macchina accesa.
6. *Hoc melius tibi est, puer mi, si vere fame languescis, comede duas integras offulas superbiae tuae, atque ne cruditate aliqua afficiaris, caveto*: Meglio per te ... ragazzo mio, se ti senti davvero morir dalla fame, mangia due belle fette della tua superbia e bada di non prendere un'indigestione!
7. *Non manducavit, diluviavit*: Non mangiò, diluviò.

CAPITULUM VICESIMUM QUINTUM

1. *Principio suavis muliercula negare coepit se parvam caesiis capillis Sospitam esse*: Cominciò col dire che lei non era la piccola Fata dai capelli turchini.
2. *Hem! Pupule furcifer!*: O birba d'un burattino!
3. *Hoc responso accepto, tali ac tanto gaudio Pinoculus affectus est*: A questa risposta fu tale e tanta la contentezza di Pinocchio.
4. *Tantoque impetu eas osculari coepit, ut ille insanire videretur*: Cominciò a baciargliele con tanta foga che pareva quasi fuori di sé.
5. *Semper enim hoc est sperandum: verum iter et rectum illos aliquando suscepturos*: C'è sempre da sperare che essi rientrino sulla vera strada.

CAPITULUM VICESIMUM SEXTUM

1. *Tum cachinnatio infinita exorta est*: Fu una risata che non finiva più.
2. *Alius conari atramento binos subter ipsius naso mystaces pingere magnos*: Chi si divertiva a fargli coll'inchiostro due grandi baffi sotto il naso.
3. *Conversus ad eos qui acrius eum sicut tabani pungebant et deridebant*: Voltosi a quelli che più lo tafanavano e si pigliavano gioco di lui.
4. *Macte virtute, Berlicce!*: Bravo Berlicche!
5. *Conclamaverunt pueri illi improbuli risu quodam insano ilia commoventes*: Urlarono quei monelli buttandosi via dalle matte risate.
6. *Et ictu pedestri tibias illi percussit*: E gli consegnò una pedata negli stinchi.
7. *Humeros allevans et indice sibi mediam frontem tangens*: Facendo una spallucciata e toccandosi coll'indice in mezzo alla fronte.
8. *O exsucum caput!*: Povero giucco!

CAPITULUM VICESIMUM SEPTIMUM

1. *Nostra autem permagni interest*: A noi ce ne importa moltissimo.
2. *Te quoque scholae, lectionis et magistri taedeat necesse est*: Devi prendere a noia anche tu la scuola, la lezione, il maestro.
3. *Apage! Cave coram nobis gloriose mentiaris. Apage! Cave, coram nobis gallulurias!* ..: Non venir qui a fare lo smargiasso: non venir qui a far tanto il galletto !....
4. *Et sic dicens pugnum capiti eius impingit*: E nel dir così gli appiccica un pugno nel capo.
5. *Etenim quam partem pedes eius pertetigerant, livida recordatione atque vestigio*: ci lasciavano un livido per ricordo.
6. *Tempestivus capite nutabat*: Faceva sempre civetta a tempo.
7. *Interea fasciculum Pupuli librorum conspexerunt illinc non procul*: Occhiarono lì a poca distanza il fagotto dei libri del burattino.
8. *Inter illud stuporis genus animique hebetationem*: In mezzo a quella specie di stupidità e di rintontimento.

CAPITULUM DUODETRICESIMUM

1. *Pupulus unius palmi intervallo post se anxiae beluae et horrendae anhelitum sentiebat*: Il burattino sentiva dietro di sé, alla distanza di un palmo, l'ansare affannoso di quella bestiaccia.

2. *Litus autem fortuna secunda proximum erat et illinc paucis passibus aberat mare conspicuum*: Per buona fortuna la spiaggia era ormai vicina e il mare si vedeva da lì a pochi passi.
3. *Ideoque subito ut emergere posset pedibus circumvolvi coepit*: Cominciò subito ad annaspare colle zampe per reggersi a galla.
4. *Territis distortisque oculis apparuit*: Apparve cogli occhi stralunati ed atterriti.
5. *Pinocule, vale; quod me a morte eripuisti millies gratias tibi reddo*: Addio, Pinocchio, mille grazie di avermi liberato dalla morte.
6. *Speluncam quandam vidit ex qua longissima fumidaque crista exibat*: Vide una specie di grotta, dalla quale usciva un lunghissimo pennacchio di fumo.
7. *Illuc ibo ad membra calefacienda simulque arefacienda; et postea?*: Anderò a riscaldarmi e rasciugarmi; e poi?

CAPITULUM UNDETRICESIMUM

1. *Erat piscator Pinoculum in patellam projecturus*: Il pescatore era proprio sul punto di buttar Pinocchio nella padella.
2. *At miser canis fame cruciabatur quadrifaria*: Ma il povero cane aveva fame per quattro.
3. *Sarcinulamque farina aspersam mordicus arripit*: Abbocca quel fagotto infarinato.
4. *Nidor ille suavis mihi obsonavit famem*: Quell'odorino soave mi ha stuzzicato l'appetito.
5. *Si tantillo serius advenissem*: Se arrivavo un minuto più tardi.
6. *Alidorus, ridens, extendit dexteram ungulam ad Pupulum*: Alidoro, ridendo, stese la zampa destra al burattino.
7. *Quarto, malleum ferreum, pavidus, manu comprehendit, et leviter, exiguo ictu, ostium pulsavit*: La quarta volta prese, tremando, il battente di ferro in mano e bussò un piccolo colpettino.
8. *Aliquanto post mediae noctis signum insonuit; dein horae septimae; dein octavae*: Di lì a poco sonò la mezzanotte, poi il tocco, poi le due dopo mezzanotte.
9. *Rabide ferreum januae manubrium, magnum ictum vibraturus, quo domus tota resonaret, arripuit*: Afferrò con rabbia il battente della porta per bussare un gran colpo da far rintronare tutto il casamento.
10. *Orto jam mane primaque luce ostium tandem apertum est*: La mattina, sul far del giorno, finalmente la porta si aprì
11. *In lance erant panis, pullus assus, et quattuor matura armeniaca*: Nel vassoio c'era un pane, un pollastro arrosto, e quattro albicocche mature.
12. *Postquam vero se recepit, in stibadio stratum se vidit, ipsique Sospita aderat*: Quando si riebbe, si trovò disteso sopra un sofà, e la Fata era accanto a lui.
13. *Et Sospita jusserat parari ducentas coffeae potiones et lactis, quadrigentaque panis frustula butyro supra infraque illita*: E la Fata aveva fatto preparare dugento tazze di caffelatte e quattrocento panini imburrati di sopra e di sotto.

CAPITULUM TRICESIMUM

1. *Abi sane ad invitandos amicos tuos ad crastinum jentaculum*: Va' pure ad invitare i tuoi amici per la colazione di domani.

2. *Pupulus, nullo alio addito verbo, Sospitam salutavit*: Senza aggiungere altre parole, il burattino salutò la sua buona Fata.
3. *Cum sciverunt panis frustula in coffeam et lac intingenda etiam butyro circumlita fore*: Quando seppero che i panini da inzupparsi nel caffè e latte sarebbero stati imburrati anche dalla parte di sotto
4. *Cum esset exili puer et macilento simulque perlucidulo, corpore similis prorsus novo nocturnae faculae filo*: Per via del suo personalino asciutto secco e allampanato come il lucignolo nuovo di un lumino da notte.
5. *Dolendum sane! Sinam illam me increpare; cum satis superque increpuerit, acquiescet tandem aliquando*: Pazienza ! La lascierò gridare. Quando avrà gridato ben bene si cheterà.
6. *Sonitumque crepitacillorum audierunt, tubulaeque clangorem tam exiguum et repressum, ut culicis perlevis sibilus videretur*: E sentirono un suono di bubboli e uno squillo di trombetta, così piccolino e soffocato, che pareva il sibilo di una zanzara!

CAPITULUM TRICESIMUM PRIMUM

1. *Non ferro muniti erant pedes eis sicut ceteris jugalibus jumentisque, sed albis ex corio calceolis*: Avevano ai piedi degli stivaletti da uomo di vacchetta bianca.
2. *At vero si vobiscum venero quid suavis Sospita mea dicet? – jam tenerascens et labascens pupulus inquit*: E se vengo con voi che cosa mi dirà la mia buona Fata? – disse il burattino che cominciava a intenerirsi e a ciurlar nel manico.
3. *Vehementer pectus illi tutudit rostro*: Gli dette una gran musata nello stomaco.
4. *Ut miserum pupulum jaculatus sit in glarearum tumulum in via positum*: Scaraventò il povero burattino in mezzo alla strada sopra un monte di ghiaia.
5. *Nullum alium exitum obire possunt quam calamitosum*: Non possono far altro che una fine disgraziata.
6. *Frequentia incolarum eius ex pueris constabat*: La sua popolazione era tutta composta di ragazzi.
7. *Minusculorum manipulos nebulonum ubicumque cerneres*: Branchi di monelli dappertutto avresti visto.
8. *Alius manibus, terra innixis cruribusque in aëra sublatis, ambulando delectari*: Chi si divertiva a camminare colle mani a terra.
9. *Alius gallinae postquam ovum peperit versum imitari*: Chi rifaceva il verso della gallina dopo che ha fatto l'uovo.
10. *Tanta daemonica turbatio, tantus, ut in frequentia passerum, clamor, tantus quasi diabolorum strepitus, ut gossipio, ne obtunderentur, obturare aures necesse esset*: Insomma un tal pandemonio, un tal passeraio, un tal baccano indiavolato, da doversi mettere il cotone negli orecchi, per non rimanere assorditi.
11. *In omnibus foris lintea conspiceres theatridia*: Su tutte le piazze avresti visto dei teatrini di tela.

CAPITULUM TRICESIMUM ALTERUM

1. *Labellum manibus lavandis replevit aqua*: Empì d'acqua la catinella del lavamano.
2. *Imaginem vidit suam miris quidem venustam asininis auribus*: Vide la sua immagine abbellita di un magnifico paio di orecchi asinini.
3. *Quod tristia tibi nuntiare debeo, amice, hoc sane mihi febris est*: Amico mio, mi dispiace doverti dare una cattiva notizia...
4. *Hem! Si Lucinulo forte occurrero, vae illi! Contumeliis innumeris onerabo illum!*: Se incontro Lucignolo, guai a lui! Gliene voglio dire un sacco e una sporta!
5. *Pileum arripuit in quem caput sic ingessit, ut quasi omnino usque infra apicem nasi, in ingluviem infartum appareret*: Prese un berretto grande di cotone, e ficcatoselo in testa se lo ingozzò fin sotto la punta del naso.
6. *Et post innumeras insulsitates demum ex animo effuseque riserunt*: E dopo mille sguaiataggini finirono col dare in una bella risata.

CAPITULUM TRICESIMUM TERTIUM

1. *Deinde, strigili extracta, scite coepit subradere illos*: Poi, tirata fuori la striglia, cominciò a strigliarli per bene.
2. *Tunc capistratos in rerum venalium forum duxit*: Allora mise loro la cavezza e li condusse sulla piazza del mercato.
3. *Ut postea induceret saltantem choreasque agentem una cum ceteris societatis bestiis*: Per ammaestrarlo e per farlo poi saltare e ballare colle altre bestie della compagnia.
4. *Hoc foedum mostellum, cuius, ex ore vultuque lactis et mellis suavitas quaedam prodibat*: Questo brutto mostriciattolo che aveva una fisonomia tutta latte e miele.
5. *Curruloque impositos ideo ducebat Crepundoviam, ut omne tempus tererent inter ludos, strepitus et oblectamenta*: E dopo averli caricati sul suo carro, li conduceva nel paese dei Balocchi, perché passassero tutto il loro tempo in giochi, in chiassate e in divertimenti.
6. *Ex hac palea unam bucceam degustatam respuit*: Assaggiata una boccata la risputò.
7. *Fortasse hoc a me expostules, ut asinum huiusmodi, tui videlicet similem, pectoribus pullorum caponumque insiticiis et juri concreto commixtis nutrire velim?*: Pretenderesti, dunque, che un somaro, par tuo, lo dovessi mantenere a petti di pollo e di cappone in galantina?
8. *Magis magisque irascens iterumque illi ictum flagelli vibrans*: Arrabbiandosi sempre più e affibbiandogli una seconda frustata.
9. *Cum tomacinae segmento suavi*: Con una bella fetta di salame.
10. *Susque deque de patientia mihi est!*: Pazienza un corno!
11. *Trochos te transilire docebo, doliaque ex folio capite tundere, simulque saltare germanica polonaque tripudia cruribus posterioribus innixum*: Ti insegnerò a saltare i cerchi, a rompere col capo le botti di foglio e a ballare il valzer e la polca, stando ritto sulle gambe di dietro.
12. *Nec cathedram unam jam invenires, aut locum unum discretum, aut unum spectaculum etiam si permagno emisses*: Non si trovava più. né una poltrona, né un posto distinto, né un palco nemmeno a pagarlo a peso d'oro.
13. *Mentitionem (*per *mentionem); suberravi (*per *superavi); ferinam (*per

*feritatem); ventosa (*per *vana)*.
14. *Conformavit* (invece di *deformavit*); *carthaginem* (per *cartilaginem*); *medicea* (per *medica*); *dimensionem* (per *dimissionem*); *apotheosi* (per *hypothesi*).
15. *Pedetemptim* (al passo); *tolutim* (al trotto); *incitatissimo gradu* (alla carriera).
16. *Ratus sic, quem dolorem senserat, tum sibi exsiccare posse*: Credendo di rasciugarsi il dolore che aveva sentito.

CAPITULUM: TRICESIMUM QUARTUM

1. *Oculisque ex orbe elapsis*: Con gli occhi fuori dell'orbita.
2. *Ah, improbule carcer! Audesne forte me ludificare?* Ah, mariuolo, pretenderesti forse burlarti di me?
3. *Emptor ille, turbidus fatuusque mente*: Quel buon pasticcione di compratore.
4. *Tam longis auribus tamque longa cauda ...* : Con tanto d'orecchi e con tanto di coda ...
5. *Qui sibi hoc in animum indiderat, me callidum saltationis artificem trochorumque saltatorem efficere*: Il qual si messe in capo di far di me un ballerino e un gran saltatore di cerchi.
6. *Si, uno ex mullis aut asellis frictis aperto*: Se dopo aver aperto una triglia o un nasello.
7. *Pisces cum comedere desissent illud totum asininum tegimen quo indutus fueram*: Quando i pesci ebbero finito di mangiarmi tutta quella buccia asinina che mi copriva dalla testa ai piedi.
8. *Sed post primos morsus avidiores illi pisces senserunt lignum non esse escam suis dentibus*: Ma dati i primi morsi, si accorsero subito che il legno non era ciccia per i loro denti.
9. *Et in mediam aquam desiluit*: Schizzò in mezzo all'acqua.
10. *Identidem crura extra aquam erigebat et exultans persultabat sicut delphinus jocandi studio*: Di tanto in tanto rizzava le gambe fuor dell'acqua e faceva capriole e salti, come un delfino in vena di buon umore.
11. *Aut bifariam, pilarum formis, fucata*: O pallata di due colori.
12. *Cum se ex perturbatione recepisset, ne ipse quidem intelligere poterat quonam in mundo viveret*: Quando ritornò in sé dallo sbigottimento, non sapeva raccapezzarsi, nemmeno lui, in che mondo si fosse.
13. *Ingrata quaedam vox et absurda, veluti fremitus absonae citharae*: Una vociaccia fessa di chitarra scordata.

CAPITULUM TRICESIMUM QUINTUM

1. *Coepit ambulare intra Piscis–Chanes corpus tentabundus*: Cominciò a camminare a tastoni dentro il corpo del Pescecane.
2. *Pergens pedetemptim ad parvam faculam, quam, procul, procul, aspiciebat interrupte lucescentem*: Avviandosi un passo dietro l'altro verso quel piccolo chiarore, che vedeva baluginare lontano lontano.
3. *Sensit pedes perlabi crassum ac lubricumque aquae volutabrum et aquam illam tam acriter piscem frictum redolere*: Sentì che i suoi piedi sguazzavano in una pozzanghera d'acqua grassa e sdrucciolona.
4. *Quasi ex nive factus esset aut ex spuma lactis flagello aucta*: Come se fosse di

neve o di panna montata.
5. *Fugi equidem ut viderem pupulos et neuraspasticus magister in ignem me mittere volebat*: Io scappai a vedere i burattini, e il burattinaio mi voleva mettere sul fuoco.
6. *Ubi sicut lupi helluati sunt*: Dove mangiarono come lupi.
7. *Pulchella vero, caesiis capillis, pilentum quoddam minusculum misit, quo auferrer*: La Bella Bambina, dai capelli turchini, mi mandò a prendere con una carrozzina.
8. *Tunc in pedicam incidi et rusticus jure meritoque millo obstrinxit me*: Rimasi preso dalla tagliola e il contadino di santa ragione mi messe il collare da cane.
9. *Quapropter ad domum Pulchellae redii*: E così ritornai alla casa della bella Bambina.
10. *Et lingua extracta illico me corripuit et ut pastillum Bononiensem absorbuit me*: E tirata fuori la lingua mi prese pari pari e m'inghiottì come un tortellino di Bologna.
11. *Sulphurata ramenta quis praebuit tibi?*: E i fiammiferi chi ve li ha dati?
12. *Peropportune accidit ut navis illa onusta esset carne stamneis capsulis recondita, crustulis, idest pane tosto, lagunculis vino plenis, uva passa, idest exsiccata, caseo*: Per mia gran fortuna quel bastimento era carico di carne conservata in cassette di stagno, di biscotto, ossia di pane abbrustolito, di bottiglie di vino, d'uva secca, di cacio.
13. *Theculisque cum cereis ignescentibus*: Di scatole di fiammiferi di cera.
14. *Hodie in cella penaria nihil est*: Oggi nella dispensa non c'è più nulla.

CAPITULUM TRICESIMUM SEXTUM

1. *Genibus ad terram flexis, tenerrimum osculum ori ipsius applimtit*: Piegandosi coi ginocchi a terra, gli posò un affettuosissimo bacio sulla bocca.
2. *Hoc signo vehementissimi amoris sponte dato*: A questo tratto di spontanea e vivissima tenerezza.
3. *Et Vulpes ipsa, aetate provecta, scabieque omnino laborans et male mulcata unum latus, etiam cauda carebat*: E la Volpe invecchiata, intignata e tutta perduta da una parte, non aveva più nemmeno la coda.
4. *Misera illa furuncula, in maximam egestatem cum cecidisset, aliquando coacta est vel pulcherrimam vendere caudam cuidam circulatori*: Quella triste ladracchiola, caduta nella più squallida miseria, si trovò costretta un bel giorno a vendere la sua bellissima coda a un merciaio ambulante.
5. *Flabellum contra muscas*: Scacciamosche.
6. *Clamavit Vulpes lamentabili voce*: Gridò la Volpe con voce di piagnisteo.
7. *Male parta male dilabuntur*: La farina del diavolo va tutta in crusca.
8. *Valete, oscilla mea, mementote proverbii dicentis: Si quis vestem proximo suo eripuerit, sine indusio solito more morietur*: Addio, mascherine! Ricordatevi del proverbio che dice: «Chi ruba il mantello al prossimo suo, per il solito muore senza camicia».
9. *Vin' te accommodare ad gyrgillum vertendum?*: Vuoi adattarti a girare il bindolo?
10. *Mecum ipse recogito quam pulchra studia obieris*: Figuriamoci i belli studi che devi aver fatto!
11. *Canistra et calathos juncinos*: Canestri e panieri di giunco.
12. *Plostellum quoddam eleganter aedificaverat, quo patrem suum, pulchris

serenisque diebus deambulatum duceret: Costruì da se stesso un elegante carrettino per condurre a spasso il suo babbo alle belle giornate.
13. *Ibo ad vicinas nundinas, ut mihi tuniculam manicatam, pileolum et iugum calceolorum comparem*: Vado al mercato vicino a comprarmi una giacchettina, un berrettino e un paio di scarpe.
14. *Pulchram cellulam supellectile ornatam et simplicitate quadam et elegantia excultam vidit*: Vide una bella camerina ammobiliata e agghindata.
15. *Qui, videlicet, ut pictura ipsi conveniebant*: Che gli tornavano una vera pittura.
16. *Et quanto gaudio afficior nunc, quod perscitus tandem atque festivus factus sum puer! ...* : E come ora son contento di esser diventato un ragazzino per bene!

II.

DIZIONARIO PARTICOLARE DEL «PINOCULUS»

1. **Abecedarius**, *i, sm*. – Abbecedario, sillabario.
2. **Aenea** *musca, ae, sf*. – Nella frase: *Aeneam muscam venari*: giocare a mosca cieca.
3. **Alogia**, *ae, sf*. (Senec. Apokol. 7,1) pl. – Irragionevolezza, mattana, capriccio, e quindi anche grillo, ghiribizzo. Frase: *aliquid alogiarum cerebro secum ipse volvebat*: «aveva qualche grillo per la testa».
4. **Apoculo**, *as, avi, atum, are*. (Petr.) – Rendersi invisibile, svignarsela, togliersi dalla vista.
5. **Apua**, *ae, sf*. – Acciuga. Altra forma: *aphya, ae*. (Cic. Att. IV, 1).
6. **Argillaceus**, *a um. agg*. – Da *argilla* terra biancastra con cui si fanno le stoviglie. La forma *argillaceus* significa: di argilla, e anche luminoso; trasparente.
7. **Arista**, *ae, sf.* – La resta della spiga e nel plurale i peli rigidi ; nel qual secondo senso e usato nella frase: *pellis mea excutit aristas*: «Mi viene i bordoni solo a pensarci».
8. **Armeniacum**, *i, sn*. – (Col. V, 10): Albicocca.
9. **Armifer**, *eri, sm*, e più compiutamente *Arm. a publica tutela* oppure a *publica custodia*. – Carabiniere, gendarme: uomo incaricato dell'ordine pubblico da una pubblica autorità.
10. **Assulae**, *arum, sf. pl.* – Briciole, schegge, e quindi anche trucioli, nel qual senso è usato.
11. **Aureus**, *i, agg.* e anche *sm*. e più compiutamente: *Aureus nummus*: Zecchino.
12. **Barbatus**, *a, um. Canis barbatus*: cane barbone, più pittoresco di *canis aquaticus*.
13. **Bardocipium**, *i, sn*. – Paese di Acchiappacitrulli. Dal latino *bardus*, stupido e dal verbo *capio*, prendo o acchiappo. È neologismo che rispetta la lingua classica.
14. **Brassica**, *ae, sf*. – Il cavolfiore, detto pure *brassica pompeiana*.
15. **Caerulesco**, *is, caerului, escere*. – Diventare turchino. Verbo nuovo, ma secondo l'analogia e lo spirito della lingua classica. Ricorda *nigresco*, *albesco, canesco*.
16. **Caesiocapillus**, *a, um. agg*. – Dai capelli turchini. Modellato su *albicapillus*, classico.
17. **Camelia**, *ae, sf*. – La camelia, flore bello ma senza odore.

18. **Campana**, *ae, sf.* – La campana, echeggia la voce italiana, sebbene non manchino altre voci, ma meno espressive: *aes aeris ; aes aedis sacrac.*
19. **Cancer Ruber**, *ri, sm.* – Il Gambero Rosso: insegna di un'osteria.
20. **Cantillo**, *as, avi, atum, are*. – Canterellare, canticchiare.
21. **Capellula**, *ae, sf.* – Caprettina, diminutivo di capretta, che si dice *capella, ae*.
22. **Capo**, *onis, sm*. – Il cappone. (Marziale Ill, 56). – *Capones farti lentoque igne elixi*: capponi che dopo essere stati cotti a lento fuoco, vengono sminuzzati, tritati e insaccati, (*farti*); e che sono misti a droghe, pistacchi ecc. Invece di *farti* è meglio il termine gastronomico, *insiciati*, (Apicio): *Pulli insiciati, capones insiciati*: ridotti a salsiccia, dal verbo *inseco*. «Petti di pollo e di cappone in galantina».
23. **Carcer**, *eris, sm*. – Mariuolo, malandrino, birbante, usato nelle frasi scherzose.
24. **Cattus**, *i, sm.* – Il gatto. Meglio questa forma, usata anche da Fedro che echeggia il gatto italiano.
25. **Cercolus**, *i, sm.* – Cerino, piccolo cero. Unito ad *ignescens*: che si accende, che arde.
26. **Cernuo**, *as, avi, atum, are*. – Fare il salto col capo all'ingiù, fare il capitombolo, fare il salto mortale. Donde *Cernualia*, feste in cui si facevano dei capitomboli su pelli unte.
27. **Chane**, *es, sf*. – Cane, pesce sconosciuto, il cui nome credo derivi dal verbo greco *Χαίνω spalancare*. Per la misteriosa sua natura e per il significato del nome richiamante una voraginosa apertura di bocca, è stato scelto, in luogo di *piscis canis*.
28. **Chlamys**, *ydis, sf.* – Casacca, o clamide.
29. **Ciccum**, *i, sn*. – Un pochino, una cosa da nulla. Traduce bene, a mio parere, il vocabolo *un zinzino*. Un zinzino di cuore: *ciccum humanitatis*. Nel qual senso figurato e usato da Plauto.
30. **Cicendela**, *ae, sf*. – Lampada con lumicino, e quindi lumicino, da *cici* e *candela*.
31. **Cochlea**, *ae, sf*. – Lumaca col guscio. Il suo diminutivo è *Cochleola*.
32. **Compar**, *aris, agg*. – Compare o compagno. Ha senso più generico che non *sodalis, socius, assecla, amicus. Compar Josephetus*, compar Geppetto.
33. **Corbis**, *is, sm. e sf.* (Ov.) – Cesta, corbello.
34. **Crepundovia**, *ae, sf.* – Paese dei balocchi. Per antifrasi a *Morbovia*. Paese della malora, dei malanni. *Abi Morboviam*: va' alla malora.
35. **Cucania**, *ae, sf.* – Neologismo, usato con adatti aggettivi che meglio ne fanno intuire il significato, è stato derivato da *Cucus*, il cucco. Nel testo latino *cucania* ha tre aspetti: luogo di vita felice e comoda, sistema di vita, durata di codesta vita.
36. **Currax**, *acis, agg*. – Usato col sost. *laqueus*, o *nodus currax*: nodo scorsoio, scorrevole. – Significa anche veloce.
37. **Edolo**, *as, avi, atum, are*. – Lisciare, digrossare con l'ascia. Usato scherzosamente in senso morale: *nunc cito edolabo illud*: Ora lo liscerò io, lo concerò io per le feste, per analogia con la frase: «*fustium ictibus edolari*». Facile il passaggio dal lavoro materiale di digrossamento cui attende Geppetto all'operazione d'altro genere, cioè punitiva.
38. **Equiria**, *ium, sn*. od *orum, sn. pl*. – Corse di cavalli. (Ov. Fast. II, 8, 859).
39. **Exsucus**, *a, um, agg.* – Secco, vuoto, arido, senza sugo: anche in senso

morale. Povero giucco! *O exsucum caput!*
40. **Facesso**, *is, ivi, itum, ere*. – Partire, andar via.
41. **Fartus**, *a, um. partic. pass*. – Ficcato dentro, insaccato, rimpinzato; altresì parlando del capo significa ingozzato: *in ingluviem caput infartum*: anche *infartus* dal v. *infarcio*.
42. **Fatigo**, *as, avi, atum, are*. – Stancare. Frase: *Vultum totum fatigare osculis*: baciare per tutto il volto, coprire alcuno di baci in modo da stancarlo
43. **Fibula**, *ae, sf.* – Bottone, Fermaglio che serve a unire le estremità di una veste fra loro. È unito all'aggettivo *disceus*: che ha forma di disco. (PI. HN. 11, 22).
44. **Fingo**, *is, finxi, fictum, fingere*. – Immaginare, figurarsi. È usato spesso in tali significati.
45. **Gallopavo**, *onis, sm*. – Il tacchino, detto pure *meleagris, idis* e *gallus indicus.*
46. **Gallulurio**, *is, ire*. – Fare il galletto, darsi delle arie da galletto. In senso morale. Attenti quindi alla frase : *Apage, cave coram nobis gallulurias*: «Non venir qui a far tanto il galletto». .
4 7. **Galerus**, *i, sm*. – Berretto peloso. Uso *galerus ex gossipio*, o anche *galerus xylinus*, berretto di cotone.
48. **Gurgustium**, *ii, sn*. – Capanna misera, tugurio. Anche *gurgustiolum*.
49. **Gyrgillus**, *i, sm*. – Il bindolo, quello che serve ad attingere l'acqua, ossia che fa girare i secchi per attingere.
50. **Hamaxostichos**, *i, sm.* – Dalla, voce *hamaxa, ae, sf*. (carro) e *stichos, i, sm*. (fila, serie). Treno, serie di carri.
51. **Ictus**, *us, sm.* – Il colpo, l'urto, e lo uso nella, frase in *ictu oculi*: in un batter d'occhio.
52. **Igniphagus**, *is, sm*. – Mangiafuoco. Neologismo. Il burattinaio o meglio marionettista, perché i suoi burattini camminano. È detto *pupulorum magister, neurospasticus magister, neurospastorum magister*, a seconda della frase, e per varieta. Nome ibrido, efficace a mio parere; che esprime e richiama la natura del burattinaio.
53. **Imbrex**, *icis, sm*. e *sf*. Il significato fondamentale di questa voce è quello di: embrice, tegola. Si usa poi in senso traslato ad indicare il cavo della mano per applaudire. (Suet. Ner. 20) – Fare una smanacciata di applausi: *manuum imbricibus applaudere*.
54. **Indusium**, *ii, sn*. La camicia. Si trova pure *camisia*, *ae* e *subucula*: veste interna sotto la tonaca, sotto la giacca, diremmo noi.
55. **Josephetus**, *i.* – Geppetto, più vicino alla forma latina e all'italiana per il suono.
56. **Labasco**, *is, ere*. – Vacillare, traballare, piegarsi, anche in senso morale: «ciurlare nel manico».
57. **Lampyris**, *idis, sf*. Lucciola. – È usato anche il diminutivo *Lampyridiuncula*.
58. **Lucinulus**, *i, sm*. – Lucignolo, compagno di Pinocchio il cui nome è venuto dalla somiglianza del suo personalino esile e trasparente con il lucignolo (*linamentum*) di un lumino. In latino esiste il nome proprio *Lucinulus*, che in certo qual modo richiama la luce e quindi il lucignolo.
59. **Ludus**, *i, sm*. – Scuola elementare. Uso pure *schola. Ludi magister*: maestro di scuola.
60. **Magister**, *ri, sm*. Unito a *pupulorum*, dà burattinaio, come *asinorum magister* ci dà asinaio e *pecoris magister*, pecoraio (V. G. Ill, 145). Indica chi

ammaestra, chi dirige e chi ammaestra. Lo chiamo anche *magister neurospasticus*: chi si esercita nell'arte di muovere i *neurospasta*, fantocci, marionette.
61. **Melisurgia**, *ae, sf.* – Nome immaginario, accennando alle attività delle api: *insula Melisurgia*: isola delle api industriose.
62. **Millus**, *i, sm*. – Il collare a punte del cane.
63. **Minutal**, *alis, sn*. – Cibreo, manicaretto. *Minutal delicatum*: cibreino.
64. **Mustela**, *ae, sf*. – Donnola e faina. Meglio però *foina mustela*.
65. **Mystaces**, *um, sn*. – Termine greco per dire i baffi.
66. **Neurospastum**, *i*, e *neurospaston, i, sn.* – Ciò che è mosso da nervi o da fili. Marionetta e, per estensione, burattino. Uso la locuzione *magister neurospastorum*: per il burattinaio.
67. **Nummulus**, *i, sm*. – Moneta da poco, un soldo, moneta spicciola. Sinonimi: *teruncius, as*.
68. **Obsono**, *as, are*. – Stuzzicare, eccitare, in unione con *famem*.
69. **Offa** *globosa ac fistulosa* (bucherellata dentro) *Mediolanensium*. Il panettone.
70. **Oscillum**, *i, sn*. – Mascherina, di *os, oris*, faccia, volto. Frase: *Valete, oscilla!* Addio, mascherine!
71. **Palea**, *ae, sf.* – Paglia.
72. **Paleae**, *arum, sf. pl*. – I bargigli.
73. **Papilio**, *onis, sm*. – La farfalla.
74. **Pastillus**, *i,sm*. – Tortellino. *Pastilli Bononienses*: tortellini di Bologna.
75. **Perscitus**, *a, um, agg.* – Gentile, fine, bene educato. Significa unito a puer: ragazzo per bene.
76. **Persona**, *ae, sf.* – Maschera, anche in senso morale. Lo uso per significare mascherone: ornamento architettonico.
77. **Perula**, *ae, sf*. – Tasca, bisaccia. Tasche vuote di monete. Senza il becco di un quattrino: *Perulae inanes nummorum*.
78. **Pilentum**, *i. sn*. – Carrozza imbottita. *Minusculum pilentum*: carrozzina imbottita.
79. **Pinoculus**, *i, sm*. – Personaggio fantastico, nome assegnato a un burattino. Per omofonia viene latinizzato il nome Pinocchio. Ne derivano anche i nomi *Pinocula* e *Pinoculi*.
80. **Plostellum**, *i, sn*. – Carrettino.
81. **Polenta**, *ae, sf.* – La polenta: intriso di farina cotto; la polenta di granturco : *polenta e zea confecta*. *Polentilla*: diminutivo di polenta per dire polendina.
82. **Psila**, *ae, sf*. – Velluto, drappo da una parte peloso e dall'altra raso. (dal greco agg. Ψιλὀς: raso, lisciato; sost. Ψιλή). Usato da *Lucilio* (Apud. Non. XIV, 24).
83. **Psittacus**, *i, sm*. – Il pappagallo.
84. **Puella**, *ae, sf*. – Fanciulla. Bambina. *Puellus* : fanciulletto. *Puellula*: fanciulletta. Si dirà *Puellula caesiocapilla*, oppure *caesiis capillis*. La bambina dai capelli turchini.
85. **Puer**, *eri, sm*. – Ragazzo, fanciullo, unito a *perscitus*, ragazzo per bene; unito a *festivus*: ragazzo di cuore, sensibile, piacevole.
86. **Pueraster**, *ri, sm*. – Ragazzaccio.
87. **Pulchella**, e *pulcella, agg*. e *sf.* – La bella bambina. *Pulchella caesiis capillis* e anche *Pulchella caesiocapilla*.
88. **Pullicenus**, *i, sm*. – Il pulcino veramente dell'uovo di gallina. Dato che si

tratta di un pulcino tutto particolare; anzi del pulcino che sfugge dall'uovo in un momento critico per il burattino, volando via sul più bello, tengo la voce *Pullicenus*, meno classica, ma più pittoresca ed evocativa. In altro luogo uso *pullus gallinaceus*.
89. **Pyroballistula**, *ae, sf.* Rivoltella, piccolo schioppo, pistola.
90. **Quirito**, *as, avi, atum, are* e *Quiritor, aris*. – Chiamare aiuto gridando, gridare aiuto.
91. **Ramentum**, *i, sn.* nella locuzione *Ramentum ligni*: truciolo, e qualunque altra raschiatura.
92. **Runcino**, *as, avi, atum, are*: piallare. – *Runcina*: pialla.
93. **Sandapila**, *ae, sf*. – La bara, il feretro, il cataletto. (Mart. II, 81; VII, 75; IX, 3; Svet. Domit. ad fin.).
94. **Sartago**, *inis, sf*. Tegame. – *Sartago minuscula*: tegamino.
95. **Scitulus**, *a, um, agg.* – Bellino, elegante, grazioso.
96. **Sclopetum**, *i, sn*. – Schioppo, fucile.
97. **Scriblita**, *ae, sf*. Torta. Detta così perché disegnata, o anche *striblita*, per la sua rotondità.
98. **Sculponeae**, *arum, sf*. – Zoccoli da contadino, scolpiti nel legno.
99. **Somniculus**, *i, sm*. – Sonnellino. *Somniculum dormitare*: stiacciare un sonnellino.
100 **Sospita**, *ae, sf.* – La fata. Dal latino. Protettrice, liberatrice, salvatrice.
101. **Spectaculum**, *i, sn*. – Usato per tribuna, palco di teatro.
102. **Stibadium**, *ii, sn*. – Sofà. *In stibadio stratum se vidit*: si trovò disteso sopra un sofà.
103. **Subcanesco**, *is, ere*. – Diventare bianco quasi, esser quindi di un chiaro grigio, o di un grigiolino chiaro.
104. **Subnigresco**, *is, ere*. – Essere nereggiante, quindi brizzolato di nero.
105. **Susque deque** – Usato nella frase: *De patientia susque deque*: Pazienza un corno!
106. **Tabernaculum**, *i, sn*. – Baraccone. Padiglione. Baraccone dei burattini.
107. **Tormentum**, *i, sn*. – *Bellicum tormentum*. Cannone. *Fragor bellici tormenti*: una cannonata.
108. **Tricorniger**, *a, um, agg*. – Che ha tre corni: tre punte. *Pileolus tricorniger*: berretto a tre punte.
109. **Trochus**, *sm.* – Cerchio o ruota di ferro che lanciavasi per giuoco dai ragazzi. Significa pure trottola, paleo.
110. **Vibex**, *icis, sf.* – Lividura. *Perfricans sibi lividam vibicem*: stropicciandosi il livido.
111. **Zea** *mais, sf.* – Il granturco. Un grano di granturco: *granum zeae*.


PIERINO-PORCOSPINO
Der Struwwelpeter
ovvero
allegre storielle e buffi disegni
per bambini dai 3 ai 6 anni
del
Dott. Heinrich Hoffmann

Dr. Heinrich Hoffmann

Der Struwwelpeter

Lateinische Nachdichtung
von Peter Wiesmann

Nachwort von
Walter Sauer

Philipp Reclam jun. Stuttgart

Der lateinische Text folgt der Ausgabe:
Petrus Hirsutus vel fabulae iocosae lepidis imagunculis auctae secundum editionem primam denuo ab Alfredo Kobel delineatis ex inventione Doctoris Henrici Hoffmann in sermonem Latinum conversae ab Petro Wiesmann. St. Gallen: Tschudy, 1954.

UNIVERSAL-BIBLIOTHEK Nr. 9355

Gesamtherstellung: Reclam, Ditzingen. Printed in Germany 2007

ISBN 978-3-15-009355-9

www.reclam.de

Petrus Hirsutus
vel
fabulae iocosae
lepidis imagunculis
auctae

Praefatio

Favet liberis modestis
angelus diebus festis.
Iure si probi fruentur,
panem non obliviscentur,
si tranquilli residebunt,
cum deliciis manebunt,
matri manum offerent,
cum in viis ambulent,
librum afferet amatum
imagunculis ornatum.



De Petro hirsuto

Hic est constitutus
Petrus, phui, hirsutus.
Semper erat idem:
Ne quotannis quidem
ungues recidebat
crines nec pectebat.
»Phui«, vocamus, »tetrum
hunc hirsutum Petrum!«



De Frederico maligno fabula

Eheu, nefarius ac scelestus
fuit Fredericus et funestus.
In muris muscas capiebat
eisque alas eripiebat.
Necabat sellas atque aves
et magna felium erat clades.
Quin Margaretam oppugnabat
nec non sororem flagellabat.




Ad fontem quondam stat immanis
hauritque aquam lingua canis.
Tum Fredericus clam accessit,
in manibus flagellum gessit.
Canem ferit, etsi latrabat,
et magis iterum calcabat.
At canis crus corripuit
et cruor alte micuit
et Frederici pessimi
clamores sunt clarissimi.
Canis domum revertebatur,
in ore flagrum ferebatur.



Recondunt puerum in
lectum
magnis doloribus affectum.
Cubili medicus adstabat,
amarum medicamen dabat.

In sella canis residebat
et libum eius comedebat
hepaticumque botulum,
bibebat vini poculum.
Flagellum secum afferebat
et diligenter custodiebat.



De flammiferis fabula tristissima

Paulina domi parentibus
relicta est absentibus.
Cum per conclave autem iret
et cantu hilari saliret,
conspexit illa misera
in mensula flammifera.
»Pol«, inquit, »istae virgulae
mihi erunt deliciae!
Unam incendere conabor
et matrem meam imitabor.«

Affectae autem magna cura
tollebant feles sua crura,
sublatis pedibus monebant:
»Vetabat pater«, vagiebant,
»interitum tibi parabis!
Ne moveas! Nam deflagrabis!«

Paulina aures non praebebat.
Lignum clarissime fulgebat.
Nam crepat flamma tremula:
Vides in imaguncula.
Saltabat cum laetitia
illuc et huc per atria.

Affectae autem magna cura
tollebant feles sua crura,
sublatis pedibus monebant:
»Vetabat mater«, vagiebant,
»interitum tibi parabis!
Abicias! Nam deflagrabis!«



Vae! Flamma tunicam capessit
et praecinctorium ardescit,
manus, crinis exuritur,
puella quin corripitur!

Amborum felium vagitus
est miserabilis auditus:
»Quis opem fert celeriter?
Deflagrat nunc crudeliter!
Venite huic auxilio,
nam deflagrat incendio!«

Paulinam flamma usserat,
puellae nil supererat
acervus nisi cineris
cum rubris soleis pauperis.

Sed parvae feles adsidebant
ac eiulantes ambo flebant:
»Ubi terrarum« vagientes,
»estis miserrimi parentes?«
Earum lacrimae fluunt,
ut rivuli in pratis sunt.



De pueris denigratis fabula

It ante portam ambulatum
nigerrimus caput atratum.
Quod sole eius frons torretur,
umbella calor amovetur.
Heus, Ludovicum, ecce illum!
in manu tenet is vexillum.
Casparus accurrit cum spira
et is celeritate mira.
Delectat trochus nobilem
Gulielmum haud immobilem.
Hi omnes tres rident clamantes
praetereuntem adspectantes,
os illudebant illius,
quod atramento nigrius.



Advenit nunc in hoc momento
Nicolaus cum atramento.
»O pueri«, dixit, »pareatis,
hunc Maurum ne irrideatis!
Ne afficiatis hunc dolore,
quod non eodem est colore!«
At pueri non oboedientes
pudorem nullum sentientes
maiore gaudio ridebant,
quod nigrum parvulum videbant.



Nicolaus furore victus
in hac imagine est pictus:
Corripiebat tunc malignos
gravissimaque poena dignos
et Ludovicum et Casparum,
Gulielmum quoque haud ignarum.
Quin etiam mergit delinquentes
in cupam valde resistentes.
In atramento universi
sunt mali pueri submersi.



Videre licet irrisores
hic aliquanto nigriores.
Sol fulget capiti atrati,
eum sequuntur denigrati;
et nisi Maurum irrisissent,
hanc poenam gravem vitavissent.



De saevo venatore fabula


Venator saevus et astutus
et vestem viridem indutus
peram et arma tum captavit
et perspicillum applicavit
ad nasum, campum invasurus
necem lepusculo laturus.

Lepus in foliis sedebat,
inopinantem irridebat.

Quod sol fervebat ista hora,
fiebant arma graviora.
In herbis ergo recumbebat,
id quod lepusculus videbat.
Venator stertit dormiens,
cum lepus clam progrediens
et arma haec cum perspicillo
corripit et fugit tranquillo.




Quo perspicillo oculi
muniti sunt lepusculi.
Tum armis eum appetebat,
venator autem timescebat,
effugit clamans: »Obsecro!
Succurrite mi misero!«



Venator summa vi currebat,
in puteum se proiciebat.
Nam summum fuit periculum:
Lepus emisit iaculum.

Sed post fenestram, en eam!
Est coniux sorbens coffeam.
Quo ictu autem testa fracta
»Vae« clamat uxor timefacta.
Ad fontem sedet illius
lepusculi clam filius.
Erat in foliis submersus
ac nasus coffea adspersus.
»Quis est«, exclamat, »qui me urit?«
Et cochleari valde furit.



De puero, qui pollices sugebat, fabula


»Tu, Conrade, mi parebis,
me absente remanebis!«
dixit mater, »dum sum foris,
opto, sis modesti moris.
Audi tu, Conrade, imprimis:
pollices ne sugas nimis!
Nam cum forfice venturum
pollicesque resecturum
vestificum, ut papyrum,
tibi dico, – non est mirum!«

Mater clausit ianuam,
denuo puer sugit iam!



Subito recluditur
porta et conspicitur
vestificus intraturus
pupulumque aggressurus.
Resecabat forfice
digitos horrifice
pueri, qui trepidabat
misereque eiulabat.

Videt mater, cum redit,
interim quid gestum sit.
Heu, Conradus mutilatus
stat pollicibus privatus.




De Casparo, qui iusculum edere nolebat, fabula

Casparus puer validus
fuit crassus neque pallidus,
rubebant valde eius genae,
intererat modeste cenae.
Sed quondam exclamat: »Non cedo!
Hoc malum iusculum non edo!
Non edo meum iusculum!
Non edo ullum frustulum!«

Postridie eius diei
adspectus macrior est ei:
Tum clamat iterum: »Non cedo!
Hoc malum iusculum non edo!
Non edo meum iusculum!
Non edo ullum frustulum!«


Sed tertio die corpus eius
debilius fit atque peius.
At ubi cibi apponuntur,
clamores eius audiuntur,
quos tollit denuo: »Non cedo!
Hoc malum iusculum non edo!
Non edo meum iusculum!
Non edo ullum frustulum!«

Et quarto die fuit nilum
Casparus autem nisi filum.
Semuncialis tunc fuit
et quinto mortem obiit.



De Philippo oscillante fabula

»Nonne placidus sedebit
hodie filius, ut decebit?«
Sic Philippo ait in cena
pater voce haud serena.
Mater vultum non deflexit,
muta mensam circumspexit.
Puer autem neglegebat
verba, quae parens dicebat.
Crura movet trepidans,
sedet in sella oscillans
huc, illuc. »Videlicet!
Mi Philippe, displicet!«



Adspiciatis immodestum,
quidnam postea sit gestum.
Est depictus: Insolenter
oscillat, quam vehementer!
Sic, ut sella delabatur.
Non est, quo retineatur.
Arripit mantelium.
Nusquam est auxilium.
Cadunt panis et catilla,
pater frustra tenet illa.
Mater vultum non deflexit,
muta mensam circumspexit.




Mensa tum detegitur,
filius obruitur.
Cibus, quem parens edebat,
humi autem decidebat,
frusta, vinum, panis, ius
evertuntur funditus.
Humi patina est fracta,
cena subito peracta.
Parentesque stant irati,
cibis enim sunt privati.



De Iohanne, qui in aerem spectabat, fabula

Iohannes, cum in ludum ibat,
attentus esse tum nequibat
ad nubes mentem dirigens,
hirundines conspiciens.
Quod pedibus eius subiacebat,
id puerum autem fugiebat,
ut luderent inopinantem
Iohannem aerem adspectantem.

Cum quondam oculos tollebat,
repente canis accurrebat.
Non erat quisquam, qui moneret,
prudenter canem ut caveret.
Fiebat, ut congrederentur,
canis puerque laberentur.



Ibat secundum ripulam,
in manu tenet capsulam.
Dum sursum tollit oculos
hirundinum in circulos,
medium in fluvii gurgitem
tulit pedem praecipitem.
    Ac ordinatim pisces tres
    admirabantur istas res.


Heus! Unum gradum addidit,
in fluvium cum incidit.
    Sed pisces tres perterriti
    in imum sunt reconditi.




Quod duo viri advenerunt,
qui casu procul haud fuerunt,
Iohannes contis erat captus,
in terram iterum retractus.

En! Madefactum videatis!
Mehercle, risum teneatis!
Demanat aqua crinibus
in faciem, ex vestibus,
de bracchiis. Puer friget,
illius omnes miseret.

Sed pisces tres communiter
adnatant nunc celeriter,
ex aquis caput porrigebant
magnaque voce irridebant.
Rident diutissime vi tota
capsa longissime remota.





De Roberto, qui per aerem volabat, fabula

Dum pluit cum strepitu,
ager sonat fremitu,
domi manent pueri
cum puellis integri.
Quod Roberto displicebat,
domum suam relinquebat
atque per diluvia
it cum parapluvia.

Stridet saeviens tempestas,
flectit arbores funestas.
Vide parapluviam:
Ventus tollit etiam,
en, Robertum avolantem!
Nemo audit inclamantem.
Nubes ille attingebat
causiamque amittebat.

Tum per nubes vehitur,
puerum praegreditur
capitisque tegimentum.
Ille tangit firmamentum.
Quo hos ventus tulerit,
nullus homo dixerit!







Anhang

Der Struwwelpeter
oder
Lustige Geschichten
und drollige Bilder

Vorspruch

Wenn die Kinder artig sind,
Kommt zu ihnen das Christkind;
Wenn sie ihre Suppe essen
Und das Brot auch nicht vergessen,
Wenn sie, ohne Lärm zu machen,
Still sind bei den Siebensachen,
Beim Spazierengehn auf den Gassen
Von Mama sich führen lassen,
Bringt es ihnen Gut's genug
Und ein schönes Bilderbuch.

[Der Struwwelpeter]

Sieh einmal, hier steht er,
Pfui! der Struwwelpeter!
An den Händen beiden
Ließ er sich nicht schneiden
Seine Nägel fast ein Jahr;
Kämmen ließ er nicht sein Haar.
Pfui! ruft da ein jeder:
Garstger Struwwelpeter!

Die Geschichte vom bösen Friederich

Der Friederich, der Friederich,
Das war ein arger Wüterich!
Er fing die Fliegen in dem Haus
Und riß ihnen die Flügel aus.
Er schlug die Stühl' und Vögel tot,
Die Katzen litten große Not.
Und höre nur, wie bös er war:
Er peitschte seine Gretchen gar!

Am Brunnen stand ein großer Hund,
Trank Wasser dort mit seinem Mund.
Da mit der Peitsch' herzu sich schlich
Der bitterböse Friederich;
Und schlug den Hund, der heulte sehr,
Und trat und schlug ihn immer mehr.
Da biß der Hund ihn in das Bein,
Recht tief bis in das Blut hinein.
Der bitterböse Friederich,
Der schrie und weinte bitterlich. –
Jedoch nach Hause lief der Hund
Und trug die Peitsche in dem Mund.

Ins Bett muß Friedrich nun hinein,
Litt vielen Schmerz an seinem Bein;
Und der Herr Doktor sitzt dabei
Und gibt ihm bittre Arzenei.

Der Hund an Friedrichs Tischchen saß,
Wo er den großen Kuchen aß;
Aß auch die gute Leberwurst
Und trank den Wein für seinen Durst.
Die Peitsche hat er mitgebracht
Und nimmt sie sorglich sehr in acht.

Die gar traurige Geschichte mit dem Feuerzeug

Paulinchen war allein zu Haus,
Die Eltern waren beide aus.
Als sie nun durch das Zimmer sprang
Mit leichtem Mut und Sing und Sang,
Da sah sie plötzlich vor sich stehn
Ein Feuerzeug, nett anzusehn.
»Ei«, sprach sie, »ei, wie schön und fein!
Das muß ein trefflich Spielzeug sein.
Ich zünde mir ein Hölzchen an,
Wie's oft die Mutter hat getan.«

Und Minz und Maunz, die Katzen,
Erheben ihre Tatzen.
Sie drohen mit den Pfoten:
»Der Vater hat's verboten!
Miau! Mio! Miau! Mio!
Laß stehn! Sonst brennst du lichterloh!«

Paulinchen hört die Katzen nicht!
Das Hölzchen brennt gar hell und licht,
Das flackert lustig, knistert laut,
Grad wie ihr's auf dem Bilde schaut.
Paulinchen aber freut sich sehr
Und sprang im Zimmer hin und her.

Doch Minz und Maunz, die Katzen,
Erheben ihre Tatzen.
Sie drohen mit den Pfoten:
»Die Mutter hat's verboten!
Miau! Mio! Miau! Mio!
Wirf's weg! Sonst brennst du lichterloh!«

Doch, weh! die Flamme faßt das Kleid,
Die Schürze brennt; es leuchtet weit.
Es brennt die Hand, es brennt das Haar,
Es brennt das ganze Kind sogar.

Und Minz und Maunz, die schreien
Gar jämmerlich zu zweien:
»Herbei! Herbei! Wer hilft geschwind?
In Feuer steht das ganze Kind!
Miau! Mio! Miau! Mio!
Zu Hilf! das Kind brennt lichterloh!«

Verbrannt ist alles ganz und gar,
Das arme Kind mit Haut und Haar;
Ein Häuflein Asche blieb allein,
Und beide Schuh, so hübsch und fein.

Und Minz und Maunz, die kleinen,
Die sitzen da und weinen:
»Miau! Mio! Miau! Mio!
Wo sind die armen Eltern? Wo?«
Und ihre Tränen fließen
Wie's Bächlein auf den Wiesen.

Die Geschichte von den schwarzen Buben

Es ging spazieren vor dem Tor
Ein kohlpechrabenschwarzer Mohr.
Die Sonne schien ihm aufs Gehirn,
Da nahm er seinen Sonnenschirm.
Da kam der Ludwig hergerannt
Und trug sein Fähnchen in der Hand.
Der Kaspar kam mit schnellem Schritt
Und brachte seine Brezel mit;
Und auch der Wilhelm war nicht steif
Und brachte seinen runden Reif.
Die schrien und lachten alle drei,
Als dort das Mohrchen ging vorbei,
Weil es so schwarz wie Tinte sei!

Da kam der große Nikolas
Mit seinem großen Tintenfaß.
Der sprach: »Ihr Kinder, hört mir zu,
Und laßt den Mohren hübsch in Ruh!
Was kann denn dieser Mohr dafür,
Daß er so weiß nicht ist wie ihr?« –

Die Buben aber folgten nicht
Und lachten ihm ins Angesicht
Und lachten ärger als zuvor
Über den armen schwarzen Mohr.

Der Niklas wurde bös und wild, –
Du siehst es hier auf diesem Bild!
Er packte gleich die Buben fest,
Beim Arm, beim Kopf, bei Rock und West',
Den Wilhelm und den Ludewig,
Den Kaspar auch, der wehrte sich.
Er tunkt sie in die Tinte tief,
Wie auch der Kaspar: »Feuer!« rief.
Bis übern Kopf ins Tintenfaß
Tunkt sie der große Nikolas.

Du siehst sie hier, wie schwarz sie sind,
Viel schwärzer als das Mohrenkind!
Der Mohr voraus im Sonnenschein,
Die Tintenbuben hintendrein;
Und hätten sie nicht so gelacht,
Hätt' Niklas sie nicht schwarz gemacht.

Die Geschichte vom wilden Jäger

Es zog der wilde Jägersmann
Sein grasgrün neues Röcklein an;
Nahm Ranzen, Pulverhorn und Flint',
Und lief hinaus ins Feld geschwind.

Er trug die Brille auf der Nas',
Und wollte schießen tot den Has.

Das Häschen sitzt im Blätterhaus,
Und lacht den blinden Jäger aus.

Jetzt schien die Sonne gar zu sehr,
Da ward ihm sein Gewehr zu schwer.
Er legte sich ins grüne Gras;
Das alles sah der kleine Has.
Und als der Jäger schnarcht' und schlief,
Der Has ganz heimlich zu ihm lief,
Und nahm die Flint' und auch die Brill',
Und schlich davon ganz leis und still.

Die Brille hat das Häschen jetzt
Sich selbst auf seine Nas' gesetzt;
Und schießen will's aus dem Gewehr.
Der Jäger aber fürcht' sich sehr.
Er läuft davon und springt und schreit:
»Zu Hilf, ihr Leut! Zu Hilf, ihr Leut!«

Da kommt der wilde Jägersmann
Zuletzt beim tiefen Brünnchen an.
Er springt hinein. Die Not war groß;
Es schießt der Has die Flinte los.

Des Jägers Frau am Fenster saß
Und trank aus ihrer Kaffeetaß.
Die schoß das Häschen ganz entzwei;
Da rief die Frau: »O wei! O wei!«
Doch bei dem Brünnchen heimlich saß

Des Häschens Kind, der kleine Has.
Der hockte da im grünen Gras;
Dem floß der Kaffee auf die Nas'.
Er schrie: »Wer hat mich da verbrannt?«
Und hielt den Löffel in der Hand.

Die Geschichte vom Daumenlutscher

»Konrad!« sprach die Frau Mama,
»Ich geh aus und du bleibst da.
Sei hübsch ordentlich und fromm,
Bis nach Haus ich wieder komm.
Und vor allem, Konrad, hör!
Lutsche nicht am Daumen mehr;
Denn der Schneider mit der Scher'
Kommt sonst ganz geschwind daher,
Und die Daumen schneidet er
Ab, als ob Papier es wär.«

Fort geht nun die Mutter, und
Wupp! den Daumen in den Mund.

Bautz! da geht die Türe auf
Und herein in schnellem Lauf
Springt der Schneider in die Stub'
Zu dem Daumen-Lutscher-Bub.
Weh! Jetzt geht es klipp und klapp
Mit der Scher' die Daumen ab,
Mit der großen scharfen Scher'!
Hei! Da schreit der Konrad sehr.

Als die Mutter kommt nach Haus,
Sieht der Konrad traurig aus.
Ohne Daumen steht er dort,
Die sind alle beide fort.

Die Geschichte vom Suppen-Kaspar

Der Kaspar, der war kerngesund,
Ein dicker Bub und kugelrund,
Er hatte Backen rot und frisch;
Die Suppe aß er hübsch bei Tisch.
Doch einmal fing er an zu schrein:
»Ich esse keine Suppe! Nein!
Ich esse meine Suppe nicht!
Nein, meine Suppe eß ich nicht!«

Am nächsten Tag – ja sieh nur her!
Da war er schon viel magerer.
Da fing er wieder an zu schrein:
»Ich esse keine Suppe! Nein!
Ich esse meine Suppe nicht!
Nein, meine Suppe eß ich nicht!«

Am dritten Tag, o weh und ach!
Wie ist der Kaspar dünn und schwach!
Doch als die Suppe kam herein,
Gleich fing er wieder an zu schrein:
»Ich esse keine Suppe! Nein!
Ich esse meine Suppe nicht!
Nein, meine Suppe eß ich nicht!«

Am vierten Tage endlich gar
Der Kaspar wie ein Fädchen war.
Er wog vielleicht ein halbes Lot –
Und war am fünften Tage tot.

Die Geschichte vom Zappel-Philipp

»Ob der Philipp heute still
Wohl bei Tische sitzen will?«
Also sprach in ernstem Ton
Der Papa zu seinem Sohn,
Und die Mutter blickte stumm
Auf dem ganzen Tisch herum.
Doch der Philipp hörte nicht,
Was zu ihm der Vater spricht.
    Er gaukelt
    Und schaukelt,
    Er trappelt
    Und zappelt
Auf dem Stuhle hin und her.
»Philipp, das mißfällt mir sehr!«

Seht, ihr lieben Kinder, seht,
Wie's dem Philipp weiter geht!
Oben steht es auf dem Bild.
Seht! Er schaukelt gar zu wild,
Bis der Stuhl nach hinten fällt;
Da ist nichts mehr, was ihn hält;
Nach dem Tischtuch greift er, schreit.
Doch was hilft's? Zu gleicher Zeit

Fallen Teller, Flasch' und Brot,
Vater ist in großer Not,
Und die Mutter blicket stumm
Auf dem ganzen Tisch herum.

Nun ist Philipp ganz versteckt,
Und der Tisch ist abgedeckt.
Was der Vater essen wollt',
Unten auf der Erde rollt;
Suppe, Brot und alle Bissen,
Alles ist herabgerissen;
Suppenschüssel ist entzwei,
Und die Eltern stehn dabei.
Beide sind gar zornig sehr,
Haben nichts zu essen mehr.

Die Geschichte vom Hans Guck-in-die-Luft

Wenn der Hans zur Schule ging,
Stets sein Blick am Himmel hing.
Nach den Dächern, Wolken, Schwalben
Schaut er aufwärts, allenthalben:
Vor die eignen Füße dicht,
Ja, da sah der Bursche nicht,
Also daß ein jeder ruft:
»Seht den Hans Guck-in-die-Luft!«

Kam ein Hund dahergerannt;
Hänslein blickte unverwandt
In die Luft.

Niemand ruft:
»Hans! gib acht, der Hund ist nah!«
Was geschah?
Pauz! Perdauz! – da liegen zwei!
Hund und Hänschen nebenbei.

Einst ging er an Ufers Rand
Mit der Mappe in der Hand.
Nach dem blauen Himmel hoch
Sah er, wo die Schwalbe flog,
Also daß er kerzengrad
Immer mehr zum Flusse trat.
    Und die Fischlein in der Reih
    Sind erstaunt sehr, alle drei.

Noch ein Schritt! und plumps! der Hans
Stürzt hinab kopfüber ganz! –
    Die drei Fischlein sehr erschreckt
    Haben sich sogleich versteckt.

Doch zum Glück da kommen zwei
Männer aus der Näh herbei,
Und sie haben ihn mit Stangen
Aus dem Wasser aufgefangen.

Seht! Nun steht er triefend naß!
Ei! das ist ein schlechter Spaß!
Wasser läuft dem armen Wicht
Aus den Haaren ins Gesicht,
Aus den Kleidern, von den Armen;
Und es friert ihn zum Erbarmen.

Doch die Fischlein alle drei
Schwimmen hurtig gleich herbei;
Strecken 's Köpflein aus der Flut,
Lachen, daß man's hören tut,
Lachen fort noch lange Zeit;
Und die Mappe schwimmt schon weit.

Die Geschichte vom fliegenden Robert

Wenn der Regen niederbraust,
Wenn der Sturm das Feld durchsaust,
Bleiben Mädchen oder Buben
Hübsch daheim in ihren Stuben. –
Robert aber dachte: ›Nein!
Das muß draußen herrlich sein!‹ –
Und im Felde patschet er
Mit dem Regenschirm umher.

Hui, wie pfeift der Sturm und keucht,
Daß der Baum sich niederbeugt!
Seht! den Schirm erfaßt der Wind,
Und der Robert fliegt geschwind
Durch die Luft so hoch, so weit;
Niemand hört ihn, wenn er schreit.
An die Wolken stößt er schon,
Und der Hut fliegt auch davon.

Schirm und Robert fliegen dort
Durch die Wolken immer fort.
Und der Hut fliegt weit voran,
Stößt zuletzt am Himmel an.
Wo der Wind sie hingetragen,
Ja! das weiß kein Mensch zu sagen.

Zu dieser Ausgabe

Der *Struwwelpeter* ist sicher kein Höhepunkt der deutschen Dichtung, seine Illustrationen sind dilettantisch, und der Inhalt mancher Geschichten dürfte – wenigstens aus heutiger Sicht – nicht eben der pädagogischen Weisheit letzter Schluß sein. All dies hat dem beispiellosen Erfolg des Kinderbilderbuches nicht geschadet. Es hat alle Moden der Kinderliteratur, Pädagogik und Ideologie überstanden und kann für sich beanspruchen, das älteste regelmäßig verlegte Kinderbuch der Welt zu sein. Allein seine deutsche Originalfassung hat es inzwischen auf über 30 Millionen Exemplare gebracht. Schließlich zeigen die vielen Dutzende von Übersetzungen in annähernd 60 verschiedene Sprachen und Dialekte die beachtliche weltweite Rezeption des Buches.
Entstanden ist der *Struwwelpeter* als Gelegenheitswerk in einem Frankfurter Bürgerhaus der Biedermeierzeit. Der Schöpfer der »Lustigen Geschichten und drolligen Bilder für Kinder von 3–6 Jahren«, der Arzt Dr. Heinrich Hoffmann, hatte in der Adventszeit des Jahres 1844 vergeblich nach einem passenden Bilderbuch für seinen Dreijährigen gesucht und sich schließlich dazu entschlossen, selbst, wie er später sagte, ein »Bilderbüchler« zu werden. Er zeichnete und schrieb die gereimten Bildergeschichten in ein leeres Schreibheft und legte es seinem Sohn auf den weihnachtlichen Gabentisch. Im darauffolgenden Jahr bekam ein mit Hoffmann befreundeter Verleger das Weihnachtsgeschenk zu Gesicht und überredete ihn, es drucken zu lassen. Seither geistert das »Struwwel- und Nagelkind« – so der ursprüngliche Name des Struwwelpeter – mitsamt den anderen

lustigen, unbotsamen (oder bedauernswerten) Gesellen durch die Kinderstuben.
Unter den zahlreichen fremdsprachigen Fassungen des *Struwwelpeter* nehmen die lateinischen eine gewisse Sonderstellung ein. Sie wenden sich ganz offensichtlich nicht an »Kinder von 3–6 Jahren«, sondern stellen eher einen Philologenspaß dar, geboren und genährt aus der Freude an der lateinischen Sprache und am Sprachspiel, der – wie einer der Übersetzer scherzhaft formulierte – »auf die lateinbegeisterte und lateingeplagte Menschheit losgelassen« wird (Bornemann 1956). Auch der Verfasser der hier vorgelegten Übersetzung verstand seine gelungene Version als einen ausgesprochenen »Ulk«.
Peter Wiesmann war Altphilologe mit Leib und Seele. Er wurde im Jahre 1904 in Herisau (Schweiz) geboren, studierte ab 1923 klassische Philologie und Alte Geschichte und promovierte bei Ernst Howald in Zürich. Von 1928 bis 1931 unterrichtete er in Zürich und war dann bis 1980 als Griechisch- und Lateinlehrer an der Bündner Kantonsschule in Chur tätig, deren Rektor er auch war. Neben dem *Struwwelpeter* übertrug er weitere Gedichte ins Lateinische, beispielsweise Studenten- und Wanderlieder von Joseph Viktor von Scheffel oder Gedichte Christian Morgensterns. Er starb 1981.
Die Geschichte der lateinischen Übertragungen des *Struwwelpeter* beginnt mit einer in England erschienenen Version (Rouse 1934). Sie ist in alternierenden Dreizehnsilbnern (stellenweise auch Siebensilbnern) in Reimpaaren nach Art der mittellateinischen Dichtung abgefaßt und basiert nicht auf dem deutschen Original, sondern auf einer anonymen englischen Übersetzung, die erstmals 1848 in Leipzig erschien und in England bis in dieses Jahrhundert hinein eine erstaunliche Konjunk-

tur hatte. Als Kostprobe seien einige Verse aus der »Geschichte vom Daumenlutscher« (»Sugipollex«) zitiert:

Aliquando filium mater allocuta,
»Foras eo, fili mi, cuncta domi tuta:
Aufer tu quisquilias, aufer istas nugas:
Moneo praecipue pollicem ne sugas.
Nam si sugunt pollices pueri profecto
Sartor vestiarius praesto subest tecto:
Dumque visum subitum miseri mirantur,
Forcipem grandissimam stringit properanter,
Amputatque pollices, qui decreto fati
Nunquam crescent iterum semel amputati.«

In Deutschland erschien 1938 eine erste lateinische Nachdichtung von Hans Jürgen Schmidt. Sie bedient sich ebenfalls des aus der Vagantendichtung bekannten Metrums und wählt dabei den paarweise gereimten Sieben- und Achtsilbner. Die gleiche Stelle aus dem »Daumenlutscher« (»De Conrado pollices lambente«) lautet hier:

Mater suo Conrado
»Ego«, inquit, »exeo;
Interim sis bono more,
nunquam pollex sit in ore;
sartor nam cum forfice
advolat citissime,
desecabit acies
cito tuos pollices!«
Haec locuta abiit
et Conradus annuit.

Peter Wiesmanns Übertragung (1954) ist unabhängig von den beiden vorangegangenen Versionen entstanden. Auch sie ist formal an den Vagantenliedern, wie wir sie etwa aus den *Carmina Burana* kennen, orientiert, wobei

sie sich »im Stil« ausdrücklich an der »genialen Übersetzung des *Max und Moritz* von G. Merten« anlehnt (Nachwort). Als »Schulmann« richtete sich Wiesmann bei seiner Übersetzung bewußt nach den Bedürfnissen des Lateinunterrichts. Er dachte dabei realistischerweise auch an »jene Leser, die des Lateins nicht mehr so mächtig sind« (Nachwort) und schuf eine Version, die zwar philologisch einwandfrei, stilistisch elegant und keineswegs anspruchslos ist, aber den meisten heutigen Lateinlesern leichter zugänglich sein dürfte als manche andere. Dies qualifiziert sie hervorragend für eine Neuausgabe und nicht zuletzt für den Einsatz im Schulunterricht. Die entsprechende Passage aus »De puero, qui pollices sugebat, fabula« lautet zum Vergleich:

»Tu, Conrade, mi parebis,
me absente remanebis!«
dixit mater, »dum sum foris,
opto, sis modesti moris.
Audi tu, Conrade, imprimis:
pollices ne sugas nimis!
Nam cum forfice venturum
pollicesque resecturum
vestificum, ut papyrum,
tibi dico, – non est mirum!«

Im Reigen der Versuche, den *Struwwelpeter* ins Lateinische zu bringen, sind neben Wiesmanns Übertragung noch zwei weitere zu erwähnen. Eduard Bornemann begann seine Übersetzung zunächst als Überarbeitung der Version von H. J. Schmidt (1938), die dann aber – »bis auf wenige Wendungen, die mir imponierten« (Nachwort) – zu einer völligen Neugestaltung führte. Als stilistisches Vorbild nimmt er ebenfalls die mittellateinische Lyrik, wobei ihn jedoch sein »in der Antike verankertes

Schulmeisterherz« dazu verpflichtete, auf gewisse »Freiheiten des nachklassischen Lateins« (Nachwort) in metrischer und syntaktischer Hinsicht bewußt zu verzichten. Seine Fassung (1956 erschienen) ist die bisher bekannteste lateinische Fassung (zuletzt abgedruckt in: *Der Struwwelpeter polyglott*, hrsg. von Walter Sauer, München [4]1994). Die Anfangsverse aus »De Conrado pollicisuga fabula« lauten:

Mater suo Conrado:
»Remanes, dum exeo.
Probus sis absente me!
Sed imprimis hortor te:
Cave rursus pollicem
sugas, aut huc forficem
tractans sartor est venturus
ilicoque desecturus
tuos pollices – securus,
quasi sit papyrus purus.«

Ganz der klassischen Tradition verpflichtet ist dagegen die Übertragung von Ugo Enrico Paoli (1960), die – mit Ausnahme des in elegischen Distichen abgefaßten »Prooemiums« – den Hexameter als Versform wählt. Er formuliert den zu vergleichenden Abschnitt aus der Geschichte »Mos turpis sugendi pollicis qua poena luatur« folgendermaßen:

»Me breviter, Conrado, foras exire necesse est;
At tu«, mater ait, »manes bonus atque quietus,
Dum redeam, atque illud, quod mater praecipit, audi:
Foede te digitos labiis exsugere nolo.
Ne subito veniens praeacuta forfice sartor
Pollicem utrumque secet, veluti sit charta; memento.«

Schließlich wäre noch die isolierte Übertragung der Daumenlutscher-Geschichte von Wilfried (Valahfridus) Stroh (1993) zu nennen, welcher drei Parodien (»Carmine heroo«, »Carmine alcaico« und »Nenia phalaecea«) beigesellt sind. Zitiert sei die am Originaltext orientierte lateinische Fassung (»Conradus pollicilingus«):

Mater dixerat Conrado:
»mane, ego foras uado.
tu piorum et proborum,
dum redibo, esto morum.
sed praecipue, Conrade:
pollices ne lingua rade!
aut cum forfice armatus
sartor ueniet citatus
pollicesque amputabit,
uelut chartas qui secabit.«

Die lateinische Übertragung von Peter Wiesmann wird hier nach der Ausgabe von 1954 abgedruckt. Illustrationen und Text der deutschen Originalausgabe folgen der zweiten Fassung (ab der 28. Auflage 1859); die Orthographie wurde behutsam modernisiert.

Der *Struwwelpeter* wird oft ein klassisches Kinderbuch genannt. Nicht zuletzt tragen auch die verschiedenen lateinischen Fassungen dazu bei, daß dies zu Recht geschieht.

Walter Sauer

Heinrich Hoffmann: Lustige Geschichten und drollige Bilder. Frankfurt a. M.: Literarische Anstalt (J. Rütten), 1845.
– Der Struwwelpeter. Lustige Geschichten und drollige Bilder. Frankfurt a. M.: Rütten & Loening, [28]1859.
William H. D. Rouse: The Latin Struwwelpeter. London/Glasgow: Blackie & Son, 1934.
Hans Jürgen Schmidt: Petrus Hirsutus seu fabulae iocosae ac imagines ridiculae per D. Henricus Hoffmann in linguam latinam travestitae per H. J. Schmidt. Illustrationes secundum versionem primam denuo sunt pictae ac ligno incisae per Fridericum Kredel. Potsdam: Rütten & Loening, 1938.
Peter Wiesmann: Petrus Hirsutus vel fabulae iocosae lepidis imagunculis auctae secundum editionem primam denuo ab Alfredo Kobel delineatis ex inventione Doctoris Henrici Hoffmann in sermonem Latinum conversae ab Petro Wiesmann. St. Gallen: Tschudy, 1954.
Eduard Bornemann: Petrulus Hirrutus »Der Struwwelpeter« sive Fabulae lepidae et picturae iocosae quas invenit ac depinxit Henricus Hoffmann doctor medicinae. Picturas secundum Hoffmanni exemplar delineavit et lignis incidit Fridericus Kredel. Versiculos in sermonem Latinum transtulit Eduardus Bornemann. Frankfurt a. M.: Rütten & Loening, 1956.
Ugo Enrico Paolo: Petrus Ericius (Struwwelpeter). Lepidae historiolae ab Hugone Henrico Paoli Latinis versibus enarratae. Florenz: Le Monnier / Bern: Francke, 1960.
Valahfridus Stroh: Conradus pollicilingus (e D.ris Henrici Hoffmann libro c.t. Der Struwwelpeter). In: Academiae Latinitati Fovendae Octavus Conventus Lovanii, Antverpiae: Carmina. Turnhout: Brepols, 1993. S. 55–61.
Walter Sauer (Hrsg.): Der Struwwelpeter polyglott. München: Deutscher Taschenbuch Verlag, [4]1994.

Hingewiesen sei ferner auf die Ausgabe des »Struwwelpeter« in der englischen Nachdichtung von Mark Twain, Reclams Universal-Bibliothek Nr. 8983.

Inhalt

Petrus Hirsutus

Praefatio *4*
De Petro hirsuto *6*
De Frederico maligno fabula *8*
De flammiferis fabula tristissima *14*
De pueris denigratis fabula *18*
De saevo venatore fabula *26*
De puero, qui pollices sugebat, fabula *32*
De Casparo, qui iusculum edere nolebat, fabula *36*
De Philippo oscillante fabula *38*
De Iohanne, qui in aerem spectabat, fabula *44*
De Roberto, qui per aerem volabat, fabula *50*

Anhang

Der Struwwelpeter *55*
Zu dieser Ausgabe *69*



Wilhelm Busch

Max und Moritz auf Lateinisch

Reclam



Wilhelm Busch
Max und Moritz

auf Lateinisch

Übersetzt von
Franz Schlosser

Philipp Reclam jun. Stuttgart

RECLAMS UNIVERSAL-BIBLIOTHEK Nr. 8843

Gesamtherstellung: Reclam, Ditzingen. Printed in Germany 2007


ISBN 978-3-15-008843-2

www.reclam.de

Maxus et Mauritius

Praefatio

Nobis semper est audiendum
De maleficis, legendum,
Sicut de Mauritio
Maxo et amiculo.



Disciplinam deridentes,
Quam ludibrio habentes,
Mala modo hi faciebant,
Bona plane neglegebant.
Nos, eheu, antiquitus
Mala iuvant potius!
Plus quam ludum frequentare
Placet enim stimulare
Bestias, animalia.
Mala, pira, alia
Gratius quoque est furari,
Homines ludificari.
Qua de causa dico "Vae!
Quorum res evadant hae?!"
Nunc Mauriti omnia
Maxi et facinora,


Quae fecerunt, enarrabo.
Auscultate, vos amabo!

Dolus primus

Operam in bestiis
Sunt, qui ponant plumeis.
Et ovorum causa, quae
Aves pariunt illae,
Et ob carnem assam, quam
Tam amamus optimam.
Quarum pennis, tertio,
Usurpamus sedulo.
His farcimus culcitas
(Propter noctes frigidas).




Ecce Bolta vidua.
Quae et spernit frigora.




Cui erant viduae
Tres gallinae, gallus. “Quae
nunc”, quaesivit, “facimus?”
E Mauritio Maxulus.


Panem secant pueri
Cito, modo agili,
Quattuor in frustula
Bella, pulchra, paria.
In decussem iungunt has
Filo tum particulas.




Quas imponunt areae
Diligenter feminae.




Quod vix gallus conspicit,
Canere cum incipit:
Cicicerici, cicicericae!! –
Iam accurrunt feminae.




Una cum gallinis tum
Gallus vorat frustulum.




Cum discedere conantur,
.Lino hi interpellantur.




Hic et illuc perdite
Ultro citro trahunt se.



Sursum volitant, eos
Quam deploro miseros!




Arboris in bracchio
Haerent longo, arido.
Collum longius fit eorum,
Sonus lenior canticorum,



Ovum gignunt ultimum –
Humo reddunt debitum.



Avium audit eiulatum
Vidua, vociferatum.




Casa cedens clamat: “Vae!
Culmen est saevitiae!



Id, quo animo commoto
Delectabar, corde toto,
Nunc in malo haeret, o!
Lacrimis non tempero!”
Cultrum haec tristissime
Capit nunc, sollicite,



Miserandos ut defunctos
Quattuor desecet cunctos.



Maerens se recipit tum
Suum in tugurium.

Dolo necto illico
Praestolemur alio


Dolus secundus

Respirata a terrore
Bolta, illo a dolore,
Cogitavit apud se:
'Aves honorifice
Ante tempus exspiratas,
Morte foeda et damnatas
Igne coquam vel assabo,
Carne tum me delectabo.'
Maeror magnus fuit atqui,
Cum in igne furnuli
Hae iacerent denudatae,
Plane volsae, vellicatae,
Quae in horto volitabant
Olim, laete cacillabant. –




Eheu! valde lacrimat
Bolta, canis iuxta stat.

Has furciferi viderunt
Per fumarium, olfecerunt



Aves dulciter torrentes
In frixorio iacentes
Collis et capitibus
Despoliatas funditus.




Nunc e cella Bolta illa
Plena brassicae catilla




Petit duo. Qua acerba
Delectatur enim herba.
Quod si recalfactum est
Olus, de hac actum est.

Scelera dum haec geruntur
Dolum novum moliuntur.
Longum duxit ea re
Hamum Maxulus cum se.



Primam e camino iam
Extrahit aviculam.

Insequuntur alia
Duo animalia.
Nunc educit ultimum
Plumeorum pecorum.
Videns maleficium
Spitzus latrat “voff, voff, vum!”



Sed de tecto descenderunt
Parvi iam, desiluerunt,
Festinanter, propere;
Venit Bolta proxime!
Stupet, cum sartaginem
Conspicatur, praeter spem



Quia erat vacuus.
"Canis tu taeterrimus!



Sic auferes minime!
Spitze, non omittam te!"



Cochlear haec sumit tum,
Quo percutit Spitzulum.
Ululat hic lamentatur,
Falso quia verberatur.



Stertunt autem in virgultis
Duo scelera occultis.
Modo gallinaceus
Restat pes in oribus.

Insequetur etiamnum
Flagitiorum tertium.


Dolus tertius

Sartor cunctis a paganis
Notus erat et vicanis.




Hircus appellatus. Vestes
Admirabiles, caelestes
Qui faciebat, bracas breves,
Longas quoque, stolas leves:
Cuncta Hircus haec faciebat,
Cuncta suere sciebat.
Expediebat et sarcienda
Omnia, reficienda,
Laxas vestimentis bullas
Adsuebat et nonnullas,
Quod – et ubicumque sit:
Hoc a viro omne fit.
Hircus natus est ea
Lege salutaria.
Quem honorant hanc ob rem
Omnes bonum hominem.
"Aegre", dixit, "huic faciamus,"
Maxus, "bilem moveamus!"


Rivus enim alluebat
Hirci casam, praefluebat.



Pontem fecerat eo
Saevo hic in rivulo.



Fures duo haud cunctanter,
Sine mora, festinanter,
Malitiose, furtim, clam
Serra tractant semitam.



Haec auditur subito
Tum vociferatio:
“Eho! Heus! Arunce mi,
Foras! Ocius exi!”
Hircus multa sustinebat.
Qui tacebat, nil dicebat.
Sed movebat stomachum
Ei hoc vocabulum.




Foras cito se proripit,
Ubi auribus percipit

Derisionem denuo:
"Heus, arunce! Heus! Eho!"




Qui iam medio est in ponte.
Crac! Crac! Crac! Qui sua sponte




Rumpitur ponticulus –
Abdit se vestificus.


Tempore, quo haec geruntur,
Anseres praeterferuntur.



Quorum pedes manibus
Hircus capit territus.



Qui hoc modo rivuli
Exit aqua dubii.




Quae, scilicet, omnia
Minime sunt commoda,










Nam dolores colicos
Vir contraxit pessimos.



Ferrum caldum sit laudatum!
Ab uxore complanatum
Corpus boni Hirculi
Summa se reficit vi.



Quisque mox in vico scit:
Hircus sartor valuit.

Insequetur etiamnum
Quartum horum scelerum.

Dolus quartus


Est discendum omnibus:
Sic ait lex antiquitus.
Sed non solum elementis
Nos rem facimus discendis,
Neque unice legendo
Bene cedimus, scribendo,
Neque ratiocinando,
Numerando, computando –
Et consilia admittendo
Sapientia, sequendo.



Quae curabat Lempulus
Doctor litterarius.


Fures ambo hanc ob rem
Haud amabant hominem.
Dolos hic nectentibus
Erat odiosissimus.

Tabaco hic nunc gaudebat.
In deliciis quod habebat.
Viro quod non invidendumst
Bono, probo, concedendumst
Vere, sincerissime,
Nam laborat aspere.
"Quali modo huic nectamus
Dolum, damnum inferamus?"
Maxus quaerit illico
E amico intimo.
Die quodam solis bello
Modo molli organello



Hic, in templo dum sedebat,
Vir probissimus canebat.
Omnia dum haec geruntur,
Parvi mali ingrediuntur

Lempuli cubiculum,
Ubi infumibulum



Longum stat nicotianum
Boni praeceptoris canum.
Complent velocissime
Pyrio hoc pulvere.
Tum aufugiunt illico,
Missa quod est concio.



Interim magister iam
Templi claudit ianuam.

Suo munere obito
Religioso, expedito



Hic libenter petit bellam
Et domesticam casellam,



Ubi infundibulo
Ignem infert illico.



"Est bonorum omnium
Mens tranquilla ultimum!"



Quae cum ait, auditur "Bum!" –
Vale, infundibulum!

Disploduntur omnia:
Scyphus pulcher, cucuma,
Theca calamaria,
Vasa multa varia,
Focus novus, sella strata
Peridonea, mensa lata.




Fumus postquam transiit,
Dominus laudatus sit!,
Bonum virum praeter spem
Cernimus incolumem.



Sed sunt nasus, digiti
Eius fuliginei,
Tostus et est cincinnus,
Plane ustus, ultimus.

Quis nunc liberos docebit,
Cogitiones quis augebit,
Organo quis canat tali
Modo tenero, geniali?
Qua vapores odorati
Hauriantur tam amati




Probo a doctore, qua?!
Tempus sanat omnia.

Quintum maleficium
Mox sequetur scelerum.


Dolus quintus

Comis sit et commodus,
Cuius vivit patruus
Eodem in viculo,
Nam haec placent patruo.
Mane “Salve!” huic dicendumst,
Apportando huic serviendumst
Soleas et vinulum
Bonum, infundibulum.
Bono huic si prurit viro
Dorsum, tergum, modo miro
Hoc adulescentulo
Est scrabendum strenuo.
Fumum patruo sugenti
Vehementer sternuenti
Respondendumst hac in re:
“Tibi vertat optime!”
Est levandus caligis
Casam intrans vir suis,
Rebus caldis exornandus,
Ne algeat miserandus:
Huic, ne multa, parvula
Sunt paranda gaudia.

Nec placebant Maxulo
Illa nec Mauritio.
Vix credendumst dolo quo
Bilem movent patruo!




Melolontha quisque scit
Qualis mira avis sit.
In arboribus haec huc
Volat, repit et illuc.




Magnum numerum earum
Capiunt melolontharum




Fures. Qui in cuculum
Chartae has imponunt tum




Patrui et implent his
Lectum hi bestiolis.



Exornatus nunc galero
Lectum haud appetit sero




Patruus. Qui languidos
Operit mox oculos.




Scarabaei elabuntur.
Qui e strato proveniuntur.




Quorum primus tangit iam
Viri nasum. Beluam




Captans hanc hic clamat: "Quid,
Quid, per Iovem, quid est id?!"




Monstro perdito deiecto
Bonus ruit vir de lecto.




Au! – Iam iterum est eius
In cervice scarabaeus,




Usque quaque beluae
Fremunt, volant, repunt hae!



His imponit patruus
Pedem male habitus.



Demum actum est de his
Importunis bestiis!




Pacem habens iterum
Patruus it cubitum.


Sextum maleficium
Mox sequetur scelerum.

Dolus sextus


Tempore paschali, cum
In pistrinis omnium
Dulcium optima friguntur
A pistoribus, coquuntur,
Horum cupidissimi
Nostri sunt et noxii.




Sed consulto casula
Clausa est pistoria.



Furi ergo est labendum
Per fumarium, serpendum.




Ecce iam improbuli.
Pigri sunt, pigerrimi.




Qui in farinaceum
Cadunt receptaculum.




Albiores creta hi
Mali nunc sunt pueri.




Spiras vident nunc libenter.
Appetunt has vehementer.



Crac! De sella lapsi sunt.




Qui in pultem incidunt.




Massa tecti speciem
Praebent miserabilem.




Pistor massam hos lingentes
Aucupatur, ligurrientes.




Ille ilico de his
Panes facit pueris.




Eos in fornacis os
Tum immittit pueros.




Nunc e igne trahit hos
Bene tostos, badios.



Suntne tandem mortui?
Minime! Vivissimi!




Murium corrodunt more
Involucrum suo ore.




Sonat vox furnarii:
"Hic aufugiunt! Ecce hi!"

Scelerum nunc ultimum
Sequitur flagitium.


Dolus ultimus




Vae vobis sceleribus!
Hic est dolus ultimus!
Quare frumentarios
Insecatis culleos?!




Ecce Flaccum rusticum.
Saccum fert triticeum.




Quo de culleo nunc grana,
Non mirandumst, manant sana.




Iam et intellexit Flaccus:
Agit rimas iste saccus!



Tum in tritico latentes
Videt fures “innocentes”.




Qui immittit pala tum
Faecem hanc in culleum.




Metu pueri premuntur.
Nunc ad molas avehuntur.




“Pistor, quam celerrime,
Istos mole, move te!”




Quos infundit fures tum
Hic in infundibulum.




Faciunt molae ric et rac
Vehementer, cric et crac.



Hos spectate laniatos
Molis, fractos, laceratos.



Sed gallinae pueros
Statim edunt pessimos.



Finis

Suntne maesti hac de re
Vici cives? Minime!
Dixit Bolta vidua:
“Haec praesensi omnia!”
“Malum”, dixit Hirculus,
“Vitae non est terminus!”
“Documento omnibus
Hoc sit!” dixit Lempulus.
Monuit pistor: “Variis
Manum de bellariis!”
Dixit patruus: “Dolorum
Hoc eventus est stultorum!”
Dixit rusticus: “Quare
Hoc attineat ad me?!”
Paucis quidem, vicus totus
Triumphavit, gaudio motus:
“Deo gratias! Nunc de his
Actum est maleficis!”

Anhang

Max und Moritz

Vorwort

Ach, was muß man oft von bösen
Kindern hören oder lesen!!
Wie zum Beispiel hier von diesen,
Welche Max und Moritz hießen;
Die, anstatt durch weise Lehren
Sich zum Guten zu bekehren,
Oftmals noch darüber lachten
Und sich heimlich lustig machten. –
– Ja, zur Übeltätigkeit,
Ja, dazu ist man bereit! –
– Menschen necken, Tiere quälen,
Äpfel, Birnen, Zwetschen stehlen – –
Das ist freilich angenehmer
Und dazu auch viel bequemer,
Als in Kirche oder Schule
Festzusitzen auf dem Stuhle. –
– Aber wehe, wehe, wehe!
Wenn ich auf das Ende sehe!! –
– Ach, das war ein schlimmes Ding,
Wie es Max und Moritz ging.
– Drum ist hier, was sie getrieben,
Abgemalt und aufgeschrieben.

Erster Streich

Mancher gibt sich viele Müh
Mit dem lieben Federvieh;
Einesteils der Eier wegen,
Welche diese Vögel legen,

Zweitens: weil man dann und wann
Einen Braten essen kann;
Drittens aber nimmt man auch
Ihre Federn zum Gebrauch
In die Kissen und die Pfühle,
Denn man liegt nicht gerne kühle. –
Seht, da ist die Witwe Bolte,
Die das auch nicht gerne wollte.
Ihrer Hühner waren drei
Und ein stolzer Hahn dabei. –
Max und Moritz dachten nun:
Was ist hier jetzt wohl zu tun? –
– Ganz geschwinde, eins, zwei, drei,
Schneiden sie sich Brot entzwei,
In vier Teile, jedes Stück
Wie ein kleiner Finger dick.
Diese binden sie an Fäden,
Übers Kreuz, ein Stück an jeden,
Und verlegen sie genau
In den Hof der guten Frau. –
Kaum hat dies der Hahn gesehen,
Fängt er auch schon an zu krähen:
Kikeriki! Kikikerikih!! –
Tak tak tak! – da kommen sie.
Hahn und Hühner schlucken munter
Jedes ein Stück Brot hinunter;
Aber als sie sich besinnen,
Konnte keines recht von hinnen.
In die Kreuz und in die Quer
Reißen sie sich hin und her,
Flattern auf und in die Höh,
Ach herrje, herrjemine!
Ach, sie bleiben an dem langen
Dürren Ast des Baumes hangen. –
– Und ihr Hals wird lang und länger,
Ihr Gesang wird bang und bänger;

Jedes legt noch schnell ein Ei,
Und dann kommt der Tod herbei. –
Witwe Bolte, in der Kammer,
Hört im Bette diesen Jammer;
Ahnungsvoll tritt sie heraus:
Ach, was war das für ein Graus!
»Fließet aus dem Aug, ihr Tränen!
All mein Hoffen, all mein Sehnen,
Meines Lebens schönster Traum
Hängt an diesem Apfelbaum!!«
Tiefbetrübt und sorgenschwer
Kriegt sie jetzt das Messer her;
Nimmt die Toten von den Strängen,
Daß sie so nicht länger hängen,
Und mit stummem Trauerblick
Kehrt sie in ihr Haus zurück. –

Dieses war der erste Streich,
Doch der zweite folgt sogleich.

Zweiter Streich

Als die gute Witwe Bolte
Sich von ihrem Schmerz erholte,
Dachte sie so hin und her,
Daß es wohl das beste wär,
Die Verstorbnen, die hienieden
Schon so frühe abgeschieden,
Ganz im stillen und in Ehren
Gut gebraten zu verzehren. –
– Freilich war die Trauer groß,
Als sie nun so nackt und bloß
Abgerupft am Herde lagen,
Sie, die einst in schönen Tagen
Bald im Hofe, bald im Garten
Lebensfroh im Sande scharrten. –

Ach, Frau Bolte weint aufs neu,
Und der Spitz steht auch dabei.
Max und Moritz rochen dieses;
»Schnell aufs Dach gekrochen!« hieß es.
Durch den Schornstein mit Vergnügen
Sehen sie die Hühner liegen,
Die schon ohne Kopf und Gurgeln
Lieblich in der Pfanne schmurgeln. –
Eben geht mit einem Teller
Witwe Bolte in den Keller,
Daß sie von dem Sauerkohle
Eine Portion sich hole,
Wofür sie besonders schwärmt,
Wenn er wieder aufgewärmt. –
– Unterdessen auf dem Dache
Ist man tätig bei der Sache.
Max hat schon mit Vorbedacht
Eine Angel mitgebracht. –
Schnupdiwup! da wird nach oben
Schon ein Huhn heraufgehoben.
Schnupdiwup! jetzt Numro zwei;
Schnupdiwup! jetzt Numro drei;
Und jetzt kommt noch Numro vier:
Schnupdiwup! dich haben wir!! –
– Zwar der Spitz sah es genau,
Und er bellt: Rawau! Rawau!
Aber schon sind sie ganz munter
Fort und von dem Dach herunter. –
– Na! Das wird Spektakel geben,
Denn Frau Bolte kommt soeben;
Angewurzelt stand sie da,
Als sie nach der Pfanne sah.
Alle Hühner waren fort –
»Spitz!!« – das war ihr erstes Wort. –
»Oh, du Spitz, du Ungetüm!! –
Aber wart! ich komme ihm!!!«

Mit dem Löffel, groß und schwer,
Geht es über Spitzen her;
Laut ertönt sein Wehgeschrei,
Denn er fühlt sich schuldenfrei. –
– Max und Moritz, im Verstecke,
Schnarchen aber an der Hecke,
Und vom ganzen Hühnerschmaus
Guckt nur noch ein Bein heraus. –

Dieses war der zweite Streich,
Doch der dritte folgt sogleich.

Dritter Streich

Jedermann im Dorfe kannte
Einen, der sich Böck benannte. –
– Alltagsröcke, Sonntagsröcke,
Lange Hosen, spitze Fräcke,
Westen mit bequemen Taschen,
Warme Mäntel und Gamaschen –
Alle diese Kleidungssachen
Wußte Schneider Böck zu machen. –
– Oder wäre was zu flicken,
Abzuschneiden, anzustücken,
Oder gar ein Knopf der Hose
Abgerissen oder lose –
Wie und wo und was es sei,
Hinten, vorne, einerlei –
Alles macht der Meister Böck,
Denn das ist sein Lebenszweck. –
– Drum so hat in der Gemeinde
Jedermann ihn gern zum Freunde. –
Aber Max und Moritz dachten,
Wie sie ihn verdrießlich machten. –
Nämlich vor des Meisters Hause
Floß ein Wasser mit Gebrause.

Übers Wasser führt ein Steg
Und darüber geht der Weg. –
Max und Moritz, gar nicht träge,
Sägen heimlich mit der Säge,
Ritzeratze! voller Tücke,
In die Brücke eine Lücke. –
Als nun diese Tat vorbei,
Hört man plötzlich ein Geschrei:
»He, heraus! du Ziegen-Böck!
Schneider, Schneider, meck meck meck!!« –
– Alles konnte Böck ertragen,
Ohne nur ein Wort zu sagen;
Aber wenn er dies erfuhr,
Ging's ihm wider die Natur. –
Schnelle springt er mit der Elle
Über seines Hauses Schwelle,
Denn schon wieder ihm zum Schreck
Tönt ein lautes: »Meck, meck, meck!!«
Und schon ist er auf der Brücke,
Kracks! die Brücke bricht in Stücke;
Wieder tönt es: »Meck, meck, meck!«
Plumps! da ist der Schneider weg!
Grad als dieses vorgekommen,
Kommt ein Gänsepaar geschwommen,
Welches Böck in Todeshast
Krampfhaft bei den Beinen faßt.
Beide Gänse in der Hand,
Flattert er auf trocknes Land. –
Übrigens bei alledem
Ist so etwas nicht bequem;
Wie denn Böck von der Geschichte
Auch das Magendrücken kriegte.
Hoch ist hier Frau Böck zu preisen!
Denn ein heißes Bügeleisen,
Auf den kalten Leib gebracht,
Hat es wieder gut gemacht. –

– Bald im Dorf hinauf, hinunter,
Hieß es: Böck ist wieder munter!!

Dieses war der dritte Streich,
Doch der vierte folgt sogleich.

Vierter Streich

Also lautet ein Beschluß:
Daß der Mensch was lernen muß. –
– Nicht allein das A-B-C
Bringt den Menschen in die Höh;
Nicht allein im Schreiben, Lesen
Übt sich ein vernünftig Wesen;
Nicht allein in Rechnungssachen
Soll der Mensch sich Mühe machen;
Sondern auch der Weisheit Lehren
Muß man mit Vergnügen hören. –
Daß dies mit Verstand geschah,
War Herr Lehrer Lämpel da. –
– Max und Moritz, diese beiden,
Mochten ihn darum nicht leiden;
Denn wer böse Streiche macht,
Gibt nicht auf den Lehrer acht. –
Nun war dieser brave Lehrer
Von dem Tobak ein Verehrer,
Was man ohne alle Frage
Nach des Tages Müh und Plage
Einem guten alten Mann
Auch von Herzen gönnen kann. –
– Max und Moritz, unverdrossen,
Sinnen aber schon auf Possen,
Ob vermittelst seiner Pfeifen
Dieser Mann nicht anzugreifen. –
– Einstens, als es Sonntag wieder
Und Herr Lämpel, brav und bieder,

In der Kirche mit Gefühle
Saß vor seinem Orgelspiele,
Schlichen sich die bösen Buben
In sein Haus und seine Stuben,
Wo die Meerschaumpfeife stand;
Max hält sie in seiner Hand;
Aber Moritz aus der Tasche
Zieht die Flintenpulverflasche,
Und geschwinde, stopf, stopf, stopf!
Pulver in den Pfeifenkopf. –
Jetzt nur still und schnell nach Haus,
Denn schon ist die Kirche aus. –
– Eben schließt in sanfter Ruh
Lämpel seine Kirche zu;
Und mit Buch und Notenheften,
Nach besorgten Amtsgeschäften
Lenkt er freudig seine Schritte
Zu der heimatlichen Hütte,
Und voll Dankbarkeit sodann
Zündet er sein Pfeifchen an.
»Ach!« – spricht er – »die größte Freud
Ist doch die Zufriedenheit!!!«
Rums!! – da geht die Pfeife los
Mit Getöse, schrecklich groß.
Kaffeetopf und Wasserglas,
Tobaksdose, Tintenfaß,
Ofen, Tisch und Sorgensitz –
Alles fliegt im Pulverblitz. –
Als der Dampf sich nun erhob,
Sieht man Lämpel, der gottlob!
Lebend auf dem Rücken liegt;
Doch er hat was abgekriegt.
Nase, Hand, Gesicht und Ohren
Sind so schwarz als wie die Mohren,
Und des Haares letzter Schopf
Ist verbrannt bis auf den Kopf. –

Wer soll **nun** die Kinder lehren
Und die Wissenschaft vermehren?
Wer soll nun für Lämpel leiten
Seine Amtestätigkeiten?
Woraus soll der Lehrer rauchen,
Wenn die Pfeife nicht zu brauchen??
Mit der Zeit wird alles heil,
Nur die Pfeife hat ihr Teil. –

Dieses war der vierte Streich,
Doch der fünfte folgt sogleich.

Fünfter Streich

Wer in Dorfe oder Stadt
Einen Onkel wohnen hat,
Der sei höflich und bescheiden,
Denn das mag der Onkel leiden. –
– Morgens sagt man: »Guten Morgen!
Haben Sie was zu besorgen?«
Bringt ihm, was er haben muß:
Zeitung, Pfeife, Fidibus. –
Oder sollt es wo im Rücken
Drücken, beißen oder zwicken,
Gleich ist man mit Freudigkeit
Dienstbeflissen und bereit. –
Oder sei's nach einer Prise,
Daß der Onkel heftig niese,
Ruft man »Prosit!« allsogleich,
»Danke, wohl bekomm es Euch!« –
Oder kommt er spät nach Haus,
Zieht man ihm die Stiefel aus,
Holt Pantoffel, Schlafrock, Mütze,
Daß er nicht im Kalten sitze –
Kurz, man ist darauf bedacht,
Was dem Onkel Freude macht.

– Max und Moritz ihrerseits
Fanden darin keinen Reiz. –
Denkt euch nur, welch schlechten Witz
Machten sie mit Onkel Fritz! –
Jeder weiß, was so ein Mai-
Käfer für ein Vogel sei. –
In den Bäumen hin und her
Fliegt und kriecht und krabbelt er.
Max und Moritz, immer munter,
Schütteln sie vom Baum herunter.
In die Tüte von Papiere
Sperren sie die Krabbeltiere. –
Fort damit, und in die Ecke
Unter Onkel Fritzens Decke!
Bald zu Bett geht Onkel Fritze
In der spitzen Zipfelmütze;
Seine Augen macht er zu,
Hüllt sich ein und schläft in Ruh.
Doch die Käfer, kritze kratze!
Kommen schnell aus der Matratze.
Schon faßt einer, der voran,
Onkel Fritzens Nase an.
»Bau!!« – schreit er – »Was ist das hier?!!«
Und erfaßt das Ungetier.
Und den Onkel, voller Grausen,
Sieht man aus dem Bette sausen.
»Autsch!!« – Schon wieder hat er einen
Im Genicke, an den Beinen;
Hin und her und rund herum
Kriecht es, fliegt es mit Gebrumm.
Onkel Fritz, in dieser Not,
Haut und trampelt alles tot.
Guckste wohl! Jetzt ist's vorbei
Mit der Käferkrabbelei!!
Onkel Fritz hat wieder Ruh
Und macht seine Augen zu. –

Dieses war der fünfte Streich,
Doch der sechste folgt sogleich.

Sechster Streich

In der schönen Osterzeit,
Wenn die frommen Bäckersleut,
Viele süße Zuckersachen
Backen und zurechtemachen,
Wünschten Max und Moritz auch
Sich so etwas zum Gebrauch. –
Doch der Bäcker, mit Bedacht,
Hat das Backhaus zugemacht.
Also, will hier einer stehlen,
Muß er durch den Schlot sich quälen. –
Ratsch!! – Da kommen die zwei Knaben
Durch den Schornstein, schwarz wie Raben.
Puff!! – Sie fallen in die Kist,
Wo das Mehl darinnen ist.
Da! Nun sind sie alle beide
Rund herum so weiß wie Kreide.
Aber schon mit viel Vergnügen
Sehen sie die Brezeln liegen.
Knacks!! – Da bricht der Stuhl entzwei;
Schwapp!! – Da liegen sie im Brei.
Ganz von Kuchenteig umhüllt
Stehn sie da als Jammerbild. –
Gleich erscheint der Meister Bäcker
Und bemerkt die Zuckerlecker.
Eins, zwei, drei! – eh man's gedacht,
Sind zwei Brote draus gemacht.
In dem Ofen glüht es noch –
Ruff!! – damit ins Ofenloch!
Ruff!! – man zieht sie aus der Glut –
Denn nun sind sie braun und gut. –

– Jeder denkt, »die sind perdü!«
Aber nein! – noch leben sie! –
Knusper, knasper! – wie zwei Mäuse
Fressen sie durch das Gehäuse;
Und der Meister Bäcker schrie:
»Achherrje! da laufen sie!!« –

Dieses war der sechste Streich,
Doch der letzte folgt sogleich.

Letzter Streich

Max und Moritz, wehe euch!
Jetzt kommt euer letzter Streich! –
Wozu müssen auch die beiden
Löcher in die Säcke schneiden?? –
– Seht, da trägt der Bauer Mecke
Einen seiner Maltersäcke. –
Aber kaum daß er von hinnen,
Fängt das Korn schon an zu rinnen.
Und verwundert steht und spricht er:
»Zapperment! Dat Ding werd lichter!«
Hei! Da sieht er voller Freude
Max und Moritz im Getreide.
Rabs!! – in seinen großen Sack
Schaufelt er das Lumpenpack.
Max und Moritz wird es schwüle,
Denn nun geht es nach der Mühle. –
»Meister Müller, he, heran!
Mahl er das, so schnell er kann!«
»Her damit!!« – Und in den Trichter
Schüttelt er die Bösewichter. –
Rickeracke! Rickeracke!
Geht die Mühle mit Geknacke.
Hier kann man sie noch erblicken
Fein geschroten und in Stücken.

Doch sogleich verzehret sie
Meister Müllers Federvieh.

Schluß

Als man dies im Dorf erfuhr,
War von Trauer keine Spur. –
– Witwe Bolte, mild und weich,
Sprach: »Sieh da, ich dacht es gleich!« –
– »Ja ja ja« rief Meister Böck –
»Bosheit ist kein Lebenszweck!« –
– Drauf so sprach Herr Lehrer Lämpel:
»Dies ist wieder ein Exempel!« –
– »Freilich!« meint der Zuckerbäcker –
»Warum ist der Mensch so lecker?!« –
– Selbst der gute Onkel Fritze
Sprach: »Das kommt von dumme Witze!« –
– Doch der brave Bauersmann
Dachte: »Wat geiht meck dat an?!« –
– Kurz, im ganzen Dorf herum
Ging ein freudiges Gebrumm:
»Gott sei Dank! Nun ist's vorbei
Mit der Übeltäterei!!«

Der deutsche Text folgt der Ausgabe: Wilhelm Busch: Ausgewählte Werke. Hrsg. von Gert Ueding. Stuttgart: Reclam, 1988. (Universal-Bibliothek. Nr. 7483.)

Inhalt

Maxus et Mauritius
Praefatio 4
Dolus primus 5
Dolus secundus 13
Dolus tertius 20
Dolus quartus 27
Dolus quintus 34
Dolus sextus 42
Dolus ultimus 51
Finis 57

Anhang
Max und Moritz 61



Adventures of Sherlock Holmes

Sir Arthur Conan Doyle

Equitis Arturi Conan Doyle
HOLMESIACA
sive gesta memorabilia detectoris Sherlock Holmes
imaginibus originalibus Sidneii Paget ornata - In Latinum vertit Stanislaus Tekieli

---

"Gloria Scott"



- Teneo hic chartulas nonnullas – dixit amicus meus Sherlock Holmes vesperi hiemali, cum assedebamus alter a laeva, alterque a dextra latere fornacis – quae, puto, etiam tua intersint, mi Watson. Haec sunt documenta illius insoliti casus navis "Gloria Scott", dum hic habes nuntium, qui iudicem pacis nomine Trevor ita perterruit, ut mortuus sit eo modo perlecto.

E forulo ductili mensae produxit parvum cylindratum involucrum, dissolvit taeniolam et porrexit mihi parvam chartulam, cui aliquis parum clare inscripserat sententias nonnullas:

Ludus harpasti male progressus est. Adsit nostris voluntas, finitus tamen robur pristinus. Hudson valet. Altilium curator dixit bene se habitura omnia ad phasanos pertinentia. Serva effugit, sed capta, vitam ut servet obsecrat. Tuam pituitam bene medearis!

Quas miras sententiolas legere atque intellegere cum conabar, inspexi amicum meum subridere impressionem vultus mei intuens.

- Aliquantulum mirari mihi videris, amice – dixit.

- Vix crederem hunc nuntium aliquem exterruisse. Mihi is ridiculus tantum videtur.

- Certe ita. Sine dubio tamen vir robustus et fortis, qui usque ad mortem erat Trevor licet esset provecta iam paululum aetate, notula hac perlecta collapsus est in terram, quasi capite manubrio pistolii percusso.

- Res vero mirissima – respondi. – Huncne propter nuntiolum secretum dixisti chartulas has mea interesse posse?

- Non solum. Erat is primus casus in curriculo meo detectoris.

Iam diu conatus sum exprimere ex amico meo causam, qua ductus decreverit artem criminalisticam sequi. Adhuc tamen numquam contigit mihi eum affabili anima arreptum hoc rogato adoriri. Nunc tamen se prorsus aliquantum in sella proclinavit, ut super genubus chartulas poneret. Post breve temporis momentum pipam accendit, chartas vertere pergens.

- Re vera numquam tibi de Victore Trevor narravi? – rogavit. – Erat solus meus amicus his duobus annis, quos in collegio trivi. Numquam homo valde sociabilis eram, mi Watson, semper libentius in conclavi meo manerem methodos meas futuras deducendi excogitans, quam inter collegas meos coaetaneos versarem. Praeter battualia pugilatumve nulla athletica arte delectabar, insuper petita mea academica omnino alia erant quam collegarum, nullum ergo manebat nostris forum una conveniendi. Trevor solus ibi homo erat, quem profundius noscerem, quod quoque quidem per casum evenit: canis eius, seminio tauriterrarius, talum mihi momordit.



Non bonis ergo auspiciis haec amicitia coepit, optimo tamen postea effectu. Per decem dies in lectulo manere debui, tunc Trevor visitare me cottidie solebat, ut disceret, an melius me haberem. Sermones nostri initio breves, postea tamen longiores longioresque fiebant ita, ut in fine semestris iam boni amici redderemur. Erat ille iucundus hilarisque iuvenis, bona anima plenus, in multis contrarium purum mei, invenimus tamen etiam nobis nonnullas res communes, at amicitia nostra propior quoque facta est, postquam inveneram eum, sicut me, a collegis ceteris abhorrere. Deinde invitavit me, ut aedem patris sui visitarem in vico Donnithorpe comitatus Norfolk, ubi igitur postea cunctum mensem feriarum principalium terebam.

Vetus dominus Trevor erat sine dubio vir satis opulentus ac venerabilis – huius regionis iudex pacis necnon dominus magni praedii. Donnithorpe est vicus parvus, paulum ad septentrionem a Langmere situs, inter paludes Broads. Aedes Trevorum erat antiqua ac vasta, structa e latere trabesque quercus, praedita splendido aditu via tiliis arboribus utrimque saepta. In paludibus fabulosae venationes anatis ferae necnon piscatus uberrimi habebantur. Accedit quod habebant in aedibus parvam sed optime instructam

bibliothecam, quam coemerant – audivi – a pristino possessore praedii. Tenebant quoque coquam artis sui satis gnaram. Rebus ita stantibus homo re vera valde fastidiosus non delectari feriis ibi tritis possit.

Vetus dominus Trevor viduus erat, amicus meus Victor solus filius eius. Audivi eum habuisse quoque filiam, hanc tamen interiisse ob diphteriam, cum Birminghamiam visitabat. Pater homo mihi maximi momenti esse videbatur: non valde fortasse educatus, plenus tamen vi quadam aspera, tam psyches quam animi. Libros verisimiliter non legit, sed olim multoties itinerari solitus erat, haud parvum tractum mundi ipsius oculis videbat necnon optime memoria tenebat omnia, quae didicerat. Erat ille homo robustus canis capillis, verberata ventis facie adustiore, caeruleis oculis, quorum visus tam penetrabilis erat, ut ferocitatem quandam, diceres, paene redoleret. Apud suos opinione philanthropi gaudebat lenitasque sententiarum eius nomine iudicis pacis prolatarum idiomate regionis ut proverbium tenebatur.

Uno vespere, mox post adventum meum, assedebamus post cenam ad pocula vini Portucalensis, cum Trevor iuvenis loqui coepit de meis ingeniis observationis atque iudicii, quorum systema quoddam satis cohaerens iam construebam, nesciens tamen adhuc, qualis momenti mihi id in vita mea fore. Dominus vetus sine dubio eum exaggerare putabat, dum narrabat iuvenis de nonnullis meis parvis experimentis, in quibus mihi successerat.

- Occasione utere, domine Holmes – dixit, benevolenter subridens. – Obiectum sum optimum ad coniecturas tuas deducendas.

- Timeo – respondi – in tuo casu non multas res deduci posse. Dicerem tamen te ultimis in duodecim mensibus pavore correptum esse aliquem hominem in te vim illaturum.

Risus de vultu eius omnino evanuit et intueri me attentius nunc coepit.

- Hm, haud male coniectasti – confirmavit. – Tu ipse scis, mi Victor, cum istam mandram feripetarum apprehenderimus, iurabant praedones cultris nos necaturos at equitem Eduardum Hoby re vera adorti sunt. Ab hoc tempore semper vigilo; quomodo tamen tu scire possis, omnino non intellego.

- Habe, mi domine, perpulchrum baculum – respondi. – Inscriptio eius docet te eum non longius uno anno possedisse. Operae pretium tamen esse considerasti caput eius exterebrare baculumque intus liquefacto plumbo implere, hoc modo mutans eum in telum vero horribile. Coniectavi te talia consilia non capturum, nisi aliquo periculi timore coactum.

- Bene! – clamavit denuo subridens. - Quid porro?

- In iuventute pugil fuisti.

- Optime, puerule! Quomodo id invenisti? Num nasum paululum distortum habeo?

- Minime. Prodeunt hoc aures tuae – nimis solito planae necnon quasi crassae, ut mos est apud pugiles.

- Aliquid plus?

- De cornea cute manus deducerem te multum dolabra fodisse.

- Totam rem familiarem in aurifodinis effodi.

- Adfuisti Novae Zelandiae...

- Optime!

- Visitasti Iaponiam...

- Ita.

- Mansisti in satis intima relatione cum aliquo homine initialibus I. A., deinde valde conatus es hunc hominem e memoria delere.

Dominus Trevor lente surrexit et e propiore intuitus me est suis magnis caeruleis oculis, vultu attonito ac fero. Tunc animo statim relictus collapsus est ut caudex securi caesus, facie tundens putamina nucum in mappa mensae sparsa.

Potes tibi fingere, Watson, quomodo hoc facto et ego et filius domini percussi simus. Languor deo gratias non longe durabat – postquam laxaveramus ei collare necnon sparseramus faciem aqua de patella ad digitos lavandos, respiravit aliquotiens plenius deinc corpus denuo mandavit arcui sellae.

- Spero me, pueri mei – dixit, ad risum vultum cogens – vos non tam valde exterruisse. Prima facie homo robustior videor, re vera tamen corde infirmo praeditus sum – re parva etiam percussus collabi possum. At haec res minime parva erat! Nescio, domine Holmes, quomodo id coniectaveris, puto tamen omnes detectores, cum veros tum in fabulis fictos, tibi comparatos ignaros prorsus esse. Tu huic arti natura ipsa destinataris, domine; mihi crede, qui nonnulla iam in vita mea vidi!

Et haec verisimiliter commendatio, una cum aestimatione exaggerata domini Trevor ingenii mei, erant, si credere velis aut nolis, primi stimuli, qui me ad cogitandum coegerunt, an quod adhuc ut oblectationem puram tractaveram non deberem in operam cotidianam mutare. Tunc enim subita aegritudo hospitis mei mihi tantae curae erat, ne de aliis rebus cogitare possem.

- Spero me non dixisse aliquid, quod te laedere posset...? – rogavi.

- Hm, sine dubio locum dolosum tetigisti, domine Holmes. Explanabisne nobis, sodes, quomodo id inveneris? – locutus est quasi iocose, in oculis tamen adhuc terroris relicta nitebant.

- Res minime difficillima inventu erat. Cum nuper manus denudasti, ut piscem captam in cymbam detraheres, animadverti notas Threicias prope cubitum litteras initiales I. A. monstrantes. Litteras adhuc legibiles, sed paululum obscuras pigmentoque cutis circa hunc locum quasi dissoluto. Ex quibus patebat tibi haec initiales olim valde cordi fuisse, postea tamen conatus est e cute, ergo etiam ex animo, eas delere.

- Oculi tibi sunt lyncei! – voce admiratione plena clamavit dominus Trevor, simul magno cum levamine respirans. – Omnia ita se habent, ut dixisti, nolo tamen plus de hac re loqui. Umbrae nostrorum veterum amorum horrendissimae sunt omnium. Eamus potius in aulam lusoriam, ut sigaribus paululum delectemur.

Ab hoc die in habitu domini Trevor erga me, licet esset adhuc cordialis, aliquid suspicionis haerebat. Quod mox et amicus meus animadvertit dicens ad me: - Post cibum, quo eum aluisti, numquam iam certus erit vetulus, quae tu de eo noveris quaeque ignores.

Dominus Trevor noluit certe suspicionem hanc ostentare, haerebat tamen tam profunde in animo eius, ut omni fere sui motu eam insciens monstrabat. Demum inveni hanc perturbationem eius sola praesentia mei excitari, decrevi igitur me mox abiturum.

Paenultimo tamen die meae ibi morationis evenit aliquid, quod rem maximi momenti praebiturum erat.

Assedebamus omnes tres in horto, facies nostras amoenis radiis solis praebentes necnon perpulchrum aspectum ad Broads admirantes, qui oculis nostris patebat, cum venit famula, nuntians quendam hominem ad portam exspectare velleque cum domino Trevor loqui.

- Quomodo nominatur? – rogavit hospes noster.

- Noluit dicere.

- Quid ergo sibi vult?

- Dicit te eum nosse, se velle tecum per tempus parvum colloqui.

- Adduc eum huc! – iussit. Mox postea conspeximus parvum, rugosum homuncionem, corpore aliquid gibberoso laboriosoque gradu. Indutum laxata veste (in manica pice maculata), sub qua perspiciebatur rubronigra scutulata camisia, bracis dungariensibus necnon gravibus ac valde detritis calceis. Facie erat macra, sole infecta cum visu versuto, subridens homo ille detegebat irregularem ordinem flavicolorum dentium. Manus ad gremium suspensas tenebat, palmis complexis, ut mos est nautarum. Cum segniter ita ad nos per caespitem gradiebatur, audivi repente dominum Trevor breviter singultientem vidique eum e sella surgentem domumque deinc currendo petentem. Post breve tamen momentum revertit; praetereuntem sensi vino adusto olere.

- Quid igitur tibi vis, mi domine? – rogavit.

Nauta stabat ibi Trevorem intuens parum compressis oculis, risu adhuc in vultu haerenti.

- Non recognoscis me, domine?



- Di immortales! Tu ille Hudson esse debes? – clamavit dominus Trevor, quasi non omnino certus.

- Ita, domine, Hudson ille sum – confirmavit nauta. – Triginta iam annos nos non vidimus. Tu tamen domum nunc possides, dum ego adhuc vagor per maria terrasque.

- Mox videbis me pristinas amicitias non oblitum esse – dixit dominus Trevor, nautam appropinquans, dicens ei tacite quaedam verba in auriculam, deinde vocem attollens, ut omnes audiremus: – Eas in culinam, quaeso, dabunt ibi tibi aliquid escae potusque. Postea munus quoddam tibi hic inveniam.

- Gratias permagnas – respondit nauta, manu floccum in oculos cadentem detrahens. – Modo duobus annis in navi oneraria serviebam, lenunculus erat octo nodorum. Sine pecunia sum, at fessus quiete paululum frui velim. In mentem venit te aut dominum Beddoes quaerere.

- Scis ergo, ubi habitet ille? – miratus est Trevor.

- Certe bene scio, ubi omnes mei amici veteres habitent – respondit Nauta subridens, nunc tamen risui eius sine dubio aderat quid mali ominati. Deinde gradu suo gravi secutus es famulam in culinam. Murmurando breviter dominus Trevor explanavit se una cum illo stipendium olim in navi quadam meruisse, qua ad aurifodinas revertebatur, deinc nos in caespite sedentes reliquit pedes domum dirigens. Post unam circiter horam eum omnino ebrium dormientem invenimus in stibadio triclinii convolutum. Casus hic peius quoque me ibi sentire coegit nec nimis paenitebat me postremo die a praedio Donnithorpensi abiturum esse, praesentiebam enim praesentiam mei amico meo novis tantum difficultatibus fore.

Haec omnia evenerunt in primo mense feriarum aestivarum. Reverti in conclave meum Londinii et per septem septimanas experimenta varia faciebam chimiae organicae. Uno tamen die, autumno iam bene maturescente, telegraphium ab amico meo accepi, quo obsecrabat, ut in Donnithorpe reverterer, valde enim consilia auxiliaque mea usui ei essent. Sine haesitatione omnia reliqui et me in iter boreale dedi.

Amicus exspectabat me ante stationem cum essedo venatiorio. E primo vulti eius aspectu patebat ultimos duos menses molestissimos ei fuisse. Multo macrior hoc tempore factus est, tum vultus hilaritatem cum vox solitam claritudinem omnino amiserant.

- Herus noster moritur – prima eius ad me verba erant.

- Quid, edepol, dicis? – exclamavi. – Quid factum est?

- Apoplexis. Collapsus nervorum. Vita eius e pilo pendet iam per biduum. Dubito, an vivum eum inveniamus.

Potes tibi fingere, mi Watson, quomodo percussus essem hoc nuntio novissimo.

- Sed qualis causa est? – rogavi.

- Haec est res illa ipsa, ubi auxiliis tuis egeam. Ascende et in via tibi omnia narrabo. Meministine hunc hominem, qui visitavit nos ante reditum tuum?

- Sine dubio.

- Scisne ergo, quem tunc domum nostram intrare siverimus?

- Nullo modo id sciam...

- Diabolum ipsum, Holmes – conclamavit.

Obstupui.

- Ita, diabolus ipse erat ille. Ab adventu eius ne singulo quidem quietis momento fructi sumus. Herus noster ab illo vespere numquam caput sustulit, quasi aliquid animum e pectore eius expulisset corque ei fregisset. Quorum omnium reus iste damnatus Hudson est.

- Quomodo fieri potest illum tantam vim super dominum Trevor habere?

- Hoc ego primus scire vellem! Herus enim homo tam sapiens, clemens et bene moratus est; quomodo vir talis in manus venire se sinere posse istius verberonis! Gaudeo tamen valde te nunc nobis adesse, Holmes. Maxime aestimo iudicia ingeniaque tui, scio immo neminem magis nos adiuturum posse, quam te.

Vehebamur plana, alba via rurali, tractusque longus terrae Broadsoniensis adversus nos patebat in rubro lumine occidentis solis. Iam caminos super arbores luci a laeva eminentes vidi, iam perticam vexilli conspicere possum, aedem equitis denotantem.

- Pater – continuabat amicus – munus hortulani ei apud nos fungendo decrevit, deinde, nam hoc labore se non satis honoratum iste sensisset, in pincernam promovit. Mox tota aedes nostra ei ad regendum tradita esse videbatur – ambulabat quo quandoque vellet, delectabat omnibus ad sui libitum. Famulae querebantur eum se in ebrietate adoriri impudiceque eas alloquentem; has excruciationes pater eis auctis salariis compensare conabatur. Solebat iste sine ulla rogatione nec monitione capere optimum patris sclopetum et cymbam, ut venando se delectaret. At haec omnia tam fastidiose, tam contemptionis nostrum plena facie faciebat, ut vicies saltem a me vapularet, si coaetaneum meum esset. Dico tibi, Holmes, debui me ipsum semper vincere ne id nihilominus facerem et nunc me ipsum rogo, num melius evenerit, si fecissem.

Res in dies peiores peioresque fiebant, omni novo die bestia ista molestior praeterito mihi videbatur. Tunc tandem, cum me praesente aliquid rude ad patrem dixisset, umerum eius prendi atque e conclavi deduxi; ambulabat ita a me foras coactus facie omnino livida oculisque plus veneni emittentibus quam lingua eius poterat. Nescio quid postea inter istum et patrem meum actum sit, postero tamen die pater ad me venit, obsecrans, ut apud hanc bestiam veniam peterem. Negavi certe rogavique patrem, quomodo sinere hominem nequam posset tam impudice erga se aliosque domesticos gerere.

- Id, puer mi carissime – respondit – tibi tam facile est dictu, nam fingere tibi non potes, qualibus condicionibus tenear. Aliquando id disces, mi Victor, promitto. Curabo, ut id scias, etiam si aliquid mali id prohibere conetur. Non putas certe patrem tuum miserum tibi male optare? – loquebatur valde commotus, deinde usque ad vesperem clausus in tractatorio suo mansit. Per fenestram vidi eum aliquid ibi scribere.

Vespere evenit aliquid, quod primum ut levamen nostris maximum putabam. Hudson dixit nobis se abiturum. Nuntiavit id voce rauca hominis vinolenti, cum ad cenam in triclinio sedebamus:

- Satis mihi iam terrae vestrae Norfolkiensis. In comitatum Hampshirensem ibo, ut dominum Beddoes ibi petam. Puto eum adventu mei gaudere, sicut vos gavisi estis.



- Spero te non malo animo nos relinquere, mi Hudson? – rogavit pater, sanguine in venis meis fervescenti.

- Iuvenis ille nondum veniam apud me petivit... – respondit iste morose, me oculis intuens.

- Nonne fateris, mi Victor, te heri nimis rude cum hospite nostro gessisse? – locutus est pater ad me.

- Econtra – respondi. – Puto nos ambos cum eo nimis patienter egisse.

- Ita ergo tu putas! – hirrivit bestia. – Bene, mi iuvencule, sit ut tibi vis – haec dicens reliquit aulam et post dimidiam horam aedes nostras. Pater meus tamen abhinc in statu manebat alicuius lamentabilis nervositatis. Cunctis noctibus audiebam eum in conclavi suo ambulare et cum tandem ad fiduciam sui lente revertere videbatur perculit plaga haec ultima.

- Quid tale? – rogavi amicum meum avide.

- Aliquid omnino inopinatum. Heri vespero accepit pater epistulam, sigillo Fordingbridgensi signatam. Quam epistulam cum modo legisset, caput suum ambabus manibus apprehendens currere circum conclave coepit, quasi mente captus. Cum tandem mihi contigerat eum in stibadium ponere, adverti distortum oris angulum necnon detractam palpebram – manifesta signa apoplexis. Advocavimus statim medicum Fordham patremque in lectulum

transtulimus; paralysis tamen progrediebatur, vultui patris nulla signa mentis sanae revertentis aderant nec puto nos eum vivum quidem inventuros.

- Exterruisti me, Trevor! – vociferatus sum. – Quid gentium epistula haec contineat, quod ad effectum talem ducat?

- Nihil. Et haec est res, quem omnino non intellego. Nuntius absurdissimus tritissimusque est. Sed... mi deus! Iam factum est!

Essedum nos iam in aditum aedium advexit. In palescenti lumine caeli conspeximus omnes fenestras velis opertas esse. Cum ad ostium accurreramus, vultus amici mei maerore contorta est. Foras exit homo quidam nigro habitu.

- Quando id factum est, domine medice? – rogavit Trevor.

- Statim post abitum tuum.

- Recepitne omnino mentem sanam?

- Per momentum parvum, modo antequam mortuus est.

- Dixitne aliquid?

- Dixit tantum documenta esse in posteriore loculo scrinii Iaponici.

Amicus meus una cum medico scalas ad tabulatum ascendit, dum ego in tractatorio patris mansi, ut rem totam profunde mente verterem, licet maxima fortasse totius mei vitae maestitia tunc afficerer. Quis homo fuerat ille Trevor? – me rogabam. Pugil, peregrinator, aurilegulus – quomodo talem hominem nauta ille facie vennenosa in potestate habuisse poterat? Cur animo relictus est Trevor post mentionem solam parum visibilium notarum Threiciarum? Cur horrore percussus est, postquam epistulam e Fordingbridge missam legerat? Tunc in mentem mihi venit Fordingbridge in comitatu Hampshirensi situm esse, ubi et ille dominus Beddoes habitet, quem se petiturum nauta dixit, ex quo etiam verisimiliter pecuniam iam expressit. Epistula ergo esse poterat aut nautae Hudson, nuntiantis se prodisse aliqua peccata secreta domini Trevor, quae videlicet qualia exstent, aut ipsius domini Beddoes, monentis amicum veterem de periculo imminenti. Adhuc omnia mihi videbantur satis clara, quae tamen haec absurda – ut filius Trevoris ea nominaverat - verba erant epistulae? Fortasse male ea intellexit? Tunc tamen epistula notis secretis scripta esse debet, quae notae prima specie significare unam rem videntur, dum re vera aliam significant. Epistulam ipsam videre debeo; adsit ei aliquis nuntius obscurus, sine dubio continget mihi eum denudare.

Ita mecum cogitans totam horam sederam in dubia luce tractatorii, donec famula venit plorans lampadem manu tenens, quam in mensa posuit. Mox venit etiam amicus meus Trevor, pallidus sed iam tranquillus, ferens omnes has chartulas, quas nunc in genubus meis vides. Consedit me adversus, lampadem ad limen mensae admovit, deinc porrexit mihi brevem nuntium, scriptum in cineracea charta: *Ludus harpasti male progressus est. Adsit nostris voluntas, finitus tamen robur pristinus. Hudson valet. Altilium curator dixit bene se habitura omnia ad phasanos pertinentia. Serva effugit, sed capta, vitam ut servet obsecrat. Tuam pituitam bene medearis!*

Minime negem, mi Watson, me, epistula hac primum perlecta, eodem modo ut tu obstupuisse. Deinde tamen eam cautissime legi rursus. Res ita recte videbatur ut eam esse exspectaveram: haec mira copulatio verborum omnino aliam rem significare debebat. Nam qualis sit significatio huius ‘ludi harpasti’ adiunctis postea ‘phasanis’, ‘serva’ necnon ‘pituita’! Haec omnia, una collecta, significaverunt nihil. Sola res tamen ex hac mixtura statim clare patebat: mentio Hudsonis monstravit auctorem dominum Beddoes fuisse.



Conatus sum legere epistulam a tergo. Frustra. Deinde alterum quodque verbum. Frustra rursum. Deinde tertium. Frustra. Deinc quartum... et hic clavem ad epistulam intellegendam tandem inveni. Quarto quoque verbo perlecto detegebatur nuntius, qui ad summam desperationem dominum Trevor adduxerat. Erat haec monitio brevis, quam statim amico meo recitavi: *Ludus est finitus. Hudson dixit omnia. Serva vitam tuam!*

Victor Trevor faciem in trementes manus demisit. – Ita ergo – dixit - res se habeant? Quod peius morte est, nam ignominiam rei toti addit. Sed quid de illo ‘ludo harpasti’ vel ‘phasanis’? Quid sibi volunt isti?

- Ad sensum nuntii nihil referunt; alicuius momenti tamen esse nobis possent, si nequiremus aliter auctorem quis esset conicere. Ille certe primis verbis usus est, quae ad mentem veniebant, ut imprimis loca vana, inter scilicet quodque quartum verbum, impleret. Sed de copia verborum ad ludum pilae ovatae pertinentium praesumere possumus eum hominem philathlum esse. Scisne tu aliquid de illo Beddoes?

- Nunc – resondet Trevor iunior - cum mihi haec dixeris, meminisse videor eum invitare patrem ad harpastum spectandum conatum esse semel saltem per annum.

- Ita sine ullo dubio ille est auctor epistulae – dixi. – Restat nobis coniectare secretum hoc Hudsoni notum, quod super capitibus amborum virorum ut gladius Damoclis pependisse videtur.

- Pro dolor, mi Holmes, timeo hic de aliqua re turpi agere posse – confessus est amicus meus. – Coram te tamen nolo secreta ulla obscura tenere. Ecce epistula e scrinio Iaponico modo a me deprompta, scripta a patre meo cum periculum imminere iam sensit. Habe et recita, sodes, nam mihi nec vires neque animus ad id faciendum adsunt.

- Et has mihi tunc chartulas porrexit, Watson care, quas nunc in manibus teneo quasque recitabo tibi nunc ut recitavi illo vespere ad amicum meum. Summae primae paginae, ut ipse vides, inscriptio adest: "Nonnullae res singulares ad iter pertinentes navis *Gloria Scott*, quae reliquit Falmouth 8 Octobri 1855 et submersa est 6 Novembri positione 15°29' latitudinis septemtrionalis et 25°14' longitudinis occidentalis." Ausculta ergo epistulam veteris dominis Trevor:

"Fili carissime! Nunc cum infamia imminens incipit obcaecare ultimos annos vitae meae, omni cum veritate honestateque confiteor me minime raptum esse timore aut poenae legis, aut iacturae dignitatis in comitatu, aut irrevocabilis casus mei ante oculos omnium, qui me noverunt; excrucior tamen hac sola sollicitatione, ne te – qui me diligis nec saepe, credo, causas habebas, ut male me aestimares – nunc pudendum sit gestorum patris. Si ictu gladii, qui sub capite meo semper pendet, tandem percutiar, rogo ut legas haec discasque recte a me quousque erraverim. Si tamen iudiciis fatorum res meae bene evenient (det ita deus omnipotens!), at litterae haec aliquo modo in manus tuas pervenerint, obsecro te nomine omnium, quae tibi sint sacra, memoria matris tuae necnon amoris mutui nostrum, ut eas statim igni mandes nec umquam plus in memoriam adducas.

Si ergo oculi tui pergunt nunc legere hos versus, scio me hoc tempore accusatum ac domo detractum fore, aut – quod probabilius sit, nam corde infirmo laboro – humi me iam iacere, sigillo mortis lingua in sempiternum clausa. Quidquid amborum sit, operi pretium non erit tunc rem plus occultare. Misericordiam petens tibi iuro omne verbum a me hic scriptum veritatis purae esse.

Nomen mihi, mi puer, non est Trevor. In iuventute vocabar Iohannes Armitage; nunc ergo certe intellegis horrorem meum, cum amicus ille tuus ante nonnullas hebdomades mentionem initialium litterarum huius nominis fecisset, quasi historiam meam secretam bene sciens. Ut Armitage munus tenebam in aliqua officina argentaria Londinii, ut Armitage convictus sum

violationis legis deportatusque hac terra. Noli me nimis dure iudicare, puerule. Debui exsolvere debitum, ut dicitur, honoris, ad quem effectum usus sum pecunia, quae non erat mea, credens me eam citissime repositurum. Hic tamen calamitas evenit: pecunia nova, quam mox afferendam exspectavi, numquam in manus meas venit at recte inexspectata inspectio tabularum lacunam detexit. Qui casus hodie verisimiliter multo indulgenter iudicaretur, ante triginta annos tamen, legibus tunc durioribus, die meo natali vicesimo tertio una cum triginta septem aliis damnatis cavernis adcatenatus sum navis *Gloria Scott* Australiam petentis.

Annus erat 1855, bello Crimeo modo disploso, magnis ergo navibus ad damnatos vehendos nunc maxima ex parte milites armaque in Mare Euxinum advehebantur, dum deportationibus perficiendis navigia minora minusque tali rei apta a regimine distributa sunt. Antea *Gloria Scott* advectioni a Sinis theae adhibebatur, fuit tamen navis iam nimis vetus vetustataeque structurae – gravi rostro, latissimis antemnis – nimirum igitur eam, a novis faselis victam, e mercatu Orientali revocatam esse. Capacitate onerum quingentos tonarum, praeter triginta octo damnatos ferebat tunc viginti sex nautas, duodeviginti milites, navis praefectum, tres classicos nautis praeditis, medicum, sacerdotem capellanum necnon quattor vigiles damnatorum. Falmouth relinquentes omnes centum fere animae navi affuimus.

Parietes inter cellas *Gloriae Scott*, minime e firmo ligno querneo facti, ut mos est harum navium magnarum ad damnatos vehendos, erant tenues et fragiles. Iuxta me, ad puppim versus, sedebat homo quem iam bene notaveram cum per molem portus ducebamur. Iuvenis erat pura facie sine barba, naso tenui ac longo, maxillis nucifragae forma. Gradiebatur capite alte erecto, gradu quasi pomposo, res tamen in eo maxime notabilis proceritas corporis erat. Credo neminem nostrum ad humeros quidem eius capite non attigisse, sine dubio homo erat staturae sex cum dimidia pedum. Mirum id videbatur inter tot homines tristes ac defatigatos vultus emineri faciem vi animoque plenam – diceres ignem in procella nivali. Nunc ergo valde gaudebam eum vicinum meum fore, gaudens plus etiam cum ei foramen exterebrare contigisset in planca, qua separati eramus. Quod multa nocte inveni e somno eius in aurem meam murmuratis verbis excitatus.

- Amice – dixit. – Quomodo nominaris, qua re damnatus es?

Respondi, vice versa eadem eum rogans.



- Nomen mihi Jack Prendergast et, pro deum, laudibus me vero etuleris, antequam valde sibi dicemus!

Recordatus sum me de casu eius audisse, nam modo antequam apprehensus sum, ille tumultum magnum excitaverat, oculos hominum in se convertens. Prendergastem e bona venisse familia, dotibus omnibus a natura praeditum, pronum tamen ad maleficium, systemate suo quodam ingenioso dolorum summas permagnas pecuniae e principalibus Londinii mercatoribus elicuisse.

- Meministine casum meum? – rogavit superbe.

- Satis bene.

- Nonne aliquid mirum tibi in hoc videbatur?

- Quid?

- Collegi paene quartam milionis partem, nonne?

- Ita dicebatur.

- Nihil tamen e me recipere iis contigit.

- Nihil.

- Ubi tu censes hanc pecuniam esse?

- Omnino ignoro...

- Teneo eam indice polliceque manus dextrae – respondit fere clamans. – Di boni, plus librarum nomine meo sunt adscriptae quam capiti tuo capillorum! Et si habes, comes, tantam copiam pecuniae et scis, quid tibi cum ea sit faciendum, potes vero *omnia*! Nunc, mi puer, spero te non credere hominem, qui potest omnia, velle deterere bracas sui desidem inter rattos blattasque sedens odorem olfaciens huius arcae funebris alicuius lenunculi oris Sinensibus digni? Nullo pacto! Homo talis potius fortunam sui curabit suorumque amicorum – huius rei esse potes certus. Eum sequere et bibliam mox basiabis, gratias deo agens pro liberatione!

Talis – ut postea animadverti - erat ei modus solitus loquendi. Primum non valde serio tractabam promissa eius, deinde tamen, postquam ab eo probatus

necnon adiuratus eram, patefecit se re vera rebellionem una cum decuria damnatorum iam antequam navim ascenderunt caute parasse. Prendegast dux, dum pecunia eius sit spiritus movens huius coniurationis.

- Socium ab initio habebam – explanabat. – Hominem bonae mentis, fidelem. Ei omnem istam pecuniam tradidi; ubi, dic mihi, ambos nunc esse putes? Miraberis fortasse, sed hic adsunt, in lenuncula ipsa! Socius ille capellanus est. Ascendit navem supparo nigro vestitus, documentis ultra suspicionem ullam, in sarcinulis ferens pecuniam tantam, ut statim emere naviculam hanc totam posset, a carina usque ad summum malum cum vexillo ipso. Nautarum possidet et animas et corpora – emerat eos coniunctim, pretio quidem dimidiato, antequam ipsi pactum cum navarcho firmaverunt. Corrupti sunt ab eo etiam duo vigiles, alterum classicum nomine Mercer, potuisset quoque praefectum ipsum emere, si id ei operae pretii esse visum esset.

- Quid ergo nobis sit faciendum?

- Et quid censes? – respondit. – Iaccas nonnullorum militum magis rubras reddemus, quam sartor voluit.

- Sed illi armati sunt!

- Et nos armati erimus. Omni cuique nostrum adest hic par pistolium. Itaque, si navem capere militibusque pisces alere nequeamus, tempus sit nobis potius ad ludimagistrum reverti. Hodierna nocte loquere cum comite tuo a laeva, specules, an credendus esse possit.

Ita hac nocte feci et animadverti alterum vicinum meum esse iuvenem simili statu ut meo; criminis falsarii damnatum. Nomen ei erat Evans, quod nomen postea, sicut ego, mutavit; nunc est ille opulentus vir, cui bene in vita successit, habitans in Anglia meridiali. Statim paratus erat coniurationem inire, nam sola haec facultas salutis nobis erat, antequam igitur sinum Vasconibus nondum ante puppim relictis habuimus iam in coniuratione omnes praeter duos damnatos: alter mente captus, vix ergo credendus alterque febri flava laborans, omnino ergo nobis inutilis. Ab ipso initio itineris nihil rerum evenit, quae impedire nos in consiliis nostris progrediendis possent. Nautae mandra barathrorum erat, caute ad talem rem perficiendam electorum. Capellanus falsus cellas nostras visitare solebat, quasi animas nostras pascens, ambulabat autem semper cum sacculo nigro ad litteras sacras portandas. Visitabat nos ita saepe, ut tertio die iam omnes nostrum tenebat latentia sub cruribus duo pistolia, limam, duas saltem libras pulveris nitrati necnon viginti glandes plumbeas. Duo vigilum coniurationi aderant, dum classicus manus dextra erat ipsius Prendergast. Contra nos habuimus tantum praefectum navis,

duos classicos, duos vigiles, medicum necnon locumtenentem Martin cum duodeviginti militibus. Hos omnes, licet viribus nos adaequare nullo modo possent, media nocte adoriri decrevimus, ne minima quidem occasio repugnandi iis daretur. Fata tamen aliter voluerunt, nam pugnatum est multo citius, quam opinabamur.

Quodam vespero, circiter tres post septimanas itineris, medicus in subconstratum descendit, ut aliquem damnatorum morbo laborantem curaret et cum casu manum spondae imae lecti applicasset, pistolium absconditum se tetigisse intellexit. Si tacuisset nihil se ibi invenisse vultu prodiens, sine ullo impedimento cellam reliquisset, totae conspirationi finem ponens. Pistolio tamen ab eo modo tacto, facies medici pallidissima facta est ipseque clamorem obstupens ore edidit, aegrotus ergo statim rem sentiens manus medico intulit. Antequam magna voce auxilium vocare quiret, ore obturamento farcta supinus iam in carina iacebat, deinde in pronum versus, ut facilius esset damnato manus eius pedesque ligare. Ianuam ad constratum ducentem reliquerat medicus reclusam, mox ergo foras nos omnes inveniemus. Repente necati sunt duo vigiles necnon decurio, qui a propinquo, ut videret quid tale hic fieret, accucurrit. Duo alii milites occisi a nobis sunt ad portam cenaculi stantes; hi, periculi ignari, sclopeta muscaria videlicet glandibus non onerata tenebant, nam omnino non valebant in nos adversus currentes sclopetare, cuspidibus sclopeta tunc instruere conantes. Deinde pedes in diaetam praefecti vertimus, sed modo hoc momento cum ianuam conclavis aperituri eramus, sclopetatum est intus et mox conspeximus praefectum, capite eius in chartam Oceani Atlantici in mensa distentam infixo; iuxta sacerdos stabat cum pistolio adhuc de fistula fumanti. Capti sunt etiam ambo classici, itaque consideravimus rem finitam esse.



Cenacula sita erat iuxta diaetam praefecti. Advenimus huc omnes, corpora nostra in stibadia commodissima iecimus et blaterare ut mente capti coepimus, libertate restituta ebriati. Locus arcarum plenus erat, ex una quarum sacerdos falsus Wilson produxit decuriam lagoenarum fuscicoloris vini Astensis. Fregimus capita lagoenarum, vina poculis infudimus et iam iamque potaturi eramus, cum sclopetatio repens muscariorum subito personuit omnesque nos statim fumo obcaecati sumus. Qui fumus cum subsedit, cenaculam in locum caedis mutatam esse reperimus: Wilson octoque alii in solo volvebantur, tota mensa sparsa mixtura sanguine eorum cum Astensi – adhuc etiam, cum hanc picturam ad memoriam revoco, male me habeo. Tantopere hoc aspectu

perterriti sumus, ut sine dubio deditionem tunc cito fecissemus, defuisset nobis Prendergast. Hic horribili voce boans se adversus ianuam iecit, omnibus nobis superstitibus pedes ducis sequentibus. Foras iam stantes advertimus locumtenentem Martin cum decem suorum. Costae fenestrae rotabilis, qua lacunar cenaculae instruebatur, paululum apertae manserunt; hoc foramine utentes milites nos grandine plumbeo modo adorti sunt. Tunc tamen vis maior erat nostra – antequam reonerare sclopeta iis contingeret, iam manus in eos intulimus et quamquam fortiter repugnabant, quinque minutis pugna erat confecta. Qualis caedes, di immortales! Rabie raptus Prendergast currebat modo huc modo illuc, corpora militum, tam mortuorum quam sauciorum, tollens necnon in altum iactans. Inter victimas eius erat unus suppraefectus horribile sauciatus, cui nihilominus satis longe circum navem nare contingebat, donec quis damnatorum gratiae ictu caput ei glande perfodit. Pugna finita, non restabat hostium nemo praeter duos vigiles, tribunos et medicum.

De his, quomodo scilicet agendum cum iis esset, inter nos rixa exorta est. Omnes gaudebamus libertate restituta, multi tamen nullo modo necis merae participes esse voluerunt. Una res est in pugna milites armatos occidere, alia inermes animo praesente necare. Octo nostrum, id est quinque damnatorum necnon tres nautae, diximus nos nullo modo in tali re socios velle. Prendergasti sectatoribusque eius nullo modo tamen ad rationem nostram persuadere quivimus. Asseverabat ille nobis rem ad finem pergere debere, ne sola in mundo lingua restaret viva, quae postea contra nos testificari posset. Haud multum aberat, quin nos octo sortem militum assequeremur, tandem tamen Prendergast dixit nos posse unam cymbarum navis prendere navigareque eo, quo liberet. Quam condicionem avide accepimus, satis enim iam nobis erat huius sanguinarii furoris atque expectabamus peiora quidem ibi patranda. Donatus est quisque nostrum veste et compasso nauticis, dolio aquae potabilis necnon duobus doliolibus: uno carne muriatica, altero pane biscocto fartis. Insuper iecit Prendergast nobis in cymbam chartam et iussit simulare nos naufragos esse navis modo submersae 15° latitudinis septentrionalis et 25° latitudinis occidentalis. Deinde dissecavit restem sivitque proficisci.

Restat, ut pergam, mi fili carissimi, ad mirissimam partem meae narrationis. Tempore pugnae nautae dimiserant velum priorem, nunc tamen, nobis octo amotis, denuo eum intenderunt et leni Cauro utentes a visu nostro lente evanuescebant, dum cymba nostra modo surgebat modo cadebat motu undarum ducta. Ego et Evans, nam ambo maxime omnium periti rerum videbamur, ad chartam nos applicavimus, positionem nostram definire ac consilium capere conantes de meta navigandi. Difficultas hic haud parva erat, nam ab Insulis Promunturii Viridis fuimus circiter quingentis miliaribus ad meridiem remoti, dum ad oras Africanas petendas esset nobis per septingenta

miliaria nautica ad orientem remigare. Cum Caurus se interim in Boream mutavisset, decrevimus Montem Leonicum peti eiusque in directionem rostrum cymbae intendimus.*Gloria Scott* iam vix visibilis mansit a dextra. Cum eam valedicendo intuebamur, repente loco eius conspeximus arboriformem nubem densi atricoloris fumi, deinc, nonnullis secundis horae partibus elapsis, ad aures pervenit fragor tonans detonationis. Fumo deinde recesso nullum signum navis in horizonte haerens conspeximus. Statim cursum cymbae revertimus et omnibus viribus remigantes ad locum calamitatis quam celerrime adpetere conati sumus.



Post circa horae tempus ibi adfuimus. Primo aspectu neminem superstitem esse credideramus, reliquiis tantum fractae navis magnoque numero arcarum sustentaculorum veli necnon aliorum instrumentorum fluctuantibus in undis. Iam iamque cursum pristinum repetituri sumus, cum statim audivimus clamorem salutis inspeximusque procul reliquias quasdam deinde hominem iis desperanter haerentem. Cum contigerat nobis eum e mari in cymbam extrahere, invenimus eum iuvenem nautam nomine Hudson esse. Erat tamen tam fessus igneque displosionis adustus, ne ante proximum mane nobis quod in navi evenerat narrare quiret.

De narratione hac reperimus Prendergastem mandramque eius coepisse, statim post profectionem nostram, consilia sua prava ad effectum perducere. Plumbo traiecti sunt et in mare iacti vigiles ambo, item de tertio classico actum est. Prendergast deinde in subconstratum descendit, ut manu ipsa iugularet infelicis medici. Vivus adhuc mansit tantum classicus quartus, vir fortis atque audax. Inspiciens homicidam sibi appropinquantem manu sanguinolento cultro armata, pedibus catenam propulsavit, quam aliquo modo ei laxare contigerat et sine mora ipse in subconstratum decurrit ibidem evanuit.

Repertus a duodecim damnatis, pistoliis eorum in se versis, sedebat quietus pyxidem sulphuratorum prope ad apertum dolium pulveris nitrati – at iuxta centum fere aliis similibus doliis positis - tenens minansque navem displosurum. Tunc statim re vera ad displosionem perventum est, quae displosio potius – putabat Hudson – effectus male petitae glandis unius damnatorum, quam sulphurati ipsius classici erat. Sit causa qualisvis, finis id erat *Gloriae Scott*mandraeque nequam, quae ea potita erat.

Ita, care fili, se habuit – brevibus verbis narrata – haec tota historia horrifica, cui et ego particeps fui. Postero die reperti sumus a brigantina *Hotspur*Australiam petenti, cuius praefectus per reliquam partem itineris nos naufragos esse navis vectoriae sine ulla videlicet suspicione credebat. Admiralitas inscripsit *Gloriam Scott* libris damnorum nec homo aliquis alius umquam de eius vera sorte didicit. Descendimus de Hotspur Sydneii; Evans et ego nomina nostra clam mutavimus necnon venas auri quaerendo nos homines novos dedimus. Ibidem, in mixtura inquilinorum, haud difficile erat identitatem nostram pristinam occultam tenere.

Ultimam partem narrationis scis fere totam iam ipse. Fortuna nos adiuvabat, per orbem terrarum cursitabamaus, deinde in Angliam revertimus ut opulenti coloni, coementes nobis hic praedia rustica. Plus quam per viginti annos pergebamus ita tute ac feliciter vitam agere, putantes res praeteritas bene in sempiternum sepultas esse. Finge ergo tibi horrorem, qui me arripuit cum in persona visitatoris nostri recognissem Hudsonem illum, cui tunc vitam servavimus. Aliquo modo nos ei invenire contigerat et consilium cepit se nostro timore profecturum. Nunc certe veniam mihi dabis, quod conarer cum eo tam leniter agere, intelleges quoque sollicitudinem meam, cum iste ad alteram vicinam profectus sit, minas de ore emittens."

Deinde scriptura haud legibilis fit, sine dubio manu maxime trementi calamus ducebatur: "Beddoes nuntiavit mihi per notas secretas Hudsonem omnia patefecisse. Benevolens sit deus animis nostrum!"

Ita, mi Watson, finita est narratio huius casus, quam illo vespere recitabam iuveni Trevor; casus, credo, pro circumstantibus eius, satis horrifici. Puer hic bonus, corde eius omnino fracto, in regionem Terai Nepalensium migravit, ut plantationes theae curaret; audivi ei ibi satis bene successisse. Quod tamen ad nautam necnon dominum Beddoes pertinet: a die quo scriptum est a Beddoes nuntius hic secretus, nullum signum inventum est utriusque, diceres in barathrum ambos lapsos. Astyphylacibus autem nulla umquam delatio oblata est verae sortis *Gloriae Scott* – Beddoes ergo verisimiliter erravit, minas Hudsonis pro re iam facta aestimans.

Ipse Hudson a nonnullibus huius regionis incolis postea latens visus sit, biocolytae putant eum evanuisse postquam pecunia quadam Beddoes potitus erat. Ego econtra dominum Beddoes puto activas partes in fine huius ludi egisse: maxime probabile mihi videtur eum, in desperatione credentem se proditum perditumque iam esse, necavit Hudsonem et pecunia sua omnis collecta in terras quasdam remotas effugit.

Haec sunt huius casus facta, mi Watson, quae si collectioni tuae apta esse dignaveris, libenter tibi praebebo.

Equitis Arturi Conan Doyle
HOLMESIACA
sive gesta memorabilia detectoris Sherlock Holmes
imaginibus originalibus Sidneii Paget ornata - In Latinum vertit Stanislaus Tekieli

---

Proxenetae functionarius



Statim postquam uxoratus eram domum emi concessionemque ibi artem medicinalem peragendi in tribu Paddington. Vetus medicus Farquhar, a quo hanc domum suscepi, fuerat olim illustris medicus generalis, aetas tamen provecta morbusque eius – aliquid choreae Sancti Viti simile – privaverunt eum maxima parte valetudinariorum fidelium. Homines naturaliter ad opinionem veniunt medicum sanum esse debere, ut alios sanare possit minimeque autem credunt his, qui seipsos curare nesciant. Viribus ergo decessoris mei decrescentibus decrescebat quoque numerus valetudinariorum, et cum praxim ab eo suscepi, non dabat iam illa, ut olim solebat, mille ducentas, sed solas trecentas (aut paululum plus) libras. Fidem tamen in iuventutem viresque meas posui atque credidi me in paucos annos gloriam et prosperitatem pristinam repetiturum.

Tribus primis mensibus post susceptionem praxis laboris mihi re vera erat multum, nec potui amicum meum Sherlock Holmes tunc saepe videre, nam ipse nimis occupatus non facile potui domum eius in Baker Street visitare, ille tamen rarissime proficiscebatur quoquam, nisi professione sua ductus. Rebus ita stantibus valde miratus sum, cum uno die mane mensis Iunii – cum, ientaculo sumpto, ad *British Medical Journal* legendum modo me applicaveram – tintinnabulum audivi statimque post fortem, quasi asperam vocem mei veteris amici.

- Watson mi carissime! – dixit locum intrans – Gaudeo valde te sanum reperiens. Spero dominam Watson iam animum recuperasse, istis rebus

paululum, admitto, sollicitantibus, in quas incidimus casum "Subsignationis quadruplicis" solvere conantes, omnino finitis.

- Gratias pro curis tuis, ambo bene nos habemus – respondi, manum eius ex animo comprimens.

- Spero quoque – continuabat, in sellam arcuatam corpus suum ponens – praxim medicinalem non omnino te privasse studio nostrarum parvularum quaestionum deductionis.

- Immo econtra – reclamavi. – Modo heri percurri meas veteres adnotationes nonnullas casus nostros denuo mente tractans.

- Spero te non putare collectionem hanc tuam fabularum nostrarum finitam esse?

- Quid tu dicis? Nullam rem magis cupio, quam nonnullas plures tales experientias.

- Sit id etiam hodie?

- Quidni.

- Etiam si usque ad Birminghamiam sit nobis eundum?

- Si ita dicis...

- Et praxis tua?

- Interdum ego partibus vicini fungor, remunerationis proinde causa spero eum res meas ad tempus curaturum.



- Ha, melius fieri non potest! – dixit Holmes, in arcum sellae corpus profunde reiciens, nunc intuens me benevolentia plenis oculis, e parte occultis parum compressis palpebris. – Percipio nuper non optime te habuisse. Istae aestivae rhinitides semper tam iniucundae fiunt!

- Praeterita hebdomade turpiter perfrigui, per tres dies domi manere debebam. Putavi tamen nullum adhuc vestigium morbi relictum esse...?

- Sine dubio, omnino sanum esse mihi videris.

- Quomodo ergo cognovisti?

- Num nescis, amice, methodos meas?

- Deduxisti id!

- Ita.

- De qua tamen re?

- De calceis tuis.

Inspexi breviter calceamenta mea nova laccata, pedibus induta. – Quomodo, hercle...? – rogavi, sed Holmes respondit ad rogationem antequam eam ad finem pronuntiare quirem.

- Calcei hi tui – coepit – satis novi mihi videntur; non uteris iis plus quam tribus quattuorve ultimis septimanis. Soleae, quas hoc temporis momento mihi monstras, sunt tamen paululum adustae. Primo aspectu putavi te eas aliquo in loco madidas reddidisse deinde ambusisse ad fornacem eas exsiccare conans. Dorso tamen adest parva rotunda scidula adhaesiva cum signo fabricatoris. Quae scidula sine dubio in umore se deglutinasset. Coniectavi proinde te per tempus longius ante fornacem calceis omnino siccis assedisse, quod vixdum mos hominis bonae valetudinis esset, etiam in isto hornotino pluviis plenissimo Iulio.

Ut omnes coniecturae Holmesianae, etiam haec videbatur simplicissima factu, certe demum postquam ipse eam exposuerat. Quam opinionem me habere ille e vultu mea statim legit, tunc in risu eius aliquid quasi acerbitatis apparuit.

- Timeo me methodosque meas nimis detegi cum talia explicem. Multo magis admirationem evocant eventus, si non dantur eorum causae. Paratus ergo es Birminghamiam mecum petere?

- Certissime. Sed qualem casum sequimur?

- Hoc tibi iam in tramine dicam. Cliens meus exspectat foris in raeda conducticia. Possumusne statim proficisci?

- In duas minutas.

Citissime scripsi nonnullas notas ad vicinum, cucurri in tabulatum, ut uxorem proficiscendi certiorem facerem, deinc secutus sum Holmes in limine domus me exspectantem.

- Vicinus tuus quoque medicus est... – dixit, nutu capitis tabellam aeream in ianua vicini mei pendentem monstrans.

- Ita vero. Praxim hic agere coepit, item ut ego.

- Suscepitne praxim a vetere quodam medico?

- Ita. Ambo nostri decessores habitaverunt hic abhinc haec aedes ipsae aedificatae erant.

- Tuus tamen decessor plures valetudinarios habuit quam ille.

- Ita credo. Quomodo id cognovisti?

- Scalas inspiciens, mi puerule. Tuae detritae sunt tribus digitis profundius quam eius. Hic tamen ecce vir in raeda conducticia est cliens meus, dominus Hall Pycroft. Sine, ut te ei notum reddam. Et tu, auriga, equos agas, nam tramen amittere minime volumus!

Vir adversus me sedens fuit homo robustus, adhuc satis iuvenis, recenti colore cutis, sincero vultu ornato angusta linea flavi mystacis. Capite operto splendente pilleo tubulato, pereleganti nigricoloris veste, pertinebat ille sine dubio ad classem horum de capsula iuvenum Londinensium, quos *Cockneys* nominare solemus, quorum nihilominus constant selectae nostrae legiones voluntariae necnon agmina optimorum insularum Britanniae athletarum. Rotunda eius atque erubescens facies radiabatur innata ei quadam hilaritate bonitateque animi, angula oris tamen videbantur mihi occultare aliquam anxietatem, quod una aspectum paululum ridiculum praebebat. Qualia eum ad amicum meum adduxissent didici demum in curru primae classis traminis Birminghamiam petentis.

- Septuaginta proximis minutis – dixit Holmes – sine interruptione tramen curret. Velim, domine Pycroft, ut narres meo amico omnia de tuo vere insolito casu recte ita, sicut mihi ea narrasti. Si aliqua nova facta in memoriam tibi venient, certe non detrimenti id nobis erit. Utilitati etiam meae id fore, denuo totam sequentiam eventuum auscultare. De re agitur, Watson, ubi aliquid maximi momenti haerere possit aut fortasse omnino nihil, sine dubio tamen casus scatet his incredibilibus et *outré* eventibus, quibus tu sicut ego delectari semper solemus. Nunc tamen, domine Pycroft, interrumpere tibi plus nolo.

Comes noster iuvenis intuitus est me oculis splendentibus.

- In hac – coepit - historia pessimum est me stultissimum sub sole asinum se praebuisse. Fortasse omnia etiam nunc bene evenire poterunt, nec vero scirem,

quomodo aliter agere potuerim. Si tamen, quod probabilius videtur, munus bonum perdidi sine compensatione ulla alibi, putabo meipsum Iohannem illum Caudicem esse. Non sum rhetor optimus, domine Watson, res meae tamen plus minusve ita se habebant:

Munus mihi erat apud negotiationem Coxon & Woodhouse, quae societas in tribu Drapers' Gardens sedem habebat. Vere tamen hornotino ineunte, ut fortasse in memoria adhuc tenetis, societas haec in difficultates maximas incurrit propter creditum istud Venetiolanum, quo permulti omnino decocti facti sunt. Fueram apud illos per quinque annos et licet dederit mihi vetulus Coxon optimas litteras commendaticias, cum ipsi sub hasta miserrime venissent, munus amisi una cum omnibus viginti septem functionariis. Quaerebam munus novum ubique sed idem eodem tempore faciebant illi viginti septem necnon alii iuvenes sine labore, satis longe ergo ancoram nusquam iacere valebam. Apud Coxones emerebam tres libras per septimanam, circiter septuaginta ita collectas tenebam, quae tamen citissime dissipatae sunt. In fine nihil pecuniae habui, nisi pittaciis cursualibus emendis, ut possem ad praeconia in ephemeridibus divulgata respondere, necnon involucris, quibus illa pittacia agglutinarem. Soleas detrivi graphea pervaria ambiens, sed nullo modo propius munus inveniendo me manere sentiebam.

Tunc inopinate audivi de munere occupando apud Mawson & Williams, qui pecuniam in syngraphis collocant quorumque sedes in Lombard Street sita est. Vos, domini, harum rerum periti fortasse non estis, sinite mihi ergo id addere, eos unam divitissimarum societatum commercialium Fori a mercatoribus putari. Praeconium litteris tantum cursualibus - non in persona scilicet - respondendum erat, misi ergo iis meas litteras commendaticias necnon petitionem, sine tamen magna spe boni eventus. Responsum tamen mihi statim allatum est a tabellario, quo responso Mawson & Williams nuntiant me ad eos venturum exspectaturos proximo die Lunae mane, ubi munus mihi statim inire licebit, si certe praestiterim me operarium tam bonum esse, ut domino Coxoni antea visus eram. Numquam scis, quomodo talia decernantur. Sunt qui dicunt rectores temere epistulas eligere, ad primam digitis tactam deinde respondentes. Quidquid erat, tunc sortem felicem mihi attributam esse putavi et sane non credo me in vita mea reliqua diem tantopere felicem denuo habiturum. Salarium hebdomadale una libra maius promitterunt, quam apud Coxones habueram.

Nunc tamen ad res in hac historia mirissimas advenimus. Habitabam subconductione in via Hampstead, domicilium mihi erat Potter's Terrace 17. Vespere eiusdem diei domi in sella sedebam fumum sugens, cum venit ad me habitaculi conductrix portans chartulam salutatoriam alicuius hominis, quem ad portam domus me exspectantem annuntiavit. Legebatur in chartula: Arturus

Pinner, proxeneta nummarius. Numquam nomen hoc audiveram nec scivi, quid sibi a me velle hic homo posset, certe tamen rogavi mulierem, ut eum introrsus mitteret. Conclave intravit vir mediae staturae, capillis, oculis barbaque nigris, naso aliquantulum nitenti. Gerebat se fortiter et loquebatur brevibus verbis, ut mos hominum est, qui pretium sui sciunt.



- Dominus Hall Pycroft, praesumo? – dixit.

- Adsum – respondi, sellam ei monstrans.

- Olim munere fungens apud Coxon & Woodhouse, nonne?

- Ita vero.

- Et nunc modo invitatus a Mawson & Williams?

- Ita recte.

- Bene – continuabat. – Audivi modo mentiones vere laudabiles ingeniorum tuorum in disciplina argentaria. Meministine illum Parker, qui rector fuit apud Coxones? Hic te laudare numquam satis habet!

Ultra dubium, talia audere mihi pergratum erat. Operam, puto, navabam satis bene Coxoni et consortibus, numquam tamen somniavi de me personaliter in Foro sermones habitum iri.

- Esne homo bonae memoriae? – rogavit vir ille.

- Non tam malae saltem, credo – redpondi modeste.

- Sequebarisne motus mercatus syngrapharum etiam postquam munus amiseras?

- Ita, domine, cottidie mane indicem bursae legebam.

- Tu vero homo laborosus es! – conclamavit. – Ita progrediens sine dubio multa petere poteris. Sinesne mihi te paululum nunc examinare? Exspecta... Quomodo syngraphae Ayrshires se habent?

- A centum et sex cum quarta usque ad centum et quinque cum septem octavis.

- Et New Zealand Consolidated?

- Centum quattuor.

- Quid autem de British Broken Hills?

- A septem usque ad septem cum sexta decima.

- Optime – exclamavit. – Haec omnia satis congruunt illis de te opinionibus, quas audivi. Amice, tu nimis bonus es, ut apud Mawsones munere simplicis functionarii fungaris!

Tali laudatione percussus nescivi primum quid responderem. – Minime, domine Pinner! – dixi tandem. – Alii vero non tam bene me aestimant ut tu. Non erat mihi tam facile hoc munus invenire et valde nunc gaudeo id mihi contigisse.

- Eh, homo tu mi bone, debeas sane meliorem opinionem de teipso tenere. Dicam tibi, quomodo in mea negotiatione te habeamus. Non possimus tibi ita nunc solvere ut re vera mereris, multo nihilominus plus quam apud Mawsones. Sed si de hac iam re... Quando tibi est apud eos incipiendum?

- Proximo Lunae.

- Hahahae! Animo aleatorio praeditus dicerem te apud eos omnino non functurum.

- Cur, quaeso?

- Nam hoc die iam eris rector mercaturae Franco-Midland Hardware, societatis restrictae responsabilitatis, quae societas possidet centum triginta quattuor filias in urbibus oppidisque Francogalliae necnon unam Bruxellis unamque aliam in San Remo.

Animo omnino destitutus mansi.

– Numquam de tali societate audivi – murmuravi post temporis momentum.

- Nimirum. Negotiationem sine nimio tumultu mercatui introducere conamur, nam cuncta pecunia capitalis a locutoribus privatis subscripta est, res enim nimis prosperosa videtur, ut in manus publicas detur. Prima dividenda lucri peracta in lucem prodibimus – tunc frater meus Harry Pinner praeses consilii administrativi officialiter fiet. Sciens me in Foro versaturum rogavit, ut adducerem ei aliquem bonum ac strenuum iuvenem, qui non posceret summas

quasdam horrendas salarii. Initio tibi praebere possimus solas miseras quingentas libras...

- Quingentas libras per annum! – exclamavi.

- Tot tantum tempore initiali, sed habebis insuper centesimam proxenetici ex omni venditione ab exploratoribus tuis ad finem peracta, quod, mihi crede, plus erit tibi quam totum salarium.

- Sed ego de mercatura ferramentis nihil scio.

- Nil refert, puerule, satis sit, ut re rationaria calleas.

Vertigine capitis statim laborare coepi, ita ut vix me in sella sedentem tenere quirem. Deinde dubitationes mentem invaserunt.

- Ero tecum sincerus, domine Pinner – locutus sum. – Mawson dat mihi tantum ducentas, sed rem certam praebet. Tu autem... Ego nihil prorsus de negotiatione tua adhuc audivi nec...

- Puer callidissime! – interrupit mihi voce enthusiasmi plena. – Recte talibus nobis opus est! Sermone ipso nullo modo es vincendus et recte, edepol, agis. En tibi igitur, charta centum librarum; si putas nos ambos pacem ferire posse, tua est ut arrabo salarii futuri et potes eam in sinum vestis tuae ponere.

- Gestum id est vero perurbanum – respondi. – Et quando mihi sit incipiendum?

- Cras hora prima Birminghamiae esse debebis. Hic, in sinu, teneo litteras ad fratrem meum, quas, ut ei tradas, te libenter rogo. Invenies eum in Corporation Street, aedes 126B, ubi provisiorium grapheum societatis habetur. Acceptatio tui a fratre meo officialiter confirmari debet, sed - maneat id inter nos – res iam certa est.

- Re vera nescio, quomodo gratiam tibi referre possim, domine Pinner – dixi.

- Minime hoc opus est, amice; accepisti tantum, quod sine dubio mereris. Debeo quoque nonnullas res parvas, formalia scilicet quaedam, ad finem perducere. Illic in mensa habes chartulas quasdam. Tene unam scribeque in ea: *Assentior munus suscipere in Franco-Midland Hardware, societate restrictae responsabilitatis, salario minimo annuali 500 librarum.*

Feci, quod rogaverat, chartulam ei dedi, quam ille in sinum sibi posuit.

- Remanet una sola quaestio – annotavit. – Quomodo rem Mawsonibus nuntiabis?

Fateor me gaudio novissimo percussum omnino de munere incipiendo apud Mawsones oblitum esse.

- Mittam eis epistulam, dicens me munus apud eos renuntiare.

- Sed hoc id ipsum est, quod te facere nolo. Scis... locutus sum modo de te cum administro Mawsonis, volui enim plus de te scire, antequam consilium caperem. Ille, sentiens me te a se capturum esse, non omnino bene, ut ita dicam, se contra me gerere coepit. Tandem mihi patientiam abrupit, proinde vociferatus sum: "Si tales bonos homines apud te laborare vis, debes saltem salaria humaniora eis praebere!" Tunc ille: "Eliget puer potius pecuniam parvam nostram, quam magnam apud te." Ad quod ego, nam, ut dixi, animus aleatorius mihi adest: "Sponsionem tecum quinque librarum feriam, eum, postquam a me munus ei oblatus sit, numquam apud vos pedem positurum." Et ille: "Sit ita! De cloaca eum extraximus, non relinquet ergo nos tam facile." Talibus ad unguem verbis usus ille est.

- Scelus nequam! - vociferatus sum. – Ne semel quidem hominem in persona vidi; cur de eo nunc omnino curem? Si tibi ita placet, nihil eis nuntiam.

- Bene, pacta ergo provisa sunt – dixit, de sella surgens. – Magnopere gaudio me tam bonum hominem fratri meo invenisse. Ecce arrabo tuus, centum librae, hic autem epistula ad fratrem. Memor sis domicilii: Corporation Street 126B, necnon temporis – hora prima crastina postmeridiana. Bonam noctem opto necnon felicitatem futuram, bene a te emeritam!

Haec omnia sunt, quae inter nos illo die evenerunt, quae repetere conor tam fideliter, prout memoria sinat. Potesne, domine Watson, tibi fingere gaudium meum, cum mihi post tam longum tempus miseriarium tantopere contigisset? Dimidiam partem noctis vigilabam mente cogitationibus mihi gratulatoriis plena et postero die profectus sum Birminghamiam tramine, quod satis mature hanc urbem peteret, ne ad constitutum casu sero venirem. Sarcinas in deversorio quodam in New Street deposui, sequens deinde supradictum domicilium.

Adveni illuc quadrante horae maturius, quam deberem, sed id nullius rei referre putabam. Aedes 126B domus transitoria est inter duas magnas tabernas, quae ducit ad scalas cochleatas e lapide factas, e quibus aditus in multa tabulata plena locis elocatis, ut sunt graphea variarum societatum commercialium aut ergodotarum. Pedeplanis in pariete videbantur tabellae

cum harum societatum nominibus, nullam tamen conspexi, quae ad Franco-Midland Hardware, societatem restrictae responsabilitatis, pertineret. Per temporis momentum ibi stabam, demissione animi raptus; in mentem venit haec omnia fortasse callidum alicuius hominis dolum esse. Tunc tamen ad me appropinquavit vir quidam meque alloquens, valde similis illo, quocum locutus eram praeterito vespere, eiusdem scilicet staturae vocisque, genis tamen caute rasis necnon flavioribus capillis.

- Tune Hall Pycroft es, domine? – rogavit.



- Ita – respondi.

- Bene, exspectabam te iam, quamquam nondum est constitutum tempus. Hodie mane litteras a fratre meo accepi, plenas ingenii tui panegyricorum.

- Modo invenire grapheum tuum conabar...

- Ah, ita, nondum tabella nobis hic adest, nam hunc provisorium locum conduxerimus praeterita demum septimana. Eamus sursum, ibi de omnibus loqui poterimus.

Sequebar illum per scalas gradientem usque ad subtegulaneum, ubi intravimus nonnullas pulvere sparsas cameras, sine tapete nec velis. Exspectaveram grapheum permagnum cum splendidis mensis, plenum ordinum functionariorum – tales enim sedes societatum nummarium videre adhuc solebam. Aliquod proinde deprehensus intuebar mensulam parvam duasque ligneas sellas, quae una cum indice rationum necnon corbula chartaria tota supellex camerae erant!

- Hac re noli animam perdere, domine Pycroft – dixit, faciem meam videns stupore oblongiorem fieri. – Non est Roma uno die aedificata. Possidemus satis pecuniae, mihi crede, sed quod ad graphea pertineat, nolumus aliquem obstupefacere, ad tempus saltem. Assede, quaeso, et da mihi illas litteras fratris.

Dedi ei epistulam, quam cautissime perlegit.

- Videris mihi excitasse admirationem permagnam fratris mei Arturi – dixit – et bene scio eum visu acutissimo homines aestimare. Licet multis in rebus sint nobis iudicia varia, nisi immo contraria, hoc in casu consilium eius sequar. Munus ergo abhinc tuum officialiter est.

- Qualia tamen erunt officia mea? – rogavi.

- Postea eris rector tabernae magnariae Lutetiae Parisiorum, cum scilicet merces ferreas Anglicas in centum triginta quattuor filias nostras per totam Francogalliam distribuere coeperimus. Tabernam hanc spatio proximae hebdomadis ememus. Ante hoc tempus manebis mecum hic Birminghamiae, mihi auxilium ferens.

- Quomodo?

Loco respondendi extrahit e forulo ductili mensae ingentem rubricolorem librum. – Hic tibi est index domiciliorum Lutetiensium - explanavit. – Nominibus munera hominum adiacentur. Invenias, sodes, omnes mercatores ferramentorum domiciliaque eorum, pergratus tibi ero.

- Nonne adsunt Lutetiae indices secundum negotia praeordinati?

- Adsunt sed hi pro dolor parum sunt credendi. Galli aliud quam nostrum systema in his rebus sequuntur. Des te, quaeso, paululum in hunc laborem cuius effectus die Lunae hora meridiana mihi adportabis, sit ita bene? Vale ergo, mi domine Pycroft; si cum ardore tuo auxilium nobis afferre perges, invenies certe societatem nostram gratiam referre bene scientem.

Reverti in deversorium ingenti cum libro sub ala, mente valde conturbata. Una ex parte officialiter in munus acceptus eram, arrabonem in sinu tenebam, ex altera tamen... graphei aspectus, tabella nulla cum nomine societatis aliaque circumstantia, quae mirissima omni in mercatura perito videri deberent – haec omnia haud optimum me aestimare coegerunt statum verum ergodotae mei. Nihilominus ad laborem perficiendum me mox applicavi laborabamque assidue per totam diem Solis, non longius tamen die Lunae ante meridiem perveni, nisi ad litteram H. His cum effectibus veni ad ergodotam meum, quem denuo inveni in vacuo grapheo, ubi accepi ab eo iussa cum labore pergere visitareque eum rursus die Mercurii. Hoc tamen die nondum etiam ex indice nomina mercatorum captare finivi, prolongatum est proinde labor meus usque ad Veneris, id est hesternum, diem, cum tandem index usque ad finem alphabeti paratus domini Harry Pinner monstravi.

- Gratias permagnas – dixit ille. – Timeo me difficultates talis laboris minoris aestimasse. Index hic tamen maximi auxilii mihi erit.

- Durabat id paululum – fassus sum.

- Et nunc – continuabat – velim te similem indicem facere tabernarum supellectilis, nam haec quoque omnes venum ferramenta culinaria preabent.

- Bene.

- Advenias huc, quaeso, cras hora septima vespertina, ut sciam tantum, ubi simus. Et noli cum hoc labore modum excedere. Post omnia, quae adhuc fecisti, re vera bene tibi faciant nonnullae horae in theatridio Day’s Music-Hall hodie vespero tritae certe detrimenti tibi non essent – finivit cum risu, qui risus tamen me horrore perfudit, nam animadverti eum habere male ex auro factum explementum secundi a laeva dentis.

Tunc Sherlock Holmes delectatione raptus perfricavit manus suas unam contra alteram, dum ego cum admiratione clientem nostrum intuebar.

- Statim explanabo, domine Watson – dixit. – Cum altero domino Pinner Londinii loquens animadverti, cum ille effuse risisset ad meam pollicitationem me omnino ad Mawsones non plus scripturum, eum habere dentem eodem malo modo eodem in loco auro splendenti impletum. Et nunc, Birminghamiae, cum intellexissem dominem Harry Pinner, praeter eundem dentem expletum, habere eadem staturam vocemque, cogitavi eum a fratre Arturo differre solis tantum rebus, quae novacula aut crinibus emptis mutari possint. Luce clarius hic patebat ambos eundem hominem esse. Certe fratri simillimi sibi invicem esse possunt, sed non adeo, ut eundem dentem eodem modo expletum habeant.

- Quid porro? Ille vale mihi dixit et cum via in deversorium regradiebar, non certus fui, utrum vigilarem an somniarem. In deversorio caput epitonio aquae frigidae statim subdidi, deinde pacatiora aliquot mente denuo omnia percontari conans. Cur me ille eduxit Londinio Birminghamiam? Cur ante me ipse huc venit, cur litteras ad seipsum scripsit? Haec nimis omnia erant, ut aliquid eorum intellegerem. Tunc statim in mentem venit quod mihi ut aenigma videri non tale esse debere domino Holmes. Citissime cepi tramen nocturnum Londinium, mane dominum Holmes visitavi et nunc nos tres una Birminghamiam vehimur.

Cum proxenetae functionarius finisset narrationem insolitorum sui casuum, silentium per quoddam temporis momentum in compartimento regnabat. Deinde Sherlock Holmes, breviter me intuitus, tergo collapsus est in tomento fartam sellam ubi immobilis manere videbatur, hilari sed acuto simul vultu – diceres eum praegustatorem vini esse, qui modo delibavit primum haustum vindemiae Cometianae.

- Haud male, Watson, non sentis? – dixit. – Adsunt hic res nonnullae, quibus maxime delector. Sine dubio mecum consentietis maximi momenti nobis fore

una sermonem cum domino Arturo Harry Pinner habere in provisorio grapheo Franco-Midland Hardware, societatis restrictae responsabilitatis?

- Quomodo tamen nos ambo ibi apparere possimus? – rogavi.

- Omnino simpliciter – hilare respondit Hall Pycroft. – Amici mei estis, qui munus sibi quaerunt; quid tunc naturalius, quam ad rectorem meum novum vos adducere?

- Recte ita, sine dubio! – dixit Holmes. – Valde velim virum hunc intueri; fortasse continget mihi tunc chartulas eius furtim introspicere. Quales qualitates tibi adsunt, amice care, quae officia tua tam maximi ei momenti reddant? Aut fortasse... – sermone interrupto coepit Holmes ungues suos demordere, oculis hebetibus per fenestram caece intuentibus. Usque ad ipsam New Street nullum ultra verbum edidit.

Eodem die hora septima vespertina nos omnes tres gradiebamur per Corporation Street, grapheum societatis petentes.

- Operae pretium non sit adesse ibi ante tempus – explanabat cliens noster. – Venit ille huc tantum, nam ei mecum convenire est, aliter graphea omnino vacua manent.

- Nimirum... – annotavit Holmes.

- Di boni, ecce eum! – extemplo vociferatus est functionarius. – Spectate, ibi graditur! – addit, monstrans nobis parviorem, bene vestitum virum flavis capillis, qui cito ambulabat altero latere plateae. Conspeximus eum in eo ipso momento, cum puerum appropinquaverat ephemerides vespertinas vendentem, ab eoque acta quaedam emit, deinde evanuit ipse in angustiis aedium.

- Ibi est! – clamavit Hall Pycroft. – Haec est domus transitoria, quae ad graphea ducit. Eamus illuc una!



Sequebamur illum usque ad quintum tabulatum, ubi constitimus ante adapertam ianuam, ad quam cliens noster mox pulsavit. Vox intus progredi sivit, intravimus ergo nudum, minime instructum locum, talem exacte ut a domine Pycroft in tramine descriptus. Ad solam ibi mensam assedebat vir, quem modo in via aspeximus, ante se tenebat ephemeridem, et cum nos oculis intuitus erat, cogitavi me numquam antea

vidisse vultum humanum maerore horroreve tam plenum. Frons eius sudore splendebat, facies erat innaturaliter, immo mortifere pallida, oculi ferociter obstupefacti. Intuebatur functionarium suum, quasi eum non recognoscens et de attonitu vultu Pycroft facile conieci hunc non esse solitum modum ergodotae se gerendi.

- Tu aegrotas, domine Pinner? – rogavit comes noster.

- Re vera non optime me habeo – respondit vir. Patebat eum se continere omnibus viribus conari et antequam eloqui posset, labia esiccata delambere sibi debuit. – Qui sunt domini, quos adduxisti?

- Alter est dominus Harris de Bermondsey, alter dominus Price, indigena Birminghamiensis – sine moratione respondit functionarius. – Qui amici mei sunt, ambo ingeniis multis praediti, sine tamen munere ab aliquo iam tempore. Ita sperabant apud te fortasse facultatem aliquam laborandi inveniendam...

- Fieri potest, hm, fieri vero potest – boavit dominus Pinner, livide subridens. – Credo apud nos mox fore multa loca nova vobis praebenda. Quo munere fungebaris, domine Harris?

- Rationarius sum – respondit Holmes.

- Sine dubio opus rationariis nobis erit. Et tu, domine Price?

- Ego sum functionarius nummarius.

- Spero negotiationem nostram posse officiis vestris mox uti; certiores vos statim faciam, cum consilia de hac re ceperimus. Et nunc, ignoscite mihi, sed debeo vos rogare, ut exeatis. Sinite mihi hic solum manere!

Ultima verborum eius ex ore cum strepitu, quasi e sclopeto proruperunt; videlicet conamina domini Pinner se omnibus mediis continere super vires eius erant. Sherlock Holmes et ego invicem intuiti nos sumus, dum Hall Pycroft pedem propius ad mensam posuit.

- Oblitus tamen es, domine, te me huc vocasse, ut iussa nova mihi dares – dixit.

- Sine dubio, domine Pycroft, sine dubio – respondit ei quietius. – Exspectes hic ergo, sodes, per temporis momentum exspectentque una tecum et amici tui. Post tres minutas vobis denuo me totum praebebo; obsecro patientiam vestrum talis parvi temporis...

His dictis surrexit, inclinatione corporis perurbane nos salutavit exiitque per ianuam oppositam ostio. Ianuam post se clausit.

- Quid nunc? – rogavit Holmes.- Vult ille fugere?

- Impossibile – respondit Pycroft.

- Quid ni?

- Haec ianua ad aliam cameram ducit.

- Cui deest exitus separatus?

- Deest.

- Estne altera camera supellectile instructa?

- Heri vacua erat.

- Quid, edepol, ille facere potest in conclave vacuo? Adest huic casui aliquid, quod omnino non intellego. Si umquam vivebat in mundo homo magis horrore percussus, certe dominus Pinner nominabatur. Quid eum tantopere exterruit?

- Suspicatur fortasse nos detectores esse? – solutionem praebui.

- Fieri potest! – assensus est Pycroft.

Holmes tamen renuit. – Sed ille non aspectu nostrum pallidus factus est, pallidus iam antea fuerat – dixit. – Fortasse ergo...

Verba eius interrupta sunt quibusdam strepiferis ictibus, ex altera camera venientibus.

- Papae! Cur ianuam ipsius pulsat? – conclamavit functionarius.

- *Rattatat*… – iterata pulsatio sonabat nunc clarius. Omnes attente inspiciebamus ianuam clausam. Animadverti faciem Holmes rigere, cum ipse corpus ad directionem ianuae proclinavit. Tunc statim duas simul voces audivimus: gargarizantem aliquam susurrationem necnon citatam pulsationem in lignum. Holmes furiose percurrit conclave, ansam apprehendens, sed ianua, ex altera parte videlicet serrata, clausa manebat. Secuti eum ambo sumus, nunc pondere trium corporum ianuam prementes. Primum una valvarum fregit, deinde altera, tunc ianua omnino everta est.



Intravimus alteram cameram, quae... vacua erat. Ita saltem nobis primo aspectu videbatur, sed mox nos errare intelleximus, nam in angulo nostrae camerae adiacenti alteram parvam ianuam conspexissimus, ad quam Holmes se statim iecit eamque aperuit. In strato iacebant ibi palium et iacca, dum de unco ianuae infixo habena bracarum collo involuta suspensus pendebat praeses Franco-Midland Hardware, societatis restrictae responsabilitatis, genuibus sublatis, capite in horribilem quendam a corpore angulum averso. Fragor, qui nos ex altera camera excitavit, pedes faciebant vel rectius calces ianuam ferientes. Extemplo prehendi pendentem, latus eius amplectens, dum Holmes et Pycroft laxaverunt elasticam habenam, quae interim profunde se infodit in lividos sinus cutis. Deinde portabamus eum in alterum conclave, ubi sivimus in strato iacere graviter violaceis labris anhelantem ad omnem inhalationem exhalationemve, facie omnino cinerea – ruinae hominis, quem fuit modo ante quinque minutas.

- Quomodo se ille habet, Watson? – rogavit Holmes.

Inclinavi me ad corpus iacens, ut suicidam examinarem. Pulsus ei erat vix sensibilis atque irregularis, respiratio tamen gradatim se longiorem reddebatur. Exigua agitatio palpebrarum detegebat artam lineolam albi.

- Animam iam iam efflaturus erat – dixi – reveniet tamen ad vivos. Aperite, queso, fenestram dateque mihi lagoenam aquae.

Collare ei dissolvi, vultum frigida aqua sparsi, deinde sustollere demittereque manus eius pergebam, donec profunde ipse aerem inspiravit.

- Nunc omnia quaestio temporis sunt – dixi, a iacente revertens.

Holmes stabat prope mensam, manibus sinibus bracarum infixis, demitto ad pectus mento.

- Puto nos nunc debere biocolytas vocare – locutus est Holmes. – Malim tamen, fateor, eis casum iam solutum in manus tradere.

- Mihi id aenigma aenigmatum videtur – confessus est Pycroft, manu caput radens. – Quo profitere voluit me huc adducens et...

- Id sole clarius est – interrupit Holmes impatienter. – Ego ultimo eius actu miror.

- Visne dicere tibi omnia reliqua patent?

- Videntur mihi intelligibilia. Quid tu censes, Watson?

- Fatere debeo me nihil prorsus huius rei capere – respondi, umeros allevans.

- Nonne omnia ipsa facta ad solem conclusionem ducunt?

- Qualem?

- Totus hic casus versatur circa duo puncta. Primum est epistula domini Pycroft, qua confirmat se intrandum hanc absurdam negotiationem; nonne videtis id maximi momenti esse?

- Minime, Holmes – respondi.

- Cogita: cur iis haec epistula, cui usui? Certe non ob rationes commerciales, nam res tales semper verbis perficiuntur et deerant causae, ut hoc in casu aliter ageretur. Nonne iam vides, amice, rem hic in specimine manuscripti domini Pycroft adipiscendo esse?

- Sed cur?

- Ita, cur? Si ad hoc rogatum respondemus, progrediemur paululum cum toto casu. Cur ergo? Causa tantum una huic rei apta apparet: aliquis voluit se manum tuam, domine Pycroft, imitari discere. Et si nunc ad alterum punctum transibimus, videbimus ambo se invicem illuminare. Hoc alterum punctum est rogatio domini Pinner, ne renuntiationem tuam illi illustri societati Mawson & Williams nuntiares, ita ut ibi putarent aliquem dominum Hall Pycroft, quem numquam in persona antea viderant, die Lunae mane ad portam sedis eorum pulsaturum.

- Di immortales! – exclamavit cliens noster. – Cur tam caecus sum, ne id ipse perceperim?



- Nunc – continuabat Holmes – patet iam certe tibi, domine Pycroft, cur specimen manus tuae eis necessum esset. Si ad Mawsones venisset aliquis tuam manuscriptum imitari nesciens, dolus male evenire potuisset, nam habent ibi epistulam tuam, qua munus petivisti. Didicit proinde aliquis nequam manu quasi tua scribere et tutissime in grapheum venit, nam nemo ibi,

nisi fallor, te in persona noverat?

- Ne sola anima quidem – gemuit Hall Pycroft.

- Tunc ipse rem capis. Certe, necesse quoque erat prohibere, quin aut consilium denuo mutares, aut casu in aliquem venires, qui tibi diceret Sosiam tui apud Mawsones laborare. Hanc ob rem obtinuisti illum satis bonum salarii arrabonem necnon Londinio Birminghamiam eductus est, inde, labore satis magno oneratus, non posses Londinium repetere.

- Cur tamen iste se fratrem suum esse simulavit?

- Id quoque satis simpliciter explicatur. Totum hoc inceptum machinati sunt tantum duo homines. Alter nomine tuo in grapheo Mawsonum munere fungitur. Hic tamen partem visitatoris vespertini agebat, intellegebat tamen drama plus non progrediendum, nisi tertium histrionem inveniret, quod facere verisimiliter minime voluit. Maxime, quoad fieri potuit, mutavit ergo habitum sui, credens te similitudinem ad fratrem ut rem naturalem putaturum. Nisi casu expletum id aureum dentis animadvertisses, nihil aliud verisimiliter suspicationem doli in te excitasset.

Hall Pycroft quassavit super capite manus suas in pugnos compressos. – Mi deus! – vociferatus est. – Cum unus me hic ludibrio sibi habebat, quid mali fecit alter apud Mawsones? Quid mihi nunc faciendum est, domine Holmes?

- Telegramma Mawsonibus mittere debes.

- Sed die Saturni claudunt grapheum hora duodecima.

- Nil refert, aderit ibi ianitor quidam aut vigil.

- Recte dicis, habent Mawsones vigilem, nam syngraphae commerciales in grapheo custodiuntur. Ita dixit mihi olim aliquis mercatorum in Foro.

- Optime. Mittamus ei telegramma, ut discamus, an omnia bene se apud eos habeant necnon adsit ibi adhuc iste Sosia tui. Haec omnia adhuc clare patent, nescio tantum, cur verbero hic, statim postquam nos viderat, reliquerit locum, ut se penderet?

- Ephemeris… – stridit vox a tergo. Omnes revertimus capita: suicida improsperus sustulit paululum corpus lente assedens in strato. Erat pallidus ut umbra, sed oculi eius denuo fulgore rationis sanae nitebant, dum manibus perfricare conabatur latam rubram vibicem in collo.

- Ephemeris! Certe, ephemeris! – conclamavit Holmes valde excitatus. – Homo sum stupidissimus! Causam in nostro adventu posui, ephemeridi nullum attribuens momentum. Certissime, acta diurna totum hoc aenigma solvent! – distendit ephemeridem in mensa et statim vociferatus est clamore victoriae.

- Hoc specta, mi Watson! – clamavit. – Haec sunt acta Londinensia, prima editio vespertina *Evening Standard*. Et hic habemus, quod secuti sumus. Legite inscriptiones: "Scelus in Foro patratum. Homicidium apud Mawson & Williams. Conamen maximi latrocinii. Patrator captus." Habe, Watson, et magna voce nobis lege!

Iam de loco, ubi symbola posita erat – in summa scilicet prima pagina - deducere posses rem maximi nunc Londinii momenti esse. Legebatur ibi:

"Hodie hora prima postmeridiana in Foro patratum est conamen audacissimum latrocinii, cuius effectu unus homo est mortuus, patrator tamen apprehensus. Iam a longiore tempore in sede bene notae societatis argentariae Mawson & Williams custodiebantur syngraphae commerciales, summo pretio plus milione librarum aurearum. Huius valoris bene consciens rector societatis instruere iussit novissimas structuras securitatis necnon semper, tempore et diei et noctis, in aedibus societatis vigil armatus tenebatur. Ut modo in lucem prodiit, praeterita septimana munere in societate fungi coeperat functionarius novus nomine Hall Pycroft, qui tamen, ut nunc biocolytis patet, nemo alius erat nisi notorius falsarius et fur Beddington, qui una cum fratre suo modo reliquerunt carcerem post quinquennium ibi tritum. Modo adhuc parum noto contigit ei, falso nomine utenti, munus in societate accipere functionarii nummarii, quo praetextu potitus est impressis claustrorum necnon diligenter didicit collocationem arcarum ferratarum, ubi syngraphae tenebantur.

Apud Mawsones mos valet operariis die Saturni iam matutino tempore laborem finire. Serviens Tuson, biocolyta Forensis, valde ergo miratus est hora prima et viginti minutis videns hominem cum sportula vectoria per scalas aedium huius societatis descendentem. Suspicatione ductus virum sequebatur et a vigile Pollock adiutus apprehendit suspectum, licet hic desperanter repugnare conaretur. De contentiis sportulae – quae erant obligationes societatum ferriviariarum Americanarum summo pretio fere centum milium librarum praeter magnitudinem provisorie distributarum syngrapharum societatum fodinalium et aliarum – patebat hic de latrocinio maximo audacissimoque actum esse. Aedibus negotiationis Mawson & Williams inspectis, inventum est corpus mortuum vigilis infelicis, infartus maximae arcarum, quod corpus, nisi prompte serviens Tuson intervenisset, invetum certe esset demum die Lunae mane. Calva vigilis discussa erat rutabulo, ictu a

tergo allato. Sine dubio Beddingtoni contigit in aedes societatis revertere sub praetextu eum aliquid ibi oblitum esse. Vigile iam necato, citissime diripuit arcam principalem et, praeda rapta, in fugam se dedit. Frater eius, qui una cum eo semper in sceleribus conspirare solebat, hac vice – quoad adhuc scimus - particeps rectus criminis non erat, biocolytae tamen et eum diligentissime quaerunt."



- Ha, in hac saltem re possumus eos adiuvare – dixit Holmes, intuens confectam ac debilem figuram conquiniscentem ad fenestram. – Natura humana mixtura mirabilis est, mi Watson. Ecce verbero homicidaque tanta pietate a fratre diligitur, ut hic sibi manus inferre conetur, cum disceret germanum patibulo suspendendum esse. Quod ad nos tamen pertinet, nulla relicta est nobis facultas eligendi: dominus Watson et ego manebimus hic, eum custodientes, dum tu, domine Pycroft, eas, sodes, ad biocolytas.

Equitis Arturi Conan Doyle
HOLMESIACA
sive gesta memorabilia detectoris Sherlock Holmes
imaginibus originalibus Sidneii Paget ornata - In Latinum vertit Stanislaus Tekieli

---

Facies lutea



Depingendo his brevibus adumbrationibus gesta amici mei ingeniosissimi, quorum aut testis aut interdum quoque actor eram, libentius naturaliter de rebus bene quam male ei eventis narro. Quod non tantum facio, ut famam eius melius servem - nam ipso illo tempore, cum delapsus esset, virtutes mei amici maxime admirabiles se praebere solebantur - quantum ob hanc simpliciter causam, quod casus, in quibus ille cladem acceperat, nec ab aliis saepissime soluti in sempiternum inconclusi manent. Hic et illic evenit tamen, ut etiam, ubi ipse errasset, veritas postea in lucem prodiret. Notavi tales casus sex vel septem, quorum maximi momenti videtur "Ritus Musgravensis" necnon casus, quem nunc narrare conabor.

Sherlock Holmes non pertinebat ad homines, qui corpora exercerent solius exercendi causa. Re vera non multos vidi viros capaces maiorum laborum corporalium et certe erat ille unus primorum sui ponderis pugilum; exercere tamen corpus sine claro id agendi destinato putabat amicus meus innecessariam profusionem energiae, nec ipse corpus moveret, nisi alicui rei hoc modo adipiscendae intentus. Tunc autem nesciebat quod esset defatigatio aut languor. Rebus ita stantibus maxime notabile videtur ei bonam valetudinem optime servare contigisse. Observabat tamen diaetam strictissimam moresque eius fere Spartiaci erant. Praeter quod, occasione oblata, cocaino indulgere solebat, deerant ei omnino vitia, at eo ipso psychotropico utebatur tantum monotoniae repugnandae horum dierum,

quando nulli novi casus evenirent nec de aliqua re memoratu digna ephemerides scriberent.

Uno tali die, vere appropinquanti, tantopere inertia iam contritus esset, ut assentiret mecum deambulare in hortos Hyde Park, ubi prima viridia germina subtiliter modo eruperant in ulmis necnon aculeatae cuspides castanearum iam iamque displodendae erant in pentadactylia eorum folia. Ambulabamus ita per duas horas, maxima huius temporis parte omnino silentes, ut saepe fit inter duos viros tam intime se invicem noscentes. Hora demum fere quinta revertimus in Baker Street.

- Ignosce, domine – dixit famulus noster iuvenis, ianuam aperiens. – Advenit huc modo vir quidam te quaerens.

Holmes intuitus est me oculis exprobrantibus: - Ita finiunt ambulationes istae tuae postmeridionales! – dixit et ad famulum: - Exiit iam ille?

- Ita.

- Nonne introrsum eum invitasti?

- Invitavi. Aderat hic intus.

- Quam diu?

- Dimidiam horam. Erat ille homo vero inquietus, ambulabat huc et illuc, terram pede pulsans (ego ante ianuam stans bene omnia audivi). Tandem in mesaulum exiit, clamans: Venietne ille omnino an non? Talia erant eius verba, domine, et ego respondi: Mox veniet, exspectes modo paulisper! Ad quod ille: Foras potius exspectabo, nam fere suffocatus hic iam sum. Mox revertar – dixit et licet, ut maneret, obsecrarem, retinere eum non valui.

- Bene, fecisti quae potuisti – locutus est Holmes, cum cameram nostram intrabamus. – Bilem vero tale movet, Watson. Admodum utilis mihi nunc sit casus quidam et de impatientia huius viri coniecto de re haud parvi momenti hic agi posse. Sed ehem! Haec non est vero tua pipa, mi Watson, quae in mensa iacet? Hanc certe ille reliquit. Pulcherrima vetus pipa bruceana, cum sugibulo longo e materia fabricato, quae apud mercatores sucinum nominatur. Hahae, scire velim, quot sint Londinii sugibula e germano sucino facta! Sunt, qui credunt verum sucinum esse, si musca ei adest, facta proinde est inde haud parva pars commercii, quae id tantum curet falso sucino falsas muscas includere. Ille mente vero perturbata esse debet, si tam magni a se aestimatam pipam casu hic reliquit.

- Quomodo scis eum tam magni eam aestimare? – rogavi.

- Hm, pretium originale huius pipae putarem septem solidis sex denariis. Quam, ut videre hic potes, iam bis reficere curavit: hic tubam ligneam et hic sucinum. Certe cernis et tu ambas refectiones usu anulorum argenteorum perfectas esse, quos anulos maiore pretio esse puto quam pipam ipsam. Vir ille sine dubio magnopere fumibulum suum aestimat, si bis id refici mandat, potius quam eadem pecunia novum emat.

- Quid porro? – rogavi, nam Holmes versabat pipam in manu, intuens eam hoc mirabili ipsius aspectu meditabundo.



Sustulit et leniter percussit pipam suo longo ac tenui digito indice, diceres magistrum discipulis os quoddam monstrare.

- Pipae sunt res vere delectabiles – locutus est. – Nihil naturam possessoris detegit melius, exceptis fortasse horologiis vinculisque calceamenti. Hoc tamen in casu signa non satis clara sunt, nec, puto, maximi momenti. Possessor est sine dubio vir robustus, scaeva, egregiae dentaturae, moribus liberalioribus, nec parsimoniae nimis studere coactus.

Amicus meus efundebat haec omnia quasi neglegenter, adverti tamen eum interdum furtim me breviter intueri, ut sciret scilicet, an attente verba eius sequerer.

- Putasne vero hominem opulentum pipam septem solidorum fumificaturum? – rogavi.

- Nota mixturam Grosvenorianam, uncia octo denariis – respondit Holmes, excutiens paululum tabaci in palmam manus sinistrae. – At cum facile potes fumum fabulosum dimidio tali pretio sugere, agitur hic de homine parsimoniam non vero observanti.

- Et cetera indicia?

- Mos ei est accendere pipam de lampade aut ellychniis gasicis. Adverte eam una ex parte omnino adustam esse, quem effectum numquam sulphuratum dabit. Cur applicet quis pipae sulphuratum ita de latere? De lampade autem pipam non accendes, nisi tubam paululum adurens. At hoc in casu adustum est latus dextrum, inde puto eum scaevam esse. Applica tu tuam pipam ad

lampadem – videbis te instinctu flammam a laeva appropinquare, nam scaeva non es. Semel aut bis fortasse id facies e contrario, solito tamen more aliter. Porro, sugibulum est satis graviter circumrosum, ad qualem effectum opus sit viro robusto bonaque dentatura. Ni fallor, iam eum audio scalas ascendentem, mox ergo rem maioris quam haec pipa ponderis intuebimur.

Post parvum temporis momentum ianua aperta est et conclave intravit procerae staturae homo iuvenis, bene, licet naturaliter, vestitus: veste pulla, manu tenebat mollem petasum fuscum cum humili operculo demissaque margine. Dicerem eum triginta annos natum; re vera erat paululum senior.

- Date veniam, quaeso – dixit aliquantum haesitanter. – Debuissem pulsare. Re vera pulsaturus iam iamque eram, sed tantopere disturbata mente laboro, ut ultima in secunda oblitus sim; mihi ignoscatis! – explanabat, manu frontem suam percurrens, quasi soporatus quis. Deinde assedit, si potius iecit se in sellam.

- Videris mihi, domine, per nonnullas ultimas noctes non dormisse – locutus est Holmes, ut mos ei erat, simpliciter at simul ingeniose. – Hoc plus irritat hominem quam labor, plus immo quam ludus. Potesne mihi dicere, quid pro te facturus sim?

- Veni ego, mi domine Holmes, consilium tuum quaerens. Nescio plus quid faciam et omnis vita mea in ruinas illabi mihi videtur...

- Visne officiis meis detectoriis uti?

- Non solum id. Velim audire opinionem tuam, ut hominis cautissimi, hominis cosmopolitani. Velim scire, quid mihi faciendum sit. Per deum spero te id mihi dicere posse!

Loquebatur brevibus interruptisque sententiis ut aliquis, qui summa vi voluntatis superare conatur aliqua ei innata impedimenta loquendi.

- Agitur de re tenuissima – dixit. – Ut bene scitis, domini, nemo libenter narrat alienis de rebus domesticis. Videtur id mihi maxime turpiter: loqui de moribus uxoris ad duos viros, quibus primum in vita mea occurro. Sit tamen horrendum, facere id debeo. In extremo margine praeruptorum sto et debeo vos de consilio, ut mihi detis, obsecrare!

- Carissime domine Grant Munro... – coepit Holmes.

Visitator noster e sella se sursum eiecit: - Quid? – conclamavit. – Quomodo, hercle, tu nomen meum noscis?



- Si vis incognito manere – respondit Holmes facie risus plena – noli nomine tuo signare pannum insutum petasi, aut saltem noli petasi fundum vertere ad faciem collocutoris. Volo te certiorem facere nos, me scilicet et amicum meum, in hac camera auscultasse iam haud parvum numerum secretorum mirabilissimorum nobisque contigisse multis animis excruciatis auxiliari in quietem repetendo; credo id quoque in tuo casu nobis contacturum. Possumne ergo nunc te rogare, ut sine ulla retardatione – tempus enim hic magni esse poterit momenti – nobis narres facta casus tui?

Hospes noster denuo manu frontem percucurrit, quasi appropinquaret laborem quendam molestissimum. De omni eius gestu omnique verbo patebat eum esse modestum, introversum hominem cum haustu dignitati addito ingenio sui, qui potius vulnera sua occulta teneret, quam ea ostentare vellet.

Tandem in pugnum compressa manu dominus Munro aerem verberavit, continentiam quasi omnem a se hoc gestu abiecisse monstrans, deinc narrare coepit:

- Facta sunt talia, domine Holmes. Uxoratus sum iam a tribus annis. Omni hoc tempore valde nos ambo, ego uxorque mea, invicem amabamus vitamque tam felicem agebamus, quam rarissime coniugibus contingere solet. Numquam a se differebamus neque mente, nec verbis, nec actis. Nunc tamen, a praeterito scilicet die Lunae, saeptum quoddam mirissimum ortum est inter nos et ego inopinate reperi animae eius adesse aliquid, de quo tam parum sciam, sicut ageretur hic de muliere quadam omnino mihi ignota, quam casu in via preaterivi! Ita statim nos sibi invicem alienatos invenimus et scire ego valde velim, cur ita factum sit.

De una re tamen te certiorem asserere volo, domine Holmes: Effie me amat. In hac re sine dubio non erro. Amat me ex imo corde, ex tota sui anima, nec umquam magis me amavit. Hoc ego scio, hoc sentio tam profunde, ne tempus quidem vestrum hic perdere volo, ut id argumentis monstrem. Amatus quisque sine dubio scit se a muliere amari...

Sed nunc adest hoc secretum mirum inter nos, quod, nisi explicetur, nobis non sinet eosdem denuo fieri, qui adhuc felices eramus.

- Date mihi, quaeso, facta, domine Munro – iteravit Holmes aliquantulum impatienter.

- Dicam vobis de vita meae Effie omnia, quae scio. Vidua iam erat, cum eam noveram, licet satis adhuc iuvenis, vicesimum scilicet sextum annum agens. Nominabatur tunc domina Hebron. Ut puella iuvenis migraverat in Americam, habitaverat Atlantae, ubi nupta est supradicto Hebroni, causarum actori satis quaestuoso. Habuerant puellulam, sed tunc erupit in America pestilentia febris flavae, quo et puella eius et maritus ambo mortui sunt. Litteras testes mortis domini Hebron etiam ego vidi. Tali calamitate percussa non volebat iam plus in America manere, revertit ergo in Angliam, ubi habitationem invenit apud amitae suae in oppido Pinner comitatus Middlesex. Addi hic fortasse opus sit maritum ei reliquisse haud parvam fortunam, pecunia capitali circa quattuor milia librarum ita bene a marito conlocata, ut ei nunc in medio septem centesimas annuatim afferat. Cum eam cognoveram, habitabat in Pinner demum a sex mensibus; mutuo amore ambo cito capti, matrimonio nos iungi post nonnullas septimanas decrevimus.

Est mihi munus mercatoris lupuli, cum lucru annuali septingentarum vel etiam octingentarum librarum, ita ambo sibi satis opulenti videbamur, ut octoginta libris per annum aliquam pulchram villam in vico Norbury nobis conduceremus. Adest ibi iam rus plenum, sit id tam prope ad urbem. Paululum ultra nos habuimus tabernam deversoriam binarum aedium, dum adversus stabat una villa solitaria; aliter domus ibi nullae, nisi demum in dimidia via ad stationem ferroviariam.

Mercatus lupuli cogit me per nonnulla tempora cotidie urbem petere, aestate praeterita tamen minus solito laboris mihi aderat, tunc proinde nos sentiebamus cum uxore felicissimam omnium gentium vitam agere. Iterabo, inter nos umquam ne singulam quidem umbram inquietudinis apparuisse, antequam ista res damnata evenit.

Etiam huius rei, puto, vos certiores facere debeo, antequam pergem: mihi nubens decrevit uxor totam suam rem familiarem in nomen meum transferendam, magna ex parte contra meam voluntatem, nam periculum gravissime tunc oriri posset, si mercatus mihi prospere procedere desivisset. Nihilominus instabat mulier et pecuniam eius totam in nomen meum transtulimus. Sed ante sex septimanas appropinquavit me dicens:

- Iohannule, cum pecunia mea potitus es, dixisti mihi semper te rogare licebit, ut dares aliquid, si id mihi necesse videretur...

- Certe – respondi. - Est haec pecunia tua.

- Nunc scis... – perrexit. - Velim centum libras de hac summa detrahi.

Paululum me hac inopinata rogatione percussum sensisse fateor, nam primum cogitaveram eam velle sibi aliquas vestes aut quoddam simile comparari mandare.

- Sed cui rei, pro deum, vis tantum? - rogavi.

- Scis... - respondit illa voce sua lasciva. - Tune ipse id mihi promisisti te meum argentarium fore? At argentarii numquam clientes suos nimis rogare solent.

- Si tu id seriose vis, sit ita - dixi.

- Ita, serio id peto.

- Nonne vero dices mihi, cui rei tibi tanti necesse sit?

- Uno die fortasse, Iohannule. Non nunc tamen.

Ita ergo me in hac re acquiescere debui, sit id primus casus, cum inter nos secretum appareret. Assignationem scripsi eamque uxori dedi et de tota re cogitare desivi. Fortasse casum hunc nullo modo immixtum esse rebus, quae postea evenerunt, volui tamen vobis mentionem eius facere.

Ut modo dixi, haud procul a domo nostra stat altera villula. Inter ambas ager tantum haud magnum iacet, sed si domo nostra proficiscens velis hanc villulam petere, debeas primum via publica pergere, deinde semitam inter agros sequi. Statim post hanc villulam nascitur ibi perpulchra silvula pinea, quo libentissime ambulare solebam, nam inter arbores anima mea semper optime se habet. Villula erat vacua iam ab octo mensibus, quod detrimenti certe erat, nam est haec perpulchra domus duorum tabulatorum cum vetustissimo tectulo super ostium, omnino caprifolio obsito. Multoties ibi constabam, semper iucundissimam hanc domum admirans.

Ultimo die Lunae denuo illuc ambulare decrevi. In semita iam fui, cum praeteribat me de villula proficiscens vacuus currus supellectiliarius, at ante domus ostium animadverti erectam struem tapetis aliamque variam supellectilem per caespitem disiectam. Patebat villulam modo fuisse

conducendo alicui datam. Circumivi aedes stitique in loco solito et, ut mos saepe est homini otio fruenti, intuebar per parvum temporis momentum villulam supellectilemque ante eam iacentem, nam discere volui, quales gentium vicinos nobis dei daturi essent. Ita domum inspiciens subito meipsum inspici reperi ab aliqua facie in fenestra superiore aperienti.

Nescio, quid tam singulare adesset huic faciei, sed sine dubio conspiciens eam clare sensi horrorem quendam me percutientem. Stabam nimis iam procul, ut lineamenta faciei bene recognoscerem, aderat tamen ei sine dubio quid innaturalitatis, immo inhumanitatis. Valde hac re perturbatus, decrevi me propius ad villulam iturum, ut ex propinquo, quid esset, discerem. Primo tamen passu vix emensus, adverti faciem evanescere - repente, quasi aliqua vi detracta sit introrsus. Stabam ibi porro per quinque saltem minutas, phaenomenon modo visum mente analyzare conans. Nec dicere potuerim, utrum viri an mulieris faciem hanc fuisse. Maxime tamen memoria adhuc teneo colorem eius: lividum, immo cadaverose luteum, torpente aliquo atque immobili ei addito sensu, quo videbatur facies esse quasi naturae repugnans. Terrorem tamen superans in ostium domus me verti, ad ianuam mox pulsans. Aperuit procera macerosaque mulier vultu aspero ac repulsivo.



- Quid tibi vis? - rogavit accentu boreali.

- Vicinus vestrorum sum, ex adversum – dixi, directionem domus meae nutu capitis monstrans. - Reperi vos modo immigrasse, veni ergo rogatum, utrum auxilii fortasse esse possim...

- Si auxilio tui opus nobis erit, tibi id certe nuntiemus - respondit illa rusticissime, ianuam cum strepitu ante nasum mihi claudens. Haec nequam repulsio bilem mihi tantopere movit, ut statim a ianua revertens in iter retrorsus me dedi. Per totum vesperem, licet conarer de aliis rebus cogitare, mente revertebar ad illud monstruosum phaenomenon in fenestra necnon ad feram mulierem in ostio. Decrevi me nihil de toto hoc eventu uxori nuntiaturum, scivi enim eam hominem aliquantum nervosum esse. Cum in lectulo iam fuimus, dixi ei tantum aliquos novos homines in villulam migrasse, nihil tamen respondit.

Ex solito dormio ut ursus media in hieme. Familiares mei sponsiones fere intraturi erant, utrum aliqua res adesset in mundo, qua expergi possem. Hac tamen nocte, eventibus mirificis praeteriti diei verisimiliter perturbatus, dormiebam insolite mollius. Ita semisopitus, repente prehensi aliquid in thalamo agi – gradatim intellexi uxorem meam vestem, palium mitramque

induere, quasi foras exitura. Iam iamque labra aperturus eram, ut aliquid dicerem domique eam continerem, cum statim oculis nondum penitus apertis conspexi faciem eius, luce candelae illuminatam. Quam videns obstupui ita, ne verbum singulum e faucibus edere possem. Vultus enim uxori meae fuit ut numquam antea: mortifere pallidus, genis iam crescentibus iamque cadentibus propter citissimam respirationem. Palium cum fibula nectebat, intuita est me furtim, ne casu expergiscerer; putans tamen me profunde dormire, tacite thalamo elapsa est et mox postea audivi acrem crepitum, quem sonum tantum cardines ostii domus emittere possent. Consedi et digitis clatra tabulae lecti firmiter prehensi, ut certus fierem me non plus somniare. Deinde ab imo pulvinaris horologium eduxi. Erat hora tertia. Quid, pro deum fidem, potuerit uxor mea ruri quaerere hora tertia noctis?

Sedebam ita spatio circiter viginti minutarum, de novissimo eventu iterum iterumque mecum meditans conansque aliquem rationi acceptabilem solutionem rei invenire. Omnis tamen nova coniectura incredibilius tantum priore videbatur. Cum ita mentem mihi torquebam, denuo crepitum cardines ostii ediderunt, deinc ianua caute clausa est. De passibus inveni uxorem id meam esse.

- Ubi gentium fuisti, Effie? – rogavi, cum thalamum intraverat.

Palpitavit illa conclamavitque voce depressa et clamor hic ac palpitatio immo plus sollicitari me coegerunt omnibus cunctis, nam aderat iis quoddam peccabile. Uxor mea erat semper mulier animae sincerae et apertae, percussus proinde vero fui videns eam summis pedum digitis irrepere in cubiculum sui at horrore conclamare gesticulareque, cum maritus eam allocutus esset.

- Tu vigilas, Iohannule? – dixit, nervose corridens. - Quomodo id fit? Putabam nihil in mundo te excitaturum...

- Ubi gentium fuisti? - iteravi aliquid durius.

- Nimirum te exterritum fuisse - dixit. Animadverti digitos eius tremere cum palium deiungere conabatur. - Tale enim numquam antea mihi accidit. In lectulo iacens subito sensi me suffocari, decrevi igitur in aerem recentem exire. Animo sine dubio linquerer, nisi tunc exirem. Stabam per nonnullas minutas ante ostium et nunc iam satis bene me habeo.

Per totum tempus historiolam hanc mihi narrandi ne semel quidem mihi recte in oculos intuita est, insuper vox eius omnino aliter solita sonabat. Plane haec omnia, quae dicebat, falsa erant. Nihil ad ea respondens corde dolore pleno in lectulo me reiciens faciem ad parietem verti. Omnis generis coniecturarum

suspicionumque mordacissimarum turba hac nocte mentem meam percursitabat. Quid occultat a me uxor? Ubi fuerit tempore huius mirae excursionis? Videbar mihi quietem numquam repetiturum, nisi responsa ad has rogationes scirem, fastidio tamen mihi esset illam interrogare, cum semel iam mentita esset. Cunctam partem noctis cubabam in faciem mox, deinde supinum, pervarias theorias excogitans, unam incredibiliorem altera.

Debui hoc die Londinium ire, sed tantopere perturbatus fui, ne omnino possem animum intendere rebus ad mercaturam pertinentibus. Uxor mea videbatur simili sollicitudine laborare necnon de eius fugientibus interrogatoriisque oculis, quibus me hic et illic furtim intuita erat, coniectavi eam scire me fidem non dedisse historiolae eius, qua re valde commota nesciebat sane, quid ei faciendum esset. Ad ientaculum tribus vix aut quattuor verbis inter nos invicem locuti sumus, postea statim ego me in ambulationem dedi, ut recenti aura matutina adiutus eventum nocturnum denuo clara mente examinarem.

Perveni usque ad Palatium Crystallinum, circa horam in vicinitate eius vagabar, deinc Norbury repetere coepi. Casu denuo circum illam villulam ambulabam denuoque in loco hoc per temporis momentum constiti, ut fenestram rursum inspicerem, unde praeterito die facies illa mirifica me circumspectaverat. Tunc, cum ibi stabam, repente ianua domus aperta est exivitque ex ea – horrorem meum sibi, domini, depingite – uxor mea!

Videns eam villula hac proficiscentem totus terrore percussus sum, sed pavor meus flocci esse videbatur terrori uxoris comparatus, cum modo oculi nostri in se invicem inciderant. Per momentum regredi etiam in villulam velle videbatur, sed statim post intellexit id utilitati ei nulli fore, ad me ergo accessit facie pallidissima confusisque oculis, labra in risum frustra cogere conans.



- O, Iohannule! - dixit. - Profecta sum huc, ut reperirem, ne usui alicui esse possem nostris vicinis novis. Cur ita me intueris, Iohannule? Num mihi irasceris?

- Nunc ergo scio, quo exieris hac nocte - locutus sum.

- Quid tu dicis?

- Hic fuisti. Scio id pro certo. Qui sunt homines isti, quos visitare non times hora tertia noctis?

- Quid dicis, vero? Numquam antea hic fui!

- Quomodo tu mente sana mihi narrare potes res penitus falsae? - clamavi. - Vox tua ipsa haesitat, cum talia dicas. Et cur, quaeso? Tenebam ego umquam secreta aliqua a te occulta? Ibo statim in hanc villulam, ut rem ad fundum scrutabor!

- Non, Iohannule, non! Obsecro id non facias, per deum immortalem! – gemuit ineffrenata commotione correpta. Cum autem ad ianuam me vertebam, apprehendit manicam iaccae meae convulsive retrahere me conans.

- Noli id facere, Iohannule! – vociferata est. - Iuro me tibi olim omnia explicaturam. Si tamen villulam intraveris, in maximam calamitatem nos ambos adduces.

Cum nihilominus ea me liberavi conabar, immiscuit se humeris meis, insaniter rogans:

- Crede mihi, Iohannule! Crede mihi hac ultima vice! Numquam te huius paenitebit. Scis bene me numquam a te aliquid occultarem, nisi de tua bonitate agatur. Hic aleae tota vita nostra subicitur! Si ieris nunc una mecum domum, omnia bene evenerunt, si autem vi potius aditum in villulam sibi extorseris – de nobis finis!

Locuta est tam persuasibiliter tantaque cum desperatione, ut ante ostium obstupefactus sisterem, nesciens, quid facerem.

- Bene - dixi tandem - fidem tibi dabo, condicione tamen hac: nos finem ponemus toti huic aenigmati. Secretum tuum tibi servare potes, sed adiurare mihi debes te numquam plus noctu domum nostram relicturam nec aliquid plus novi a me occultum tenebis. Obliviscar rerum praeteritarum, si mihi promiseris talia numquam iteratum iri.

- Scivi, bene scivi te mihi crediturum, Iohannule! – conclamavit respiravitque profunde. – Faciam omnia, ut iusseris. Eamus, eamus, quaeso, redeamus domum! – dicebat, adhuc manicam meam manu sua apprehendo, a villula me detrahere conans. Domum nostram iam petens, caput semel reverti et, edepol, denuo conspexi istam luteam, torpentem faciem de fenestra superiore prospicientem! Quid communitatis uxori meae cum hoc monstro? Quid commune ei cum muliere ista rudi, quacum locutus sum heri? Erat id aenigma mirabile et bene scivi me quietem numquam recuperaturum, nisi id solvendo.

Per duos sequentes dies domi mansi. Uxor mea hoc tempore videbatur honeste pacta nostra tenere, nam – quoad scio – ne pedem singulum domo tunc etulit. Tertio tamen die me certiorem feci eam ne ius iurandum quidem liberare posse ab ista secreta vi, qua adducebatur a marito suo suisque officiis.

Profectus eram hoc die Londinium, sed reverti tramine, quod hora 2:40 postmeridiana in Norbury advenit, loco traminis, quo reverti solebam, horae scilicet 3:36. Cum primum domum intraveram, in atrium procucurrit famula, facie valde conturbata.

- Ubi est domina? – rogavi.

- Ambulat, puto, alicubi... – respondit haesitanter.

Statim suspicari rem pessimam coepi. Incucurri in tabulationem superiorem, ut me certiorem facerem uxorem re vera domui deesse. Casu unde per fenestram prospiciens conspexi famulam, quacum modo locutus eram, recte per agrum currentem in villulam adversam. Tunc iam patebatur mihi clare, quae hoc die hic acta sint: uxor mea in villulam profecta est rogans famulam, ut sibi statim nuntiaret, si ego casu maturius domum revertissem. Ira maxime quassatus currens per scalas descendi et passus meos in villulam direxi, decernens finem huic casui ponere semel pro semper. In via praetercurri uxorem famulamque, ambabus nunc de villula currentibus celeriterque domum repetere conantibus; minime tamen sistere volui, ut voce quidem singula eas alloquerer. In villula haeret aenigma, umbra ista vitam meam occultans! – consilium cepi me id aenigma statim denudaturum, qualicumque ratione adhibita. In villulam adductus ne pulsare quidem ad ianuam curavi – ansa manu detorta in exedram irrupi.

In tabulato inferiore ubique quies regnare videbatur. In culina, super camino, tacite sibilabat cantharus thearius, dum in corbe iuxta posito convoluta dormiebat magna felis nigra, numquam tamen vestigium invenire posses mulieris hic habitantis, quacum ante paucos dies locutus eram, neque vestigium monstri. Conclave interius quoque vacuum manebat. Deinde scalas ascendi, item frustra: duo ibi alia conclavia deserta. Nemo aderat toti domui. Supellex necnon picturae in parietibus positae ostendebant gustum vulgarissimum, excepto conclavi hoc superiore, cuius in fenestra ista horrenda facies lutea apparuerat. Hoc conclave instructum erat luxuriose suspicatioque mea rerum malarum nova arsit saeviente atque acerba flamma, cum invenissem ibi in toro camini positum esse magnum photographema uxoris meae, quod me rogante facere mandaverat ante tres menses.

Mansi in villula satis longe, ut me certiorem facerem aedes re vera vacuas esse. Deinde exii, onus tamen tam grave in pectore portans sicut numquam antea in tota vita mea. Cum domum reverteram, coniunx mea in aulam prodivit, nimis tamen laesus iratusque me sensi, ut cum ea loquerer. Praeterivi eam ad cameram tractatoriam meam me dirigens, illa tamen secuta me est illuc citius, quam ianuam clauderem.



- Paenitet me fidei violatae, Iohannule – dixit. – Si tamen omnia circumstantia scires, sine dubio id mihi ignosceres.

- Dic mihi igitur circumstantia omnia – flagitavi.

- Hoc facere non possum.

- Antequam mihi dices, qui sint isti huius villulae habitatores cuique photographema tui dederis, nulla fides inter nos manere potest – dixi et eam a me protrudens, domo profectus sum.

Haec omnia heri evenerant, abhinc eam non vidi nec aliquid plus de casu hoc miro inveni. Umbra inter nos orta est, qua ego tam percussus sum, ne plus scirem, quo me verterem. Hodie mane tamen in mentem venit te certe esse hominem, qui mihi, quod facerem, suaderet et statim me in viam ad te dedi. Me omnem proinde manibus tuis nunc commendo. Si quod punctum narrationis meae non satis clare tibi visum est, roga, sodes. Primum tamen dic mihi, quaeso, quid mihi sit faciendum, nam tali calamitate pati longius nequibo.

Maxime attenti Holmes et ego auscultavimus narrationem huius insoliti casus, quem narrabat visitator noster verba sua interrumpens, extraordinarie sine ullo dubio concitatus. Sermone finito, amicus meus tacite per momentum temporis sedere pergebat, mento palma manus nixo, immersus in meditationibus.

- Dic mihi – locutus est tandem – an possis iure iurando affirmare faciem hanc, quam in fenestra vidisti, vultum humanum fuisse?

- Bis, cum eam vidi, stabam nimis procul, non possum ergo pro certo eam humanam fuisse testificari.

- Attamen plane patet eam maxime te terruisse, nonne ita?

- Videbatur illa mihi aliquo innaturali colore necnon lineamentis quasi torpentibus esse. Cum appropinquare conabar, evanuit rapidissime.

- Ante quod tempus uxor tua poposcit ex te has centum libras?

- Ante fere duos menses.

- Vidistine umquam photographema eius primi mariti?

- Non. Brevi post eius mortem incendium magnum Atlantae ortum sit, tunc documenta ad illum pertinentia omnia deleta sint in igne.

- Habuit uxor tamen litteras mortis testes; dixisti te eas vidisse...?

- Ita. Post incendium mandaverit a magistratibus duplicatum.

- Occurristine umquam in aliquem, qui eam in America viventem noverat?

- Non.

- Dixitne tibi uxor umquam se velle denuo Americam visitare?

- Non.

- Fortasse accipit illinc epistulas quasdam?

- Quoad scio, non.

- Gratias, domine. Nunc libenter hunc totum casum paulisper contempler... Si villula re vera iam deserta est, in difficultates incurremus. Si autem – quod probabilius putarem – habitatores eius, qui heri tuo adventu nuntiato inde effugerant, iam illuc remigraverunt, casus hic facillimus erit solvendo. Suadeo igitur haec: reducas te in Norbury attenteque denuo inspicias villulae fenestras. Si domum inhabitatam inveneris, noli ipse introrsum irrumpere, sed statim meo amico mihique telegramma des. Ubi primum ad nos pervenerit, spatio unius horae apud te erimus et tunc citissime aenigma hoc una solvemus.

- Quid, si adhuc vacua manet?

- Tunc ad te veniam cras mane, ut de tota re denuo colloquamur. Vale ergo et cura imprimis, ne te nimis excrucies, antequam causam tali excruciatione dignam pro certo inveneris.

- Hic, timeo, mi Watson, de re satis foeda agitur – dixit amicus meus ab ostio rediens, quo comitatus erat dominum Grantem Munro. – Quid tu censes?

- Hm, pulcherrima certe haec res non est – respondi.

- Ita. Pecunia hic est concutienda, nisi terribile fallor.

- Quis tamen concussor?

- Certe monstrum, quod hoc luxuriose instructum conclave inhabitat, ubi in toro camini photographema dominae Munro tenet. Haec livida facies in fenestra, mi Watson, re vera fascinare me coepit nec ullo modo patiar hunc casum mihi abripi.

- Habesne iam aliquam coniecturam?

- Ita, sit illa licet ad tempus tantum facta. Valde tamen mirabor, si non recta esse prodierit. In villula habitat primus huius mulieris maritus.

- Cur ita sentis?

- Quo alio modo explicari potest hic eius mulieris timor horribilis, ne alter maritus villulam intret? Puto facta plus minusve ita se habere: Mulier haec nupta erat in America. Maritus eius aliquibus vitiis fastidiosis laborare coepit, quodam exempli gratia morbo corpus deformitanti, invaliditatem necnon fortasse imbecillitatem invocanti. Uxor ab eo deinde fugit, revertit in Angliam, nomen suum mutavit coepitque vitam novam – ita saltem sperabat. Est iam a tribus annis uxor mariti novi nec putat sibi plus periculi ullius minari – nomine alio sibi assumpto litterisque mortis testibus novo marito monstratis – cum repente novum domicilium eius invenire contingit marito priori aut fortasse alicui mulieri audaci, quae nunc hunc invalidum curat. Hi ambo mittunt uxori novae epistulam, minantes se rem totam marito exprompturos. Illa poscit proinde centum libras, credens se hac pecunia redimi posse. Concussores adveniunt nihilominus et cum maritus mentionem facit novos vicinos advenisse, scit uxor hos vexatores ipsius esse. Exspectat donec obdormiat maritus, tunc currit in villulam, persuadere eos sperans, ut ipsam, pecunia soluta, in quiete relinquant. Re nondum finita, it illuc denuo postero meridie, cum a marito casu est ibi prehensa. Iurat ei se plus illuc non ituram, nihilominus duobus diebus elapsis spes vexationem sui solvendi adducit eam rursus in villulam. Nunc, vexatoribus id verisimiliter poscentibus, portat secum quoque photographema ipsius. Dum omnes tres colloquuntur, accurrit famula nuntians maritum domum reductum esse. Sciens eum statim in villulam adventurum, uxor agit vexatores ad ostium posticum, deinde in silvulam pineam, quae iuxta domum nascitur. Hoc modo maritus invenit villulam desertam, valde tamen mirer, si adhuc vacua sit. Quid de theoria hac censes?

- Coniectura est tantum...

- Ita, sed saltem omnia nobis nota facta ordine concludit. Si nova apparuerint ei contradicentia, debebimus aliam coniecturam invenire. Nunc tamen nihil

plus facere possumus antequam nuntii allati nobis erunt ab amico nostro Norburiensi.

Non erat tamen opus nimis longe exspectare - telegramma venit thea nostra nondum ad finem sumpta. "Villa – legebatur - adhuc habitata. Faciem denuo vidi. Exspectabo tramen hora septima. Ipse nil faciam."

Et re vera exspectabat nos in crepidine, cum e tramine descendebamus. In luce lampadum stationis clare videbamus vultum eius pallidissimum, pervalde commotum.

- Adhuc ibi adsunt, domine Holmes – dixit, manicam mei amici manu capiens. – Huc ambulans lucem in villula vidi. Dissecemus, quaeso, hoc aenigma nunc, semel pro semper!

- Quid consilii habes? – rogavit Holmes, cum gradiebamur obscura via arboribus utrimque circumclusa.

- Volo vi illuc irrumpere, ut sciam, qui habitatores sint. Vos testes huius rei esse velim.

- Esne vero id facere resolutus? Nam uxor te commonuit vobis ambobus melius fore aenigmate insoluto relicto...

- Scio. Resolutus tamen sum.

- Hm, recte, credo, agis. Qualiscumque veritas melius est dubitationibus istis incertis. Eamus ergo illuc statim! Lege publica nulla talis rei perficiendi nobis licentia datur, credo nihilominus id operae pretium fore.

Caelum obscurum iam erat et stillare coepit, cum de via principali declinavimus in semitam angustam, valde curruum rotis contritam, utrimque saepe silvestri obtrusam. Grant Munro impatienter festinabat nosque claudicando in tenebris eum sequebamur citissime ut potuimus.

- Haec lux est domus mea – murmuravit, lumen nobis monstrans parum inter arbores visibile. – At illa villulae est, quo tendimus.

His verbis dictis, ducebat nobis flexu semitae, unde haud procul conspeximus aedes. Zonula lucis flavae terram ante ostium attingens testabatur ianuam non funditus clausam fuisse; clare radiabat quoque lumen e fenestra tabulati missum. Ultra velum fenestrae movebat quaedam obscura umbra.

- Ibi est! – clamavit Grant Munro. – Monstrum istud! Ipsi videtis aliquem ibi adesse. Eamus cito introrsum!

Ad ianuam ipsam iam fere eramus, cum e domo subito orta est mulier quaedam, sistens in aureo orbe lucis a lampade, quam manu tenebat, emissae. Facies eius tenebris occulta manebat, dum corpus parum conspici potuit praeter manus suppliciter extensas.

- Mi deus, noli, Iohannule! – clamitabat. – Praesentiebam te huc hac nocte venturum. Noli tamen domum intrare, dulcissime! Crede mihi etiam hac ultima vice et numquam te huius paenitebit!

- Credebam tibi iam nimis longe, Effie! – vociferatus est Grant Munro graviter. – Sine mihi intrare! Amici mei et ego decrevimus hanc rem solvere semel nunc pro semper.

Protrudit a se uxorem, late fores aperuit, cum repente illinc iecit se in eum anicula quaedam introitum invasori prohibere conans. Protrudit etiam hanc et insequenti temporis momento iam omnes scalas ascendebamus. Grant Munro irrupit in locum illuminatum, nobis pedes eius sequentibus.

Erat haec camera amoena ac perpulchre instructa. Duae candelae ardebant in mensa, alterae duae in toro camini. In angulo, ad mensam procumbens, sedebat homunculus quidam, videlicet puellula. Cum intrabamus, sedebat facie a nobis deflecta, conspicere potuimus tantum eam veste rubra vestitam esse, longis digitabulis albis manibus indutis. Modo tamen nos intuita esset, horrore perterritus ego conclamavi. Facies enim eius erat tota livida, lineamentis expressione ulla humana privatis. Sine mora tamen aenigma explicatum est: ecce Holmes subridens manu apprehendit aurem puellulae, de facie cuius tunc persona lapsa est et oculis nostrum apparuit parvula puella Nigra, facie carbone atriore, in qua splendebant oculi necnon denticula alba, quae in risum puella constrinxit, nobis obstupentibus. Quo risu etiam ego mox victus, magna voce cachinnavi, dum Grant Munro stabat sicut attonitus, manu fauces sui comprimens.

- Di boni! – clamavit. – Quid gentium hic fit?



- Mox tibi explanabo – respondit uxor cameram intrans, voce audacis dignitatis subito plena. – Cogisti tandem me id explicare, contra voluntatem meam. Nunc igitur ambo id pati debebimus. Maritus

meus primus in America mortuus est. Puella tamen vivit.

- Filia tua?!

Produxit uxor magnum clipeum argenteum, quem in pectore tenebat.

– En tibi, numquam eum apertum vidisti - dixit.

- Numquam eum apertibilem putabam...

Plumulam pressit operculum clipei aperiens. Intus simulacrum viri alicuius conspiciebatur, viri admodum pulchri atque intellegentis. Qui vir sine dubio originis Africanae erat.

- Iohannes Hebron Atlantensis – explanabat uxor. – Erat ille humanissimus homo in toto orbe terrarum. Phylen meam reliqui, ut ei nubere possem nec umquam, donec vivebat, huius acti me poenitebat. Voluit fatum, ut a mariti potius quam mea gente sola nostra puellula plus acciperet; quod saepe quidem evenit - parvula Lucia ergo etiam patre suo multo atrior est. Nigra tamen aut alba, mea suavissima puellula est et semper erit, deliciolae matris.

Tunc puella ad matrem accucurrit faciemque abscondit in plicis gunnae eius.

- Reliqui eam in America propter hanc solam causam – continuabat domina Munro – quod debili valetudine erat, mutatio ergo caeli detrimenti ei esse posset. Commissi eam in fidem nostrae veteris famulae Scoticae, sed numquam, vigilante me aut dormiente, in mentem venit puellam meam dimittere. Cum tamen casu ad te, Iohannule, obveneram amoreque tui statim rapta, timui tibi de illa nuntiare. Debui eligere inter te et eam et in infirmitate mea a parvula puellula me averti. Tribus annis rem a te occultam tenebam, nuntios hoc toto tempore a nutrice accipiens sciensque puellulam bene se habere. Denique tamen desiderio eam denuo videndi obsistere plus non potui; repugnare id conabar, sed frustra. Quamquam sciebam inceptum tale periculosissimum fore, decrevi apportandam puellam in Angliam, sit id tantum per nonnullas hebdomades. Misi nutrici centum libras dixique de villula ad conducendum apta, ita ut posset hic in conspectum venire sicut vicina nostra, me patronam rei nemine suspicanti. Rationes providentiae tam penitus peregi, ut iuberem puellam tempore diei domi tantum teneri occulta facie manibusque, ne tu aut quis alius vicinus rumores disseminarent hic puellam nigram habitare. Melius fortasse fecissem, si non tam cauta fuissem, eram tamen tota timore horrendo rapta, ne tibi umquam veritas nota fieret.

Tu me primus certiorem fecisti in villulam habitatores migrasse. Volui usque ad mane exspectare, sed commota nuntio novissimo obdormire omnino non

potui, elapsa tandem sum foras, sciens te difficillime expergiscendum. Tu autem me exeuntem conspexisti et id initium erat omnium difficultatum. Postero die metuens exspectavi te de aenigmate meo quaesiturum, tu tamen, humanitate tam plenus, rem a se amotam reliquisti. Tribus dies postea puella cum nutrice effugerunt per ianuam posticam in ultimo re vera temporis momento; tu enim iam introrsus per ostium irrueras. Nunc ergo, hodie vespero, scis omnia, responde mihi igitur, quid nunc sit nobiscum, quid sit cum puella mea mecumque?



His dictis uxor manus suas iunxit responsum mariti exspectando. Et responsum Grantis Munro ne citius quam post duas plenas minutas silentii advenit, responsum tamen tale, ut id e memoria revocare usque ad diem hodiernum semper mihi lubeat. Sustulit ecce puellulam, basiavit et una manu semper eam tenens alteram ad uxorem extendit passusque amborum ad ostium direxit, dicens:

- De his omnibus commodius domi erit nobis loquendum. Sim homo forsan non optimus, Effie, sum tamen, spero, melius, quam me esse putasti.

Holmes et ego sequebamur eos in semitam inter agros ducentem se vertentes, modo tamen villulam reliquimus, amicus meus manicam meam apprehendit. – Puto nos Londinii utiliores nunc fore quam hic in Norbury – dixit et usque ad reditum in Baker Street nullo verbo de casu hoc mentionem fecit. Domi autem, cum candela accensa armatus iam in cubiculum abiturus erat, faciem ad me vertit, alloquens:

- Si umquam, mi Watson, videbitur tibi me nimis ingenium meum aestimare aut non satis operae dare alicui casui, quam dari debeat, insusurres mihi, quaeso, in auriculam unum tantum verbum: Norbury! Pergratus tibi ero.


A.M.
WALT DISNEY
PAPERINO
e i GAMBERI
in SALMÌ
(1ª PUNTATA)
E. SPALLACIUS
THANATO-
PHORUS
Hoc audite: "Tum vigil caute adivit eique iniunxit...
Manus da, aut disploditur!
Quid tibi accidit, avuncule Donalde?
GULP!
?
Ehm! valde cognoscitis nunc mihi corporis exercitationis horam esse!


Heu vosmet, desinite istud diarium legere! Res ea non est pueris, intellegitisne?
At... avunculi Gedeonis "Grillus Loquens" est!
Scio! Atque ephemeris est perpaulum exemplo! En cur: furta, aggressiones, rapinae, laetissima pars sunt in hoc diario!
Il Grillo Parlante
Ferme ignominiosum est consanguineum nostri tam malam paginam regere! Rescissurus sum pactionem emptionis nostram cum avunculo Gedeone!
Bene scis eum gratis nobis diarium mittere!
R-R-RIP!
BR-R-R-RING!
Avuncule Donalde, vult te Gedeo ipse! Mihi est dicendum te profectum ad bellum 'contra ephemerides de delictis'?
Ehm... paulum mane...
Quiiid? Mihi opus in "Grillo Loquente"? Duo punctis temporis ero istìc!
Cito ad quietem, heu vos tres! Congredamur cratino die in ientaculo!
ZOOM!



Ehm... semper cupivi officium praestare in magno diario sicut "Grillo Loquente"!
Ceteroqui minime me stupidum detinet quod avunculo Gedeoni opus est meo auxilio!
Eh, eh! Fortasse me circummissurus est ut mirificas percontationes faciam!
...denique loquaris familiariter, dulcis MARIGIN, carae tibi sunt anates?
CRASH!
Abstractus suis cogitationibus, Donaldus in vigilem incurrit ac incidit...
Nomen? Domicilium? Diploma gubernandi? Testificatio integritatis?...
P.D.
Ecce mirabile aedificium ephemeridis! Civitas potest gloriari hoc templo humanorum iurium!
PARLANTE
Nunc ingredior in gloriam! Egomet magnus Donaldus sum! Omnesque maxime mihi plausum dabunt!
ADITUS AD USUM APPARITORUM
INGRESSIO PROHIBITA
EXTERNIS CANIBUSQUE



Abi hinc! Abi!!
ENTRATA
ESTRANEI
E AI
CANI
la Direzione
Aufer te hinc, immanis belua!
I! I!
Qui mores isti sunt? Ego non "externus", nepos Gedeonis sum!
Ehm... peto veniam! Te confuderam cum Pechinensi cane!
At demum pervenit Donaldus ad loco...
Mihi nomen est Donaldus Anas. Constitutum habeo cum Gedeo avunculo meo!
Paulisper mane, benigne...
Salve, avuncule! Tibine incommudum fero?
Ingredere, ingredere, Donalde!
Telegrapho iubete Luciliam scriptum mitti!
Bene est! Mihi decem mittite, sed nitidas!
Hoc est, VII milia et D!


Telephono loqueris? Nonne tibi animum confundam?
Dicite Tito, illo tardo, nos typis exscribere confestim!
Asside, Donalde!
Malum! Quid interest senatoris?
Prorsus, Livia, tunicae breves an longae?
Dimidia minuite articulum!
Sic est, Honolulu!
Itaque, percontatio moderatori?
Nunc, ad dictaphones, celeriter!
Charta prima: congressio "quattuor magniculorum" de Pacifico Oceano. Languent duo contusi!
Charta sexta: Spartacus capit spongiam a suo adiutore, sudorem deterget et vincit adversarium!
Denique, multo post...
Ita est, Timothee, licet! MOVE!
DRANGG
Quid accdit nunc, mehercule?!?
5
www.papersera.net


Hoc signum demonstrat editionem nocturnam in machinis esse!
Hinc possum mirari machinas rotantes quae perficiunt opus multorum!
SUAVIS sonus, quem audis, omnibus honestis hortamentum...
... sed metus furciferis qui orbem populant!
Eodem tempore, alio in loco urbis...
Itaque, intellexistis. Hora quarta professor in cuppedinariam tabernam ingressus erit, eoque tempore vos agetis: bene est?
Sic est, caput!
Nemo vos teneat in opere. Hora quinta recedite! Consilium optimum est: ne rem disturbaveritis vosmet!
6



Ecce photographiae professoris. Quarum memoriam tenete, deinde delete eas!
Cannulam ferte, at saltem ea utimini ut convenerat.
Bono animo, caput. Non effugiet!
Denuo in Gedeonis taberna...
...ephemeris libera et sincera, verissima anima civitatis: hoc est "Grillus Loquens"!
"Tubae iudicii" desierunt sonare?
Numquam violabo fidem meorum lectorum XLII LXXV CDXXI, qui sciunt me SEMPER lumen proferre in rebus obscurissimis!
Inter haec...
Cras mihi erit formula! Multi anni sunt cum cupio eam!
Atque de professore Bronislao Pof, nemo umquam sciet quicquam! Ah ah ah!



Centies Scrugulus, frater meus, me censuit ut immittam meum diarium in eius seriem editionum atque thaleros I XXX mihi pollicitus est!
Hmm... diarii tui dignitas - hoc credo - eius animum MAXIME extulit!
Ego tamen numquam meos XLII LXXV CDXXI lectores in manibus illius superbi sordidi relinquam!
Gratias ago tibi, etiam pro aliis XLII LXXV CDXX! At nunc cur venerim huc, mihi dices?
Scilicet! Dic, diario umquam opus fecisti?
At, ego... gulp... minime!..
SUSPICABAR! Valesne ad stenographandum?
Q-q-quid sonat haec vox?
Cognoscis linguam "Runchesianam"?
Ehm... non...
Magnifice! Plene qui me iuvat!
Quiiiid?!
Officium subtile tibi commissurus sum. Bene animaderte!
Isti sunt sodales "Circuli Coctorum" Runchesiani, hic in urbe ad conventus totius orbis...
"Circuli Coctorum Runchesiani"
Nunc videbis singulariter hominem. Restinguas, quaeso!



En hic est ille: memoriam bene tene eius vulti. Eum vidi, alicubi, ante multos annos, sed minime reminiscor. Non dubito tamen quin MINIME humilis coctor sit!
Atque tu, quem nemo coniectabit esse diurniarium, eius vestigiis insistes et aliquid colliges!
Bene est, avuncule Gedeo! Melius agam quam Sherlock Holmes!
Cautus es, nec umquam visus, quaeso!
Aëroplanum hora octava ad Cincinnatos cape. In deversorio Ritz invenies legatos!
Mea adiutrix a manu tibi dabit pecuniam ad expensum atque instrumenta operae!
Telephono me voca, cum aliquid scis et... feliciter tibi!
Animum bonum habe, avuncule! Sciam quoque quas lamellulas habebat ad barbam radendam!
Itaque, in aërinave supervolante nationes...
Fu, avunculus Gedeo bene valet ad adiutores sumendos!



Tardus autem... iam dudum opus erat confugere ad opem meam!
Sic est. Monstrabo quomodo agat optimus diurniarius et investigator!
Lassus propter noctem pervigilem, Donaldus obdormiscit...
Eh, eh! Me videbis bene, o avuncule, avun... z-z-
Donaldus ad terram defluit et ephemerides plene eum tegunt...
Quam diu sic consistit? Duas, an tres horas, an diutius...
?
Yaw-wnnn! Bla, bla, bla...! Diutius dormivi...!
AUU!!
Oh, ehm, veniam peto, bone... non te conspexeram!
Unde venit ista vetula? Ante plane non erat!
Quando Cincinnatis conscendi, locus iste mihi videbatur vacans!
?
GULP! GORSC!
Cincinnatis?!?



Quomodo mehercule conscendisti Cincinnatis? Illùc NUNC euntes nos!
At... at... hoc aëroplanum IAM Cincinnatis resedit, atque NUNC Anatopolim revertit!
Ehi, nefari gubernator! Iam satis, consiste! Retro redi!
Eum capite! Insanis est!
Tempus frustra terere non possum! Mihi servatorem ad praecipitia, ilico!
BOP!
Gulp! At ille vir nonne est homo meus?
Itaque cepit hanc aërinavem ut Anatopolim veniret! Eh! Non poterat me fugere!
Bene est, amici, sententiam mutavi: manebo in navi...!
Uhm... Nulla dubitatio, ipse est!



Aërinavis, cum Donaldo dormiente Cincinnatos ceperit et illum arcanum hominem sustulerit, Anatopolim revertit.
Ehi! Quid est? Gedeo non mihi dixerat eum gibberum esse!
Ecce omnes isti, quattuor amici! Ne putaveritis facile effugere!
Bonus investigator semper asservat aucupia sua!
VEGETABLES - FRUITS
STOP
GRAY CAB
SLAM!
BOP!
TAXI
Cito, heu vos, sequere illum currum taximetrarium!
Cur, amice? Hic turpior est?
TAXI
12


Minime iocare: curre! Thalerum extra pretium dabo, si eum asservas!
Ad thalerum ei rotas mordebo, caput!
Mobiliter! Ego fortuita multaticia pendam!
CAB
Dic: creditor an publicanus estis?
Minime! Simpliciter vigiles et fures ludimus!
Ehi, Consistit ad istam cuppedinariam? Quo spectat?
PASTICCERIA
Mihi quaerisne? Nescio!
SCREE-EE-EECH!
SCREE-EE-EECH!
Manere paululum, kubernator! Revertam zeleriter!
Oh, oh! Descendit amicus!
Ristorante turco
Nunc melius est me aliorum in conspectu non esse!
Tempus optimum est ad eum unum admovendum!


Heu medromas! At nunc... quo malum adiit gibba sua?!?
Ristorante Turco
BOP!
Nihil intellego! In aëroplano haud dubie eam habebat... et nunc...?
Benigne velim... libraz duaz krustulorum "Ambroziomellitorum"... mihi zunt iucundizzima, quorum egeo funditus!
Recte, domine, statim, domine!
Iam simulabo me eum putare veterem artificem scribendi meum... itaque ille mihi dicet QUIS SIT!
Boni homines, manus date, aut nova crustula volabunt!
Ne moveritis! Aliquid hic est, quod certe capere volumus!
Gulp! Desiderabatur usitata rapina, ad temporis detrimentum!
14


Tu, amice! Sequere nos, sine blandimentis!
Oh... non!... ego...
!
... et vosmet, videte ne moveatis unum foramen pellis!
Move te ocius, bone! I!
NON! EKO VELLE NON!
Meministisne? "Cannulam ferte, at saltem ea utimini ut convenerat"!..
Igitur, nisi vis pati hoc carere...
GLUB
Cavete ad arma conclametis priusquam ad centum numeros digesseritis!
... CLXX, CLXXI, CLXXII... ehm... quousque digerere iussit?
U... u... usque ad centum...!
Malum, mihi operam subduxerunt!
Publicos advoca, cum ego eos persequar!



Gulp! Quis sparsit ista crustula?!
QUACK! Malum edacibus!
Quis eos nunc assequatur?
O circumscriptor!
Tibi loquor! Effugere exspectabas, eh? Nec putabas me circumisse insulam!
Io! Te mittunt caelicolae!
TAXI
Currum automobilem fugientem praeproper vidistine?
Beh, sic vidi! Flexit angulum abhic momen-tum temporis!
Brevique postea...
Ecce eos, caput!
Uh! Oh!
Nunc sunt disponenda arma!
16



Di-di-dico! Ni-nihil fragorum in meo curru, bene est?
Bene est! Ea simpliciter est machina ad receptiones cinematographicas!
FR-R-R-R-R
Mehercule! Igitur Holiudianus es!
Sic, et volo dissimulare quis sim!
Accelera, caveque ne hoc vehiculum redundanter subsultet!
Scis, caput? Numquam vidi currum automobilem illa forma, sed is volat suavissime!
Nisi eum assequimur, at CARUM testimonium habebo!
FR-R-R-R-R-R-R-R-R
Post horas tres...
Currus automobilis omnino forma singulari...
...sed mirabilia inceperunt cum ei repente stiterunt et... videte:


Currus exposuit alas helicasque, vibravit totus atque...
... terram solvit sicut helicopterum, decipiens me in spe!
Et evolavit intra nubes quae iner haec congregatae erant! Omnia dixi!
Bone Donalde! Optimum fecisti! Tibi gratias ago pro lectoribus meis XLII LXXV CDXXI!
TUT! TUT!
At pro TIBI, dicisne mihi ecquando desinas te immiscere MEIS rebus?!
Cum tu sodalesque tui ostendetis aliquam virtutem, id est NUMQUAM!
Ecce pellicula, succenturio!
Venitis cum omnia sun matura, et etiam lamentamini!


Cave, o sancte, amovete me vestros malos diurniarios, aut tricae erunt!
Conclave proiectorium
Oh! Quid mihi dicis!
Domine!
Ecce editio extraordinaria!
editio extraordinaria
Grillus Loquens
Advena Raptus de Die!
Legatus noster testis de rapto
Vigiles adeunt NIMIS SERO!
VOBIS tricae iam coeperunt! Hortor ut paululum agatis!
Grunt! Nimium est hoc!
Ah! Ah! Me succenturione irritare delectat! ILLE vere est homo probus...
SLAM!
...sed mihi est is incitandus ut agat magis magisque!
Nunc satis! Moveamus et aliquid ad exitum adducamus, qualibet impensa!
Lectores mei exspectant CUNCTAM veritatem de hac re!
19


Daniel, matura te percontari consulem Runchesianum et bene considera suam inflammationem propter rem!
Adsum! Audis, Cai? Nuntia mihi si in diariis runchesianis est aliquid de vita raptus! Bene est?
Antoni, conspice ephemerides antiquas usque ad triginta annos, et subscribe summos viros Runchesianos!
Donalde, ecce tibi indicem maximarum operarum quas NOSTER HOMO potest attingere! Principibus eis operis num eum cognoscant rogabis!
Bene est, avuncule Gedeo!
Necesse est perspicere QUIS sit ille, QUIS eum rapuit, atque CUR! Intellegisne?
Cum suis praeceptis, Donaldus linquit ephemeridis sedem...
Uh! Quid facitis hoc loco, vos?
Omnia novimus, avuncule Donalde! Laetissimum est! Exspectamus praecepta tua ad...
...ad quid? Summus diurniarius non utitur pueris ut adiutoribus!
At... bene scis nos semper tibi valenter auxilio esse!
20


Desinite! Hac in re negotium est nimis grave!
Tibi promittimus nos minime usurpaturos esse gloriam famamque nostrarum investigationum!
Iam satis! Diutius non moror. Domum redite!
Grunt! Denuo avunculus invasus est furore magnidutinis!
Poooh!
Itaque Donaldus solus investi-gationes magnas suas insistit...
Gulp! Hic index aliquantulum AMPLUM est... fortasse pueri potuerint sane me adiuvare!
Ratio igitur prima studia atomica pertinet... comprehendi!
① STUDIA ATOMICA
Atque paulo post, Donaldus...
Officina atomica
Consistite
Ehi, milites! Videtis non hoc album signum?
CAVE VOBIS
Ehm... SIMPLICITER velim quaerere aliquem atomicum physicum num cognoscat vultum hunc!...
21




Speculator est! Aggredere eum!
Ei iniciamus aliquos pyrobolos atomiculos vagulos blandulos!
RAT-TAT-TAT-TAT!
POOFF!
Aliquid me iubet non perseverare!
WOOM!
WOOM!
Sic est, ego sum rector societatis curruum taximetrariorum Green Cab. Quid desideratis, pueri?
Sane, velimus te nobis auxilio esse ad taxi-metrarium inveniendum, qui...
DIRECTOR
GREEN CAB TAXI co.
Uhm! Alius dicit: mathematica! Mihi est in urbe redeundum!
Urbs: V m.p.
Nemo adiuvare me potest melius quam clarissimus professor Octies Octona!
O, insignis professor, velis dicere num iste quidam vestri collega sit?
Oh, oh... at intra, benigne!
Intima concordia sectionis in infinitum vobis respon-debit...
Quid?
22




Necesse est
positum
sit
et...
Prorsus, vetus computator robiginosus, eum cognoscis an non?
Ita sane... ego... vere, NON!
Audi, Ioseph: heri mane hora quarta, erat Antonio currus qui cepit legatos Runchesianos et... dic?
Ain?... Quid?
Oh! Pol!... Beh,
Tibi gratias!
GREEN CAR
In statione viae XXIII Antonium quaerite: ipse est! Ille videtur invenire in suo curru servatorem ad praecipitia!
Tibi grati sumus! Vestram societatem laudabimus!
WALT DISNEY
At aliquid novi occurrit et intermittit investigationes nostrorum amicorum...
Mirum, caput! Scruguli "Scarabaeus Aureus!" Legite!
Oh! Quid malum...?!?



Editio extraordinaria
Scarabaeus Aureus
Declaratio sine auctore "Scarabaeo"
CAMMARORUM MURIATICORUM PARTES D̄ EXIGIMUS
AD RUNCHESIANUM REDDENDUM
In traditione haec monita
NEC ULLO VIGILE!
Cammari muriatici...!! Atque D̄ partes! Quid significat?!?
Nescio quid tibi dicam! Legatio Runchesiana nos EXORAVIT ne interveniremus et prospicit cammaris, quos referemus cras vesperi, ex monitis!
Invenite nepotem meum Donaldum, CONFESTIM!
CLICK!
Postero vespere, in vasto loco, quaedam umbrae notae delitescunt in campo...
Cavete ne avunculus nos videat! Si animadvertat nos eum secutos huc, exardescat!
Oh, oh! Ecce currus vectatorius!
24


Isti mali cammari inficiunt aërem usque ad miliarium spatium!
Quid tibi videtur? Sunt raptores exurientissimi, vere?
Bene, nunc gubernator abit, ex monitis...
Acceleremus! Nauseabo aliter!
Bene, abierunt... Mox videbimus raptores venientes! Ne oculos comprimamus!
Ardens est exspectatio, sed cum nox pervenit, ocula paululum conivent...
Traditus vere erit homo raptus pro mirifica redemptione?
Nos quoque, ut cognoscamus hoc, manebimus usque ad alteram partem!
Pergit


A.M.
"PAPERINO e i GAMBERI IN SALMI"
di WALT DISNEY
(IIª PUNTATA)
1
QUIS EST homo qui secreto raptionem contexuit...
2
... istius arcani viri Runchesiani? Et CUR?
3
Gedeo suae ephemeridis dignitatem obligat in re persolvenda.
4
Atque... iste ab avunculo suo Gedeone suscepit officium enodationis...
Raptores petunt ut redemptionem D̄ ... partes cammarorum muriaticorum!
Relato pretio, nostri amici occultantur, ut prehendant raptores. At oriente sole...
Ehi, fratres, dilucescit, sed currus vectatorius etiam est illic...
Quid presagit? Cur nemo venit?
Observate: Adhuc avunculus Donaldus dormit!
INTACTUS!


Fortasse nos viderunt et turbati sunt!
Non credo! Bene occultati eramus!
BOP!
Gulp! Ecce nepotes mei, isti gloriae raptores!
Ehi, pueri curiosi, quid facitis istìc?!?
Salve, o avuncule Donalde!
Attendite! Illìc affixus est nuntius!
"Isti cammari muriatici foedi sunt atque palatum nostrum offenderunt... Malum vobis: amicum vestrum numquam videbitis!"
Malum mihi si hoc significat aliquid!
Bah, unus modus rei planus est: non possum iudicare contra palatum illorum!
Concedamus ab isto foetore! Celeriter!
2


Tote, rege, dum ego avunculum Gedeonem refero, et persequere viam curribus perviam, aliter obviam publicis et Runchesianis magistratibus nos ferimus!
... Avunculus callidus!
Audio, audio! Tu es, o avuncule Gedeo? Ita sane, sic factus est...
... et nunc ad operam me revoco! Quid? Bah, dormire potes in aurem utramque! Omnia solvem!
Semihora post...
Nunc domum ite, mihi sunt investigationes insistendae!
Interea "Grillum Loquentem" parate et de singulis legite!
Editio extraordinaria!! Raptores redemptionem repudiant!!
Papae! Avunculus Gedeo valet!
Fratres, sine alia mora, illum gubernatorem quaeramus!
XXII via septemptrionalis
3


Hac in re, nobis sunt DUAE RES gerendae, itaque discedemus diverse! Audite!
Dum igitur Totus ocis ad "Grilli Loquentis" sedem redit…
… Tutus atque Titus perveniunt paulo post domum Anaticulae…
Puf! Puf!
Puf! Puf!
Anaticula
Salvete, pueri! Quid vos…?
Puf, puf! Novimus te servare multas commentariorum menstruorum "De re coquinaria in orbe" editiones, et…
En hic illae, pueri, utamini!
Gratias maximas!



Benigne, o professor, potes mihi dicere, num hic vir forte sit vestr...
BOOM!
Ehm, peto veniam... quid dicebas, quaeso?
Gurgle... num... num... cognoscas hun... mmmhh! Refert hoc non!
Inter haec "Grillus Loquens" insistit in suis contentionibus...
Il Grillo Parlante
PUBLICI ADHUC IN INCERTO!
Gedeo profundit suas opes...
Indagate amplius, AMPLIUS! AMPLIUS!
... dum magistratus Runchesiani amplificant reclamationes.
Dubito num aliquid umquam simus inventuri!
nihil
nulla res



Nepotuli interrogant cuppedi-nariae minister...
Etiam exhorresco memoria... emptori crustula tradebam, cum...
In hac re, cur voluit crustula "Ambrosiomellita", dicens se EGERE, si eorum PLENAS habebat fundas vestis?
?
!
?
Quid?! Crustula, quae is in tumulto sparsit, NON erant empta hic?!
MINIME! Ecce sacculus, quem NON potui ei dare, et ecce ipsa crustula quae sparsit!
Fratres, aliquid de hac re non constat!
Videtur Runchesianus CAUSAM induxisse, ut intraret hanc tabernam!
Illìc habet domicilium maximus ICHTHYOLOGUS nostrae aetatis! Atque ante omnia, is est oriundus a Runchesianis!
Ave atque vale! Quaeso, quid facis?
Beh, o iuvenis, vere non est res arcana! Per totam vitam ei studeo...


... Sed adhuc non est certum, num cammari, cum sint in fluctibus frigidis, gravedine vexentur!
Ulp! Etiam CAMMARI! Non operae est desidere cum isto homine!
Oh, tempus est ientaculi! Visne gustare mecum CAMMAROS MURIATICOS?
Te iuvant non? Conquisiti sunt, cocti ex compositione occulta cuiusdam veteris mei amici Runchesiani!
Uàk! Libenter ientes!
Bronislae, amice mi, iuvenes huius nationis numquam amabunt ostras epulas!
Mei veteres amici
Itaque, hoc est cogitatum tuum?
Verum potest esse, at quomodo id probamus?
Crustula empta "inutiliter" tantum NOTA sunt, nihil nisi hoc!
Recte, Tote! At si... ehi!


Possumus petere a bono avunculo Gedeone ut videamus raptionis pelliculam! Fortasse illìc sunt alia argumenta utilia!
Consilium bonum est! Sedes "Grilli Loquentis" est in vicino.
Si male res se habet, nos gratis pelliculam viderimus!
Sed pueri inveniunt antiqui strenui avunculi Gedeonis modo umbram perpallidam!
Quomodo vales, avuncule Gedeo?
Nisi molestum est...
Velimus...
GEDEO
CAPUT
Ah, vos estis, cari nepotuli! (Sniff) Quid vos... (Sniff... Sniff)?
Oh, quid accidit, avuncule? Aliquid male agitur?
Mihi quaeritisne? Video (Sniff, Sniff) multitudinem meorum lectorum, quos ego DECIPIO!
Quid dicis?



Verum! Meorum lectorum FIDEM fallam, nisi mox invenio enodationem "rei Runchesianae"!
Atque haud dubie non valebo! Numquam acciderat, in quadraginta annis...! Quam taetra RUINA animi...!
Sursum corda, avuncule! Nos indicium vestigamus et velimus auxilium tuum!
Possumus videre raptus pelliculam?
Quae IGNOMINIA! Semproni, proice meis nepotulis omnia quae volunt! ... Quae INFAMIA!
CLICK!
Tutus, Titus et Totus opus aggrediuntur...
Nunc bene servate: nulla species nobis est neglegenda!
Quod genus curruum automobilium est illud?
Legi ne vigiles quidem potuisse cernere!
Dum haec geruntur, alius visitat Gedeonem...
Adsum denuo, avuncule Gedeo...
9



Interrogavi quoque doctorem De Lirius, maximum psychologum Americanum!
Non valde intellexi quod mixi dixerat!
?
!
WALT DISNEY
At ultimo pro certo habebam me esse MACROPUS!
Eheu!
Atque indicem totum exhausi, avuncule... ehm, ehm, sine fructu, sane...
Caput, mox editio vespertina in machinis it!
Frons nunc etiam composita non est! Quid agamus?
Ea est undecima proiectio atque in illo malo curru ne clavus quidem excussus apparuit!
Propono animantem fabulam!
Sed... ehi, ASPICITE!
Quid novi?


Tote, pete ab auctore proiectionum ut retroagat pelliculam fere decem passus, deinde CONSISTAT imaginem!
Bene!
Bene est, Semproni? Deinde refrena proiectionem!
Bene, at non plus quam duos momentos horae, aut pellicula ignem concipiet!
Nunc videte rapti et raptorum DUCTUM!
Euhoe!
Mecastor!
Scito, nunc mihi videtur tuum cogitatum minus insipiens!
Dicere potes nos habere PROBATIONEM!
Fratres, aditum invenimus!
Atque possumus aliquantulum avunculum Gedeonem tranquillare!
Bono animo, avuncule! Indicia sequimur!
Dac nobis unum diem, priusquam cedas!



Unus dies...! Unus dies, ante FINEM!
ESTO! Obduremus usque ad crastinum! Dac mihi!
Bone, avuncule Gedeo, nobis fide!
Salvus est, certe hoc tempore... at nunc sciunt immortales modo, quo ducat noster ADITUS!
Salvete, nepotuli mei, Dies laetus, nonne ita?
Avunculus Scrugulus!
Qui "Grilli Loquenti" futurus est POSSESSOR, eum ante oculos habete! Quid dicitis?
!
!
Si Gedeo haesitet, debeo meam licitationem a thaleris I XXX usque ad XXX augere, verum...!
12


IL GRILLO PARLANTE
Sed maxima civitatis ephemeris MIHI erit, quod mihi denique permittet, ut compleam summam C editionum mearum!
TA-TA-TA-TA-TA!
Fratres, quod possumus facere, celeriter faciamus, aut nimis erit sero...
Ante cratino nobis est...
Ehi! Quid est odor iste, quem Avunculus Scrugulus emisit...?
Suorum thalerorum odor est?
Thaleri muria non olent, atque... Mehercule, at id est CAMMARORUM odor!
Ita est! Itaque vero...
Dicite, avunculus Donaldus indagavit in omnibus rationibus praeter illam de...
Oh, hoc est inusitatum!
Ex maximis civitatis officinis illa est... psst, pssst...
Et etiam fit ut... pssst psst...
WALT DISNEY




Hac in re, nobis sunt DUAE RES gerendae, itaque discedemus diverse! Audite!
Dum igitur Totus ocis ad "Grilli Loquentis" sedem redit...
... Tutus atque Titus perveniunt paulo post domum Anaticulae...
Puf! Puf!
Puf! Puf!
Anaticula
Salvete, pueri! Quid vos...?
Puf, puf! Novimus te servare multas commentariorum menstruorum "De re coquinaria in orbe" editiones, et...
En hic illae, pueri, utamini!
Gratias maximas!


Haec collecta maxime mihi cara. Ne contrectaritis paginas praeter modum!
Animum bonum habe, Anaticula!
Satis negotii habui in avunculo Donaldo suadendo, ut hanc machinam mihi daret!
Officina extra urbem est! In tembore adveniam!
Postea...
Mox omnes abierint!
"Experimentorum ala", eh? Recte, NUNC est tempus!



Spero canes non esse hoc loco!
Nolo minime sincere agere, sed fieri non potest aliter...
Oh, oh! Lucem video, illìc!
Quis scit? Potest vero hic esse locus ubi...
WALT DISNEY
Mecastor! Edepol! Mehercules! Evoe! Evoe!
Ibi lux sufficit... Avunculo Donaldo igitur paululum concurramus! Is tam attonitus erit, ut non exardescat!
FR-R-R-R-R-R-R-R-R-R


Interea, in domi Anaticulae...
Oh, gaudium, tripudium!
Mutuamur hanc editionem, Anaticula!
Pro, quae concitatio! Videamus, num aliquae editiones sunt effusae...
Oh, non..! Ulp, gurgle... elp!
Postero die...
"Grillus Loquens" vivere debet, mecum aut SINE me... ego iaceo... Scrugulo eum dabo, quid aliter?
Aspice istum, Gedeo est!
Ehi, bubo vetus, gaudesne hominibus decipiendibus, eh?
17


Fatere, cum scelestis consentis...?
Ulp! Glub! Non super-vivam eo...!
Ave atque vale, Gedeo! Ex vulto tuo videris facturus negotium TRICIES CENTENUM MILIUM thalerorum!
Heri lexisti pactionem, nunc tibi est subscribendum!
Ecce finis...
Ehm, nunc recordor, pueris promisi me usque ad horam nonam morari...
Oh, oh!
Bah, illi tres muculenti, hoc credo, non mutabunt occasionem tuam!
... BENE EST! Dac mihi Scrugule... SUBSCRIBAM!
At...
Parumper, domini! Vultisne in conclave proiectorium ire?


Velimus ALIQUID de Runchesiano rapto explicare, avuncule Gedeo, deinde... iudicabis!
Quid... quid significat hoc, pueri? Habetisne...
!
?
Eis aures demus?
?
In primis avunculum Gedeonem, qui coepit indagationes de ILLO Runchesiano, cum nihil adhuc evenisset, laudamus! Is recte egit...
...quia, si quis etiam dubitet de MAGNO GRADU "rapti", nos PROBABIMUS eum, adeuntem aërinave nostram urbem, SERVATOREM AD PRAECIPITIA HABERE!
Bene est, sed... QUEM GRADUM habebat iste?!
Hic est caput! Vestigatores tui vigilesque, tempus perdiderunt, quod nemo umquam POTERAT conicere magnam peculiarem artem hominis incogniti!
...ea melius est celata, cum nobis est OSTENSA, petito pretio... ESCULENTO!


Intellegitis? ESCULENTUM! Ecce enodatio! Domini, "homo noster" est PROFESSOR BRONISLAUS POF! Is qui detinet fere ducenta diplomata COQUINATORIA, quorum maximum de conditione CAMMARORUM MURIATICORUM!!
!
!
!
Ecce editio Augusti MCMXXXIV commentariorum "De re coquinaria in orbe", quae nominat eum eiusque inventiones!
De re coquinaria in orbe
Deinde apparere desiit! Putamus multos eum CONCUPISSE...!
!
!
Nepotuli mei, vos me LIBERATIS! Invenistis QUOD SUFFICIT ne ego decipiam meos lectores et...
Quomodo malum fecerunt?
Non OMNIA diximus, avuncule!
Nunc dicemus QUOMODO, CUR et QUI "rapuerit" professorem, et… UBI sit is nunc ipsum!
Ulp!
Quis? Quid?
NON! Uh! Oh!
WALT DISNEY
20


Vere, SINGULARE quidem videbatur raptionem tam bene paratam initium a FORTUITA MORA professoris in ea cuppedinaria taberna sumere!
Hoc est, raptores, ut in interiori parte tabernae laterent, SUPRA sciebant professorem in ILLAM tabernam ingressurum esse! Atque si sciebant, cum professore CONSENSERANT!
Glag... urgle... non... nonne videtur absurdum?
Ecce probationes: professor Pof poposcit cuppedinario duas libras crustulorum "Ambrosiomellitorum", dicens ea sibi iucundissima esse, et se FUNDITUS EGERE!
Sed PRIUS quam poterat sacculum accipere, colluctatio intervenit itaque E FUNDIS VESTIS ei elapsa sunt multa crustula "Ambrosiomellita"!
Alia probatio: bene observate hanc imaginem amplificatam e avunculi Donaldi pellicula eductam!
Benigne, Semproni, PRIMA!
Bene!
CLICK!
Ut omnes potestis notare, professor raptoribus ANIMO LAETO ET CONTENTO convertitur!
!
!
!



Sic, simulata raptione probata, nobis erat inveniendus QUIS vellet professoris Pof ADIUMENTUM!
Res facillima fuit! Nunc spectabitis proiectionem pelliculae, quam recepimus SUPERIORE NOCTE in interioribus magnae cuiusdam officinae urbanae!
SECUNDA, Semproni!
Obscuratur, atque in albo linteo...
Ehi, IPSE est! Raptus!
!
Medius Fidius! Scrugulus!
Sic! Ea est officina E SUIS!
!
?
SCRUGULE...! Numquam putaram!
Incredibile!
FURCIFER! CAENUM! VETERATOR! Sed nunc videbi... LUX! Ehi! Accendite!
Gulp! Quid evenit?
Cavete! Effugit nobis!
SLAM!
Lumen admove, Semproni!



Tenete me! Tenete me aut eum TUNDO...!
Oh! Oh!
FUGIT!
Pax, avuncule!
Velociter, ne moremur! Bene scimus UBI eum assequi possumus!
Eum capiemus! Foris currum habeo!
Gulp, avuncule Gedeo, hoc CURRU ad calendas perveniemus!
Sed PERVENIEMUS!
WALT DISNEY
Circumscriptor! Non dum ausus erat CONTRA LEGES agere, at nunc mihi videbit!
Et tandem...
Eccum est, beatus et tranquillus!
Hic es, igitur!
!
!
Tu... TU... TU! Atque FRATER MEUS es!
Bene est! Rebus usus sum ut caperem diarium tuum... Sed EUM TIBI REPENDEBAM, nonne est?



Abice! Quomodo exscusas ILLICITAM MACHINATIONEM quam composuisti pro TUA officina alimentaria?!
Est "machinatio" LICITA cum nostrae rei publicae TACITA assensione! Plane?
Mihi advocavisti, domine Scrugule?
Professor Pof! Visne dominis istis exponere tuum conspectum hoc loco?
Oh, recte! In patria mea non eram felix, atque volebam in America consistere...
Sed meae potestates numquam mihi permitterent... et si effugerim, illae ulciscendi cupidae sint in meum vetulum felem, quem non poteram mecum ferre...
Itaque, furtim "raptionem" paravimus! Sed "raptores" mei tres EMISSARI REI PUBLICAE AMERICANAE erant!
Nunc laetus sum, et omnia debeo vestris potestatibus meoque novo CARO MAGISTRO!
GLOP! Runchesiani semper tam effusi sunt!
PCIÙ! PCIÙ!



Res finem habet, sumptuosa cena data (!!!) a Scrugulo!...
Primum in quadraginta annis, promitto me veritatem non patefacturum, quamdiu vivet bonus cattus professoris! Et id libenter faciam!
Quia etiam possum "Grilli Loquentis" SECURAE PROBITATI praebibere!
Vos, cari pueri, qui me liberavistis a re desperata, exornabo magno nummo "diurniariorum vestigatorum"!
...verum, verum... existimata vestra tam tenera aetate, melius videtur...
... nummum mandare, FIDUCIARIA OPERA, vestro avunculo Donaldo!
Postea...
Male avuncule, titulorum EREPTOR! Dac nummum!
Recte, recte, hoc habebitis... cum complebitis XXI ANNOS...
Il Grillo Parlante
FINIS
RS-1



Suppl. Kid n. 5 - 1984 - Sped. abb. post. gr.III/70

Editur ab Instituto quod vulgo dicitur: "EUROPEAN LANGUAGE INSTITUTE" P.O. BOX 6 - RECANATI - ITALY
Distribuit: "EHAPA VERLAG GMBH" - STUTGARDIAE

Disney LINGUÁ LATÍNÁ



EUROPEAN LANGUAGE INSTITUTE

ehapa VERLAG GMBH - STUTGARDIAE


Latine vertit Iosephus M. Mir
Editur per institutum cui nomen est:
European Language Institute, P.O. Box 6, 62019 Recanati (Italia)
Typis imprimitur apud "Tecnostampa" in Italia

Distribuit: Ehapa Verlag GmbH, Stutgardiae


- Direttore Responsabile Lamberto Pigini
- Autoriz. Trib. di Macerata N. 153, 5 ottobre 1974.


DONALDUS ANAS
ATQUE NOX SARACENI
...Piratae **Saraceni** mare Mediterraneum eo tempore infestabant: populis litoreis terrorem inferebant!
Brrr... Quae tempora illa!
Periculosum sane maria sulcare, ac vel...
TRUCK
SFRUSH
AH-EERRRK!


At... at..., quid est hoc? Tu es?
Ita est: avunculus Donaldus... qui lampada reverberantem umeris sustinet!
Pavorem vobis inieci?
Si nos pavore afficere volebas, id es assecutus!
Commodum, librum legebamus, in quo terribilium **piratarum Saracenorum** res gestae narrantur!
Hac veste tu eis similis es!
Placetne vobis? Eam composui imaginibus illius voluminis excitatus!
Anaticula nostra particeps adesse vult pompae personatae quae exhibetur, animo benefaciendi, in illo magno deversorio Milton: et a me postulavit ut eius comes essem!
Ego pirata Saracenus ero... ea autem serva mea!
At, unde illum **gladium diffractum** excepisti?
Ex arca sarcinaria, sub tegulis erat; avunculus Scrugulus illum mihi dedit, compensandi gratia facti laboris in reconditorio! Perantiquus videtur!
Sed... sum in mora! Et hora est...
Pro! Avuncule Donalde, attento sis animo!
...proficiscendi... off!
SWIISSCC
BONK
DENG



Adversa nobis fortuna! Diffractus est!
Sed, en, inspicite! In interiore scapulo folium inest!
Quid dicis?
Scriptum non legitur!
Arabicae litterae videntur esse!
Valde corruptum est!
Videtur esse tabula geographica!
?
Inspice, o bone avuncule Donalde, perantiqua tabula potest esse!
Sinite inspiciam!
Res mira, puelli! Notissima illa **tabula thesauri** esse potest! Sed maxime est consumpta...
...sed adhuc legitur!
Quis scit qui locus signetur?
Id sane detegemus! Sed prius interrogare expedit vetulum Scrugulum! Ipse nos adiuvare poterit, praesertim **pecuniarum copia!**
Cras ad eum proficiscemur! Levis sit vobis somnus! Requiescite, pueruli!


Insequenti die...
Ita sane, avuncule.
Itaque, in illo perantiquo ferramento haec continebatur chartula!
Et... quid ego faciam?
Fac adiuves me ut locum inveniam, qui in tabula signatur!
Oh! Oh! Perbellum est; sed qua ratione?
In memoriam revoca, primum, ex quo loco acinacem habuisti! Sic fortuna nobis favebit, atque ad primum dominum perveniemus!
Ac deinde?
Quae in manuscripto insunt scripta ad nostram linguam convertantur necesse est!
Uhm...
Ecquid inde lucri mihi obveniet?
Hui!..., optimum tibi lucellum: vicesimae centesimae tibi erunt!
Ex communi sententia, care nepotule: optime cogitasti! Itaque, vicesima pars tibi erit; octogesimae vero centesimae mihi obvenient!...
Nunc memor sum!... Sarcinas viarias parate, pueruli; in crastinum in terram Arabicam pergemus; praeclarum conveniemus virum, qui me illo perantiquo cimelio donavit!



Sequenti vero die...
Nobis fortuna arridet! Aëroplanum meum in urbe, in quam pergimus, stationem faciet!
Explica, sis: qua ratione **oneratam** assumpsisti: cum tot tibi sint **aërinaves** in classi tua aëria?
Bene dicitis...
Nimirum ne occuparetis quinque sedes commodas, **gratuito,** in convectorum aërinavi!
Me hac de causa fecisse minime cogitabitis?
Ita sane!
Exacto perlongo itinere aërio...
Evigilate somniculosi! Tandem pervenimus!
ZZZ
RONF
Uuah... iter vere incommodum!
Hoc non videbimus peius!
Paulo post, obmurmuratores, corpus et animum relaxabitis in eleganti sede **Miscelani,** Principis Arabum! Ibi sunt piscinae, teniludii campi; aër commoda ventilatione temperatur!


Ac re vera...
Quid agitur, o Princeps? Nunc in his stativis moraris?
Quo affectus sum gaudio cum te iterum video, care Scrugule!
At..., mea villula inundatione prorsus exundat...
Aquae inundatione?
Minime! Sed **petrolei!**
At vos tristitia afficere nolo meis negotiolis! Quae causa sit vestri itineris plane enarrate!
En, o bone!
Scire optamus a quo procedat hoc **perantiquum cimelium,** quod paucos ante annos mihi dono dedisti!
Uhm!... Memoria teneo: avus meus...
...conquisitor rerum vetustarum se illud in **Italia** comparasse mihi narravit! Alia nescio!
Equidem figmentis fidem minime facio; sed vestra fortasse interest: quaedam narrantur de quibus vos edocebit vetulus ille **Fabulator!**
Qui quidem conquisitor est, magna auctoritate gravis, rerum commenticiarum ac facinorum antiquitatis nostrae!
Ubi habitat?
In urbe! In vetere regione! Interpretem vobis commodabo comitem!
Nullum tibi incommodum! De re nos cogitabimus!
Et ita factum...
Ad vesperam, Princeps!
Valete omnes!
Mu!... Quidnam fortasse in illo **vetere ferramento** invenient?



Qua de causa noluisti ut interpres nos comitaretur?
Res patet perspicua! Ne Princeps, de re comperta, conscius fiat!
Interpretem conquiremus prius quam ad Fabulatorem accedamus; quem rogabimus, ut antiquissimum manuscriptum nobis convertat!
Post aliquantulum temporis...
Pervenimus! En domus aditum!
Rem percepisti, nonne? Desideramus interpretationem ad verbum: verbum pro verbo reddes!
Datur nobis venia? Estne aliquis?
Uack!
Ecce illum!
Vetulus Fabulator dixit: "Bene advenistis, hospites!"
Interpres causam explicat qua re hospites advenerint, atque acinacis confracti partem ei monstrat! Vetulus Fabulator perattente confractum inspicit, ac deinde...
Quidnam dixit?
Agitur fortasse de ea acinacis parte quem habebat nobilissimus pirata Saracenus qui Anatippus vocabatur!





Ex quadam commenticia fabula ille narratur **pretiosissimum thesaurum** abscondisse in quodam **Liguriae** loco, in Italia...
...ibique frustulum laminulae quod deest, etiam inveniri! Qui hoc frustulum reperiet, cognoscet etiam...
...pernotam **Saraceni noctem!**
In qua nocte **omnia evenire possunt!**
Urbes delentur, montes dirumpuntur!
Mare loca montana superat...
Lupus agnulus fit...
Thesauri absconditi in lucem proferuntur!
Qui integrum possideat acinacem, locum, ubi recondatur **thesaurus Anatippi,** recognoscere poterit!
Nunc, sensum huius manuscripti scire velim!
*Vetulus **Fabulator** diligenter illud inspicit; ac deinde...*
Verba, quae intellegi possunt, significant inveniri... ultra mare... thesaurum... scintillulas auri... gemmulas...




...smaragdos... **aurum...** pretiosum... permagnum...
Res mira!
Non intellegit sensum informis scriptionis quae est infra verba!
Delineatio, quae est in parte adversa, **oram Ligurem** exprimit cum collocatione turrium prospectionis, terras litoreas, appulsus seu stationes faciliores...
...atque, hoc signum aliquid magni momenti significare potest! Agitur nempe de **perantiqua tabula geographica Saracenorum!**
Bene est! Quam maximas tibi gratias! Ac vale...
Quidnam dixit?
Id desiderat se vobis utilem in re fuisse...
...atque retributionem ei praestandam esse libellarum...
GRRR! Ea pecunia, quam ego expendi, ut rem exquirerem...: ii sunt qui **verum thesaurum** invenerunt!
Rem ne graviter feras, avuncule! **Divitias** cogita quas percipiemus!
Verum dicis, care Donalde; attamen, partem meam centesimam in re iterum perpendam oportet!
Eamus ad Principem Saracenorum consalutandum, postea, prima aëria navi, quae in Italiam dirigatur, proficiscemur, atque commodum in...



Insequenti die, sabbato, tempore matutino...
...en illam: Genuam!
Nunc, placidum et **commodum** iter habuistis!
Atque... **gratis,** avuncule Scrugule!
Principi **Miscelano** maximae tribuendae sunt gratiae...
...qui nobis quinque optimas sedes reservavit...
...in hoc giganteo aërivehiculo - quod **iactum** appellant - e linea societatis suae aëriae!



Aliquantulum postea...
Hoc signum in tabula indicat locum litoreum inter caput Nauli... et caput Mellis!
SAVONA
Eam regionem exploremus oportet!
Iter faciunt via Aurelia.
Quare, avuncule, hunc currum automobilem conduxisti, in his omnibus qui ibi adstabant? Fortasse ibi, in angulo, diu relictus erat!
Id vobis palam profiteor: mihi placuit duabus de causis: altera, quia in memoriam refert tuum currum automobilem; altera, quia locator...
...mihi dixit eum appellari **Musculum** !
Ah! Ah! Rem acu tetigisti, **avunculus Donaldus Musculum** ducit...
Sgrunt!
SPUT
GNIK
DLENG
Multo tempore exacto...
Tempta, Donalde, ut velocitatem augeas. Iam vir quidam **ante nos ibat** birotam ducens!
Sgrunf! Ad summum velocitatis sumus, bone avuncule!
SCIOK
GNICK
Attamen, frequentiam commeatus minime impedio! Haec regio maritima prorsus deserta est!



Ita sane est! Sed res mira! Sabbatum cum hodie sit, consuetam frequentiam finis hebdomadis adesse oportebat!
Acc... quid accidit?
SKIOP
SKIOP
Rota cummea displosa est?
Re vera... **duae** sunt!
Haec plane nobis adversa fortuna!
Officinam quaeramus: ut eas reficiamus!
Amici exquirunt...
...quaerunt, sed...
Thermopolia, tabernae, deversoria, **omnia clausa** sunt!
Locus quasi **derelictus** videtur!
Quid fortasse accidit?
At!
Praeter ea, caelum rem bonam minime praenuntiat! Tempestas appropinquat!
Sed, em **ibi, vir quidam adest!**



Ignosce, quaeso, o bone vir, ubi inveniemus....
Omnes fugerunt! Locus hic **desertus** est...
Quare ita factum?
Legite! In diario scriptum est! Vetus narratur figmentum quod ad rem refertur!
Fugite, dum tempus est! Valete!
Parum, siste gradum!
VVRRROOOMMMM...
Auribus attentis audite: *"Ex astrologorum praesensionibus hac nocte, locus ripariae occidentalis **maris motu destruetur"!***
"Ex quibus perantiqua confirmatur fabularis narratiuncula: ex qua, una nocte, omnia naturae elementa exsolventur, nonnullae litoreae regiones perturbabuntur ac subvertentur!"
*"Incolae ita terrore sunt affecti ut eam noctem parem cogitaverint cum noctibus terroris quibus eos aggrediebantur terribiles **piratae Saraceni"!***
*"Qua ratione nox illa, **nox Saraceni vocatur"!***
Haec sunt plane quae vetulus ille **Fabulator** nobis narravit! Anxio sum animo!
Tu semper formidolosus! Omnibus narrationibus nugatoriis fidem das!
Quod si haec vera sunt... prudentius erit effugere!
Fiat ita! Sed pedestri itinere et cum sarcinis, parum itineris faciemus!
Tramen sumamus!



En: inspicite delineationem!
Est illud informe scriptum quod nullo modo enodatur!
Ita est, ex hac parte; sed **verte** folium!
Minime est informis delineatio; sed praeruptum illud saxum exprimitur!
Éureka!... Locum invenimus! Fortasse locum repperimus ubi laminula acinacis confracta abscondita restat, atque... thesaurus Anatippi!
Ecce! Et... nunc?
Prospice **ultra!**
Cito! Instrumenta nostra ex autoraeda sumamus atque illud promunturium ascendamus!
Paulo post...
Strenui, pueri, pervenimus!...
Anf... puf... praerupta est semita et ascensu difficilis!
Anxius vere sum! Caelum obscuratur, et ventus vehemens adspirat!
Noli halitum profundere; insta, prosequere!



Puff... pant... viribus prorsus deficior! Parumper quiescamus!
Desiste tandem a lamentationibus! In loco tandem sumus!
Instrumenta detectoria sumite atque perquiramus laminulam quae deest!
Ego... pant... puff... requiesco parumper!
AAHIAAA!
Quisnam clamavit?
Avunculus Donaldus est!
Quid tibi accidit?
Eh! Qui fortunatus esse soleo! Ahi! In **ferramento peracuto** insedi!
Fortasse erit...
Venite, videte!
Paulo post.
Ita est; illud est!
Care nepotule! Tu melior es quam detectorium metallorum omnium optimum! Invenisti laminam...
...qua acinaces completur...
...Anatippi!
ZAZZ



Sed, quid evenit?
Cr... fulmen fuisse arbitror!
Acinaces amplius non comparet!
Abs te dilapsus erit!
Necesse est ut denuo eum inveniamus!
Aliquid ex circumfuso aëre percipio! Quid mirum praesentio!
Eadem et ego experior!
Inspicite! Hic rerum prospectus, ante nos, permutatus est! In litore sumus!
Quid factum est? E loco minime discessimus!
At... illud est praeruptum saxum, in quo consistebamus; et hunc viculum novimus!...
...Vel quod nunc manet!... Vicus mihi multo grandior visus erat!
Tranquillo simus animo; atque rem perpendamus!
Pauca ab illis piscatoribus inquiramus!
Perraris induti vestibus adveniunt!
Sed ii esse videntur...
Piratae Saraceni!
Nos conspexerunt! Effugere non possumus!



Minime animadverterunt nos esse praesentes! Ultra progrediuntur!
Itaque... nos eos videmus, quin tamen ab eis dignoscamur!
Viculus noster est! Omnia depraedemur!
Omnes incolas, nullo excepto, comprehendite!
Vetuli Fabulatoris divinatio plane comprobatur! Adsumus praesentes rebus quae multis saeculis antea evenerunt!
Illae duae acinacis partes, nunc coniunctae, quasi campum magneticum creaverunt: quibus in tempora praeterita translati sumus et cum eis cogitata nostra communicamus!
Quae vix credi possunt!
At... vera haec sunt! Locum, ubi thesaurus Anatippi reconditur, reperiemus!
Nemo est! Locus, certo, desertus est!
Perbelle! Quae dicant, intellegimus!
Anatippe!
Anatippe! Anatippe!


Quid accidit?
Inopinata nostra deprehensio minime successit!
Sgrunt!
Fortasse, de nostro adventu admoniti sunt!
Nemo de nostro adventu admonitus est! Ego solus huius incursus conscius eram!
Attamen, aliquis est allocutus!
Nullo modo! Melius ubique exquirite!
Quocumque perscrutamini! Loculum quasi in miculas redigite! Singulos lapides convertite!
ZACK
Rem strenui assumite, antequam in vos iram effundam!
ZACK
CRACK
Cribro secernite arenam! Rupes diffringite! Arculas recognoscite!
Vel pisces proloquantur!


Grrr... tanta diligentia hunc incursum paraveram!
Ego ipse in perquisitionibus perficiendis particeps ero!
Ab hac domo rem incipio!
Sgrunt! Deserta est!
?
Eho! Eho! En fossulam! Hic, subter, aliquis se recondit!
Exite omnes! Nullum vobis effugium! **In decipulum incidistis!**
TUMP



Actum est de nobis! Deprehensi sumus!
Statim, venite foras!
?
!
Tranquillo sitis animo! Metum expellite!
Nihil mali...
?
...vobis eveniet!
!



Quot sunt incolae in vico?
Tantum... tantum... nos sumus! Ceteri hoc mane effugerunt!
Qua de causa?
Praesagus in hanc noctem **terrificum maris motum** auguratus est!
Cur vos permansistis?
Quia avi mei admodum senes sunt ac debiles, neque in montes ascendere possunt!
Ego... eos derelinquere nolui! Eos tantum in terris habeo!
Rumores persensi!
?
Fortasse quisquam adest!
Silete! Neque rumorem excitetis! Hic maxime securi estis! Postea redibo ut vos adiuvem!
Sed ille est Anatippus!
Cellam subterraneam perquirebam!
Vacua est! Exeamus!
Visum erat nobis voces ac rumores audire, quae ex cella adveniebant!
Fortasse fuit validus venti flatus: aliquando ita nos ludificatur!
Uhm...
Nunc homines convocate, eisque praecipite ut ab inquirendis incolis desinant!
In montes effugerunt omnes! Eos ibi inquiramus!
Minime! Adventat nox! Requiescamus! Cras de re deliberabimus!



Primum, unus ex vobis in navem ascendat mihique calamum et atramentum afferat! Ego in hac domo maneo! De rebus gravioribus scribam oportet!
Paulo post...
Nunc, me solum esse sinite! Ab aliis molestiam suscipere nolim!
En ea!
Eo tabulae folio utar, quod in acinacis capulo abscondi!
Arbitror eum scripturum esse nomen...
...loci in quo thesaurum recondet!
Numquam cogitaveram...
Quis me percussit?
ZAZZ
Quid evenit? Ubi est Anatippus?
Fulmen cecidit, et evanuit!
Sumus adhuc in promunturio ubi laminam acinacis, quae deficiebat, invenimus!
Sgrunt! Coniunctionem eo temporis momento amisimus quo graviora adventura erant!
Cum Anatippus in eo erat ut latibulum thesauri palam ederet!
Cito, avuncule Scrugule, conare si cum tempore praeterito denuo te coniungere possis!
At... ubi est aliud fragmentum...
...acinacis!
Ahia!



Hic est! Crus in illud offenderam!
En qua re coniunctionem cum tempore praeterito amiseramus! **Duas acinacis partes separasti;** alteram in terram procidere sivisti!
Memor sum **aliquem percussisse me!**
Quis fuit?
Quare in me ita oculos conicis?
Scisne? Vere affectus eram! Et corporis aequilibrium amisi ac fere in terram cecidi...
Sgrunt! Tu semper idem scrinifragium!
Fac ita ut coniunctionem iterum conficiamus! Aliter...
Ecce... laminam coniunxi, sed minime...
ZAZZ
Éureka! Factum est! Anatippus, en, adest praesens!
Fossulam aperit!
Cito! Exite quam primum! Abeatis oportet!
Homines nostri suspicantur aliquem in hac domo abscondi! Ego, ut fugiatis, vos adiuvabo!



Tacite me insequimini!
Anatippus quosdam adiuvat ut aufugiant!
Ad arma! Ad arma convenite! Evigilate! **Anatippus nos tradidit!**
Ipse pactum cum incolis huius viculi composuit!
Eos insequamur! Strenue temptemus ne fugiant!
Caput et princeps noster, Anatippe, amplius non es!
Et tu sortem aliorum captivorum subibis!
Nos detexerunt! Conemur si appropinquare possimus!
Prorsus inutile! Avi nullatenus resistent!
Itaque, post illum dumum abscondite vos! Ego in promunturium eos advocabo, ubi turris est!
Cum praeterierint, vos in aliam viam devertite! **Bene vobis!**



Ecce eos! Summum promunturium petunt!
Cito! Ocius movete vos!
Eos deprehendimus!
Eis effugium minime est!
Vos in turrim confugite! Eos continebo ipse!
In decipulum inciderunt!
Multum temporis nullo modo resistes!
Quod re comprobandum est!
Necessario te trades!
CENG
CING
Quid tam magni pretii in ea turri abscondis?
Vestra prorsus nihil interest!
Attamen, pretiosa tua et omnem auri copiam deprehendemus!
Id temptabitis!
Nonne audistis? De auro sermo est!
CENG
CING
CING
Anatippus optime se defendit, sed iam iam fere succumbit! Quam plurimi sunt eius adversarii!



RROOUUUMBLEE
ROOUUUMMMBLEE
Recedamus! Maris motus adest!...
GROOOOUMMMMBLL
In naves confu-giamus!
Anf... puf... salvus tandem sum! Plusculum amplius... Atque plane perieram!
ROOOUUMBL
Spero puellulam et avos tandem effugisse!
Quid hic agis? Quare in fugam non te dedisti?
Te solum relinquere nolui! Tibi adiumento esse exoptabam!
Adeo nobiscum animo fuisti maxime benigno!
Et... avi tui ubi sunt?...



In tuto sunt in quodam specu, post dumum, ubi tu eos reliquisti!
Tranquillis estote animis! Comites mare apertum navibus contingere conantur! Inspice illic deorsum!
Curant ne velocissimae naviculae, pretiosis onustae, in scopulos infringantur!
Arbitror eos rem non optime perfecturos! Vehementissima est procella!
Animus hoc rerum aspectu commovetur!
Nox maxime furit! Omnia naturae elementa simul concitata sunt!
In ea nocte, quae huic similis sit, **omnia evenire possunt!**
Etiam id: quod terribilis Saracenus, **amore ductus puellulae,** vitae genus mutare constituat!
?



Inspice illum fluctum! Est quasi aquae mons, immensus!
Vehementissimus est fluctus maris motus!
Non amplius resistere poterimus...


SSSCCCFFROOUUUM
Anatippus et puellula...
...evanuerunt!
Immenso maris motus fluctu submersi...!
Miselli! Benevolentiore animo eos prosequebar!


Robustior sane est! **Salvi sumus!**
Conspice caelum! Clarescit!
Ecce eos! In turrim confugerant!
Eamus ad avos suscipiendos!
Parumper exspecta! Antea rem tibi commonstrabo!
Perantiqua tabula, in capulo acinacis mei, reconditur: in qua **copiosus** describitur **thesaurus!**
En illa tabula!
Audi me! Res est maximi momenti!
Vos quoque, pueri, maxima attentione percipite! **Illud momentum, quod anxiis animis exspectabamus,** tandem advenit!
Thesaurus Anatippi, ubi recondatur, nunc tandem **aperte sciemus!**
"Nox est Saraceni!"
Numquam id cogitaveram/ - quamquam multum navigaram -/ tot mira in terris videre,/ transmarina potiora esse./
Omnes per terras te quaesivi, / hoc loculo te condidisti, / hac nocte te excitavi,/ pulcher thesaure, optate.
Tu sol semper resplendes: / ego ipse nil profecto; / validum profundis lumen, / tibi iunctus fulgor et ego!


Massa auri et scintillulae,/ quas in arculis recondidi,/ lapillis sunt simillimae, / cum tuo in conspectu splendent!
Tu pulchella plus quam flos,/ unguenta manas ac diffundis, / pellis tua delicata / caudicem rosae superat!
Ocelli tui gemmulae,/ smaragduli splendentes,/ coma tua aurum diffluit, / os tuum risu amabile!
Amor hic immensus crescit,/ adversa sternit omnia: / eo animus inflammatur, / quem in te tandem defixi!
Placuitne declaratio amoris mei?
Multum sane! Blandis tuis verbis nostroque tempori accommodis capta sum, atque rubore suffusa!
Uack! Novum amoris carmen!
Huius noctis memoria in corde fixa perstabit!
Gratiae tibi quam maximae!
Nunc, proficiscar oportet! Prius, tamen, gladium diffringam. Quo gestu, quasi in symbolum, gravissime obtestor ac fidem facio me genus vitae mutaturum!
Fragmentum in memoriam mecum servabo!
Aspice quid de eo faciam!
Haec habeto...


ZAZZ
Imago tandem evanuit! In tempus praesens revertimur!
Grunf! Tabula illa carmen amoris erat, atque immensus thesaurus... haec puella!
Hoc **pervetustum ferrum** amplius **nihil** valet!
Malum! In memoriam poterat reservari...!
Procedamus! Diluculo albescit dies! Genuam redeamus oportet!
Ad rem nostram! Nonne **maris motus** adveniebat?
Nihil tamen, ut videtur, factum! Conspicite! Viculus immutatus perstat!
Hac tamen nocte rem experti sumus quae ex animo **numquam delebitur!**
Quam tamen enarrare non possumus! Nemo nobis fidem praestaret!
Quid vobis videtur, amici? Haesitantes, remque admirantes, vos animadverto. Sed experimini et vos ut gladium **Anatippi** exquiratis. Eum fortasse reperietis et **cognoscere poteritis, fortunati vos, quae sit...**
...nox Saraceni!
Finis



Colléctio "DISNEY LINGUĀ LATĪNĀ" compléctitur X volúmina, quórum iam édita sunt:


I. DONÁLDUS ANAS ATQUE NOX SARACÉNI

II. MÍCHAËL MÚSCULUS ET LAPIS SAPIÉNTIAE

III. DONÁLDUS ANAS ET ACTIÓNES FIDÚCIAE

IV. SCRÚGULUS ET RÁDIUS CONTRA PROCÉLLAM

RES NOVISSIMA IN ORBE TERRARUM: COMMENTARIOLUS LATINE SCRIPTUS CUI NOMEN EST "IUVENIS"



Editur ab Instituto: **"EUROPEAN LANGUAGE INSTITUTE"** P.O. BOX 6 - RECANATI - ITALY

WÖRTERLISTE ZU DONALDUS ANAS ATQUE NOX SARACENI

Seite V

Donaldus	Donald
Anas, Anatis f	Ente (Duck)
saracenus, -a, -um	sarazenisch
saracenus, -i m	Sarazene
mare Mediterraneum	Mittelmeer
infestare	unsicher machen
litoreus, -a, -um	Küsten-
terrorem seminare	Schrecken verbreiten
sane	in der Tat
sulcare	durchpflügen

Seite VI

avunculus, -i m	Onkel
lampas, -adis, f, Akk: -ada	Lampe
reverberare	reflektieren
umerus, -i m	Schulter
sustinére	tragen
pavorem inicere	Schrecken einjagen
aliquem affícere	jemandem etwas antun
assequi, assecutus sum	erreichen
commodum Adv.	gerade eben
res gestae, rerum gestarum	Taten
volumen, voluminis n	Buch
excitare	anregen
anaticula, -ae f	Entchen (Daisy Duck)
pompa personata	Maskenball
exhibére	veranstalten
animo benefaciendi	für einen wohltätigen Zweck
magnum deversorium	Grandhotel
diffríngere, diffregi, diffractus	zerbrechen
excípere, excepi	bekommen
arca sarcinaria	Koffer
sub tegulis	unterm Dach
Scrugulus	Dagobert Duck
compensare	ausgleichen
reconditorium, -ii n	Speicher
in mora esse	in Eile sein
pro!	Achtung!

Seite VII

adversus, -a, -um	feindlich
capulus, -i m	Griff
folium, -ii n	Blatt
corrúmpere, corrupi, corruptus	beschädigen
tabula geographica	Landkarte
sínere	lassen
puellus, -i m	Junge
thesaurus, -i m	Schatz
consúmere, -sumpsi, -sumptus	zerstören
signare	bezeichnen
detégere	aufdecken
expedit	es ist nützlich

Seite VIII

insequens, -ntis	folgender
ferramentum, -i n	Eisen, Schwert
contineri	enthalten sein
chartula, -ae f	Karte
qua ratione?	aus welchem Grund?
in memoriam revocare	in Erinnerung rufen
acinaces, -cis m	Krummsäbel
primus dominus	Erstbesitzer
convértere	übersetzen
ecquid?	quid?
lucrum, -i n	Gewinn, Vorteil
inde	daraus
obvenire	zuteil werden
lucellum, -i n	Sümmchen
centesima, -ae f	Prozent
nepotulus, -i m	Neffe
vicesima pars	ein Zwanzigstel
sarcinae viariae	Reisegepäck
in crastinum =	cras
pérgere	aufbrechen
cimelium, -ii n	Kleinod

Seite IX

arridére	anlächeln
aeroplanum, -i n	Flugzeug
stationem fácere	landen
sis = si vis	wenn du willst
aerinavis onerata	Frachtflugzeug
assúmere	nehmen
convectorum aerinavis	Passagierflugzeug
classis aeria	Luftflotte
nimirum Adv.	ohne Zweifel
gratuito	gratis
iter aerium exígere	eine Flugreise beenden
evigilare	aufwachen
somniculosus, -i m	Schlafmütze
obmurmurator, -oris m	Meckerer
relaxare	entspannen
Arabes, Arabum m	die Araber
piscina, -ae f	Swimmingpool
campus teniludii	Tennisplatz
ventilatio, -ionis f	Belüftung
temperare	regeln

Seite X

re vera	tatsächlich
gaudio affectum esse	von Freude erfüllt sein
quid agitur?	was ist los?
stativa, -orum n	Zeltlager
villula, -ae f	Villa
inundatio, -ionis f	Überschwemmung
prorsus Adv.	völlig
exundare	überschwemmt sein
petroleum, -ei n	Erdöl
aliquem tristitia afficere	jemanden traurig machen
negotiolum, -i n	kleine Sorge
plane enarrare	offen erzählen

prodere ab aliquo loco	von woher kommen
memoria tenére	sich erinnern
conquisitor, -oris m	Sammler
res vetustae	Antiquitäten
comparare	erwerben
equidem	allerdings
fidem fácere	überzeugen
figmentum, -i n	Erdichtetes
vestra interest	es interessiert euch
aliquem edocere	jemanden aufklären
fabulator, -oris m	Geschichtenerzähler
vetulus, -a, -um	alt
res commenticiae	erfundene Begebenheiten
facinus, -noris n	Tat
antiquitas, -atis f	Antike
interpres, -etis m	Übersetzer
commodare	mitgeben
vespera, -ae f	Abend

Seite XI

comitari	begleiten
patére	offen stehen
perspicuus, -a, -um	deutlich
comperire, comperi, compertus	in Erfahrung bringen
conscius, -ii m	Mitwisser
aliquantulum, -i n	ein klein wenig
aditus, -us m	Eingang
rem percipere, percepi	eine Sache verstehen
ad verbum	wörtlich
reddere	wiedergeben
veniam alicui dare	jemandem Verzeihung gewähren

Seite XII

Liguria, -ae, f	Ligurien (Landschaft in Norditalien)
frustulum laminulae	Metallstück
pernotus, -a, -um	sehr bekannt
dirumpi (Passiv)	bersten
montanus, -a, -um	gebirgig
agnulus, -i m	Lamm
in lucem proferre	ans Licht bringen
integer, integra, integrum	unversehrt
recondere	aufbewahren
sensus, -us m	Sinn
ultra mare	jenseits des Meeres
excavare	aushöhlen
scintillilae auri	funkelndes Gold
gemmula, -ae f	Edelstein

Seite XIII

smaragdus, -i, m	Smaragd
informis, -e	entstellt
infra (Präp. beim Akk.)	unter
delineatio, -ionis f	Skizze
ligus, liguris	ligurisch
exprímere	darstellen
collocatio, -ionis f	Lage
turris prospectionis	Beobachtungstürme
appulsus, -us m	Landung
aliquid magni momenti	etwas von großer Bedeutung
significare	bedeuten
retributionem praestare	eine Rechnung bezahlen
libella, -ae f	Heller
expéndere, expendi	bezahlen
aliquid graviter ferre	sich über etwas erregen
pars centesima	prozentualer Anteil
perpéndere	genau abwägen
consalutare	begrüßen

Seite XIV

sabbatum, -i n	Samstag
tempus matutinum	Morgen
placidus, -a, -um	ruhig
gratias tribúere	Dank abstatten
giganteus, -ea, -eum	riesig
societas, -atis f	Gesellschaft
aerius, -ia, -ium	Luft-

Seite XV

caput Nauli	Capo di Noli
caput Mellis	Capo Mele
condúcere, -duxi, -ductus	mieten
adstare	dastehen
angulus, -i m	Ecke
palam profiteri	offen zugeben
musculus, -i m	Mäuschen
velocitatem augére	die Geschwindigkeit erhöhen
birota, -ae f	Fahrrad
maximum velocitatis	Höchstgeschwindigkeit
frequentia commeatus	Verkehr
maritimus, -a, -um	Küsten-
desertus, -a, -um	verlassen

Seite XVI

consuetus, -a, -um	gewöhnt
frequentia finis hebdomadis	Wochenendverkehr
rota cummea	Reifen
displosus PPP zu displódere	geplatzt
officina, -ae f	Werkstatt
compónere, -posui, -situs	in Ordnung bringen
thermopolium, -ii n	Gasthaus
taberna, -ae f	Laden
deversorium, -ii n	Hotel
derelictus PPP von derelínquere	gottverlassen
praenuntiare	ankündigen
tempestas, -atis f	Unwetter
em!	schau!

Seite XVIII

enodare	entwirren
praeruptus, -a, -um	steil
saxum, -i n	Fels
eureka! (griech.)	ich hab's!
absconditum restare	verborgen liegen
prospice ultra!	schau weiter!
autoraeda, -ae f	Auto

promunturium, -ii n	Vorgebirge
strenuus, -ua, -uum	tüchtig
semita, -ae f	Weg
ascensus, -us m	Aufstieg
obscurare	verdunkeln
adspirare	wehen
halitum profúndere	Atem verschwenden
insta!	vorwärts!
prosequi (Dep.)	folgen

Seite XIX

viribus defici (Passiv)	von seinen Kräften verlassen werden
parumper	ein Weilchen
lamentatio, -ionis f	Klage
instrumentum detectorium	Suchinstrument
perquírere	genau suchen
peracutus, -a, -um	sehr scharf
detectorium, -ii n	Sonde
metallum, -i n	Metall
complére	ergänzen

Seite XX

évenit	es ereignet sich
fulmen, fulminis n	Blitz
comparére	vorhanden sein
amplius non	nicht mehr
denuo Adv.	von neuem
aer circumfusum	die umgebende Luft
percípere	wahrnehmen
praesentire	ahnen
experiri	bemerken
prospectus, -us m	Ansicht
consístere	sich hinstellen
viculus, -i m	kleines Dorf
perpéndere	genau überlegen
piscator, -oris m	Fischer
aliqua re indutus	mit etwas angezogen
perrarus, -a, -um	sehr selten

Seite XXI

praesens, -ntis	anwesend
ultra progredi (Dep.)	weiterlaufen
quin (beim Konj.)	ohne daß
dignóscere	erkennen
depraedari (Dep.)	ausplündern
nullo excepto	ohne Ausnahme
divinatio, -ionis f	Prophezeiung
comprobare	erfüllen
campus magneticus	magnetisches Feld
creare	erzeugen
cum aliqua re translatum esse	in eine Sache versetzt sein
communicare	verbinden
perbelle!	prima!

Seite XXII

inopinatus, -a, -um	unerwartet
deprehensio, -ionis f	Überfall
succedit, successit	es gelingt
admonére, admonui, admonitus	warnen
incursus, -us m	Angriff
alloqui, allocutus sum (Dep.)	reden
ubique	überall
exquírere	durchsuchen
quocumque	wo auch immer
perscrutari (Dep.)	suchen
loculus, -i m	Kaff
in miculas redígere	zerstückeln
rem assúmere	etwas durchführen
iram effúndere	seinen Zorn ausgießen
arenam cribro secérnere	den Sand durchsieben
rupes, -is f	Fels
diffringere	zerbrechen
arcula, -ae f	(Schmuck-)Kästchen
recognóscere	untersuchen
proloqui (Dep.)	reden

Seite XXIII

perquisitionem perfícere	eine Untersuchung durchführen
in aliqua re particeps esse	sich an einer Sache beteiligen
fossula, -ae f	Schacht
subtus Adv.	unten
effugium, -ii n	Entrinnen
decipulum, -i n	Falle

Seite XXIV

actum est de aliquo	es ist um jemanden geschehen
deprehéndere, -ndi, -nsus	entdecken
foras (Adv.)	hinaus
expéllere	verscheuchen

Seite XXV

tantum Adv.	nur
hoc mane	heute morgen
praesagus, -i m	Seher
terrificus, -a, -um	schrecklich
maris motus	Seebeben
augurari (Dep.)	prophezeien
permanére, -mansi	bleiben
avi, -orum m	Großeltern
admodum Adv.	sehr
senex, senis	alt
debilis, -e	gebrechlich
derelínquere	im Stich lassen
rumor, -oris m	Stimme
persentire, -sensi	deutlich hören
cella subterranea	Keller
flatus, -us m	Wehen
ludificari (Dep.)	zum Narren halten
aliquando Adv.	manchmal
desínere ab aliqua re	mit etwas aufhören
aliquem inquírere	jemanden suchen
adventare	nahen
deliberare	nachdenken

Seite XXVI

calamus, -i m	Feder

atramentum, -i n	Tinte
abscóndere und recóndere	verstecken
percútere, -cussi	schlagen
evanéscere, evanui	verschwinden
coniunctio, -ionis, f	Verbindung
momentum temporis	Augenblick
latibulum, -i n	Versteck
palam édere	preisgeben
patruus, -ui m	Onkel

Seite XXVII

crus, cruris n	Bein
procídere	hinfallen
oculos in aliquem conícere	jemanden anschauen
aequilibrium, -ii n	Gleichgewicht
scrinium, -ii n	Kapsel
fragium, -ii n	Bruch
quam primum	möglichst schnell

Seite XXVIII

tacitus, -a, -um	leise
pactum compónere	sich verbünden
sortem subire	ein Schicksal erleiden
nullatenus Adv.	keineswegs
dumus, -i m	Strauch
se devértere	sich wenden
bene vobis!	alles Gute für euch!

Seite XXIX

ocius Adv.	schneller
continére	aufhalten
comprobare	beweisen
pretiosum, -i n	Schatz
iam iam	im nächsten Augenblick
succúmbere	unterliegen

Seite XXX

plusculum amplius	ein bißchen länger
perii (Perf.)	ich bin verloren
puellula, -ae f	Mädchen
se in fugam dare	fliehen
alicui adiumento esse	jemandem beistehen
exoptare	sehnlich wünschen
adeo	so sehr

Seite XXXI

in tuto esse	in Sicherheit sein
specus, -us m	Höhle
mare apertum	das offene Meer
illic deorsum	dort hinab
navicula, -ae f	Schiff
aliqua re onustus	mit etwas beladen
scopulus, -i m	Klippe
infríngere	zerbrechen (trans.)
procella, -ae f	Sturm
fúrere	toben
concitare	in Bewegung setzen

Seite XXXII

fluctus, -us m	Woge

Seite XXXIII

submérgere, -mersi, -mersus	versenken, Pass.: versinken
misellus, -a, -um	unglücklich
benevolens, -entis	wohlwollend

Seite XXXIV

claréscere	hell werden
aliquem suscípere	sich jemandes annehmen
commonstrare	zeigen
descríbre	beschreiben
copiosus, -a, -um	reich
transmarinus, -a, -um	überseeisch
potis, -e	mächtig
excitare	aufwecken
optatus, -a, -um	ersehnt
resplendére	strahlen
profundum, -i n	Tiefe
fulgur, fulguris n	Blitz(Strahl)

Seite XXXV

massa, -ae f	Menge
lapillus, -i m	Kieselstein
pulchellus, -a, -um	schön
unguenta manare et diffundere	Düfte ausströmen und verbreiten
pellis, -is f	Haut
delicatus, -a, -um	zart
caudex, -icis m	Blatt
ocellus, -i m	Auge
difflúere	sich ausbreiten
coma, -ae f	Haar
risus, -us m	Lachen
stérnere	glätten
inflammare	entzünden
in aliqua re defígere	an etwas heften
declaratio, -ionis f	Erklärung
blandus, -a, -um	betörend
accomodus, -a, -um	passend
rubor, -oris m	Röte
suffúndere, -fudi, -fusus	übergießen
perstare	fortdauern
gestus, -us m	Handlung
obtestari (Dep.)	feierlich versichern

Seite XXXVI

malum!	verdammt!
diluculum, -i n	Morgendämmerung
albéscere	hell werden
fidem praestare	Glauben schenken


Letzte Seite

commentariolus, -i m	Heft



R. GOSCINNY Asterix A. UDERZO

Asterix legionario



Guión de
René GOSCINNY

Dibujos de
Albert UDERZO

SALVAT

QUIDAM GALLORUM...



ASTERIX heros noster est, qui subiit haec pericula. Ei viro bellicoso humili statura ingenioque callido omnia periculosa mandata sine ulla dubitatione committuntur. Vim plus quam humanam ex potione magica Panoramigis Druidae trahit...




OBELIX inseparabilis Asterigis amicus est. Munus eius est ingentes cippos comportare, valde amat carnem aprorum. Obelix semper paratus est omnia ex manibus demittere, ut Asterigem ad novum periculum subeundum sequatur, dummodo apri et acerrimae rixae appareant.



PANORAMIX, venerabilis vici Druida, visca secat potionesque magicas miscet. Imprimis potio quaedam, quae vires incredibiles tribuit, popularissima est atque gratissima vicanis. At Panoramigi etiam aliorum potuum praecepta sunt...



CANTORIX bardus est. Iudicia de eius indole diversa sunt: ipse se ingeniosum iudicat, omnes ceteri cantus eius incredibiles esse sentiunt. At cum nihil dicit, sodalis hilaris atque alacer est, ab omnibus magni aestimatus...



MAIESTIX postremo princeps civitatis est. Augustus, fortissimus, suspiciosus homo rei militaris peritissimus a suis colitur, timetur autem ab hostibus. Maiestix nihil timet nisi hoc unum: ne caelum in caput cadat. At ut ipse dicit: „Nondum omnium dierum sol occidit."


viculus quidam Gallorum nobis bene notus gratia solis non minus quam pacis fruitur...
carpamus hunc diem apricum apros venando, Obelix!
ita! venemur, Asterix!
bau!
VUM!
CRAAACC!
?!?
eii!
quid hoc sibi vult? te arbores caedere iuvat, dum ego visca secaturus sum?!
ehem... parum diligenter haec silva colitur, quam copia arborum non videam.
age! tandem eamus venatum!
!?!
ULUULUUL!



postea...
nonne prospere venati sumus, Obelix?
quid?
apris sine mora consumptis paululum requiescemus!
heus, Obelix! fac apros apportes!
quid? quos apros?
nunc reminiscor: apros!
GRRRRRR!
paulo post...
ah! optime sapiit!...
2A
age, Obelix! fac comedas tuum tertium aprum, ut paulum somni capiamus.
tertium repudio, quia fame non premor. *gemitus altus*
laborasne aliquo morbo, Obelix?
nullo! nullo morbo! *altior gemitus*
altissimus gemitus
veni celerrime, Panoramix, noster Druida, celerrime veni! inquietus sum: Obelix tertium aprum repudiat, quia fame non prematur!
et antea nihil edit?
duo quidem apros!
nihil igitur edisse videtur. inspiciendus est!
2B




prosternit arbores, aprum duoque Romanos repudiat, nil iam edit...
salve, o Panoramix, Druida noster!
salve!
ecce! cum de apro loquimur!...
!?
quo vadis, Obelix?
TIC!
quid?... at... cippos meos traditurus sum.
cipposne tuos?... at ne unum quidem cippum portaturus es!
revera!... verum dicis!... certum scio me domo exeuntem cippos portavisse!
Falbala! paucis te volo!
quid est, o Druida noster?
tibine noti sunt Asterix Obelixque?
Falbala! tu certe es filia Aquaplanigis, quae litteris studendi causa Condatem profecta est... paene te noniam recognovi!
duo annos ibi versata sum... parva puella hinc discessi crines tali modo compositos gestans.
hodie: Rennes
reminiscerisne Obeligis?
certe reminiscor! is est, qui natus infans in potionem magicam incidit. Quomodo vales, Obelix?
vrcstrrg!!
ecce Idefix!
dulcissimus est!
GRRR!
valete!


!?!?
HAHAHA! HOHOHO! HIHI!
TIC!
Hihihihihi! Huhu! Huhu!
quidnam? quidnam?
Obelix, amicissime! amore incensus es!
egon'? amore? nullo modo!
Idefix quidem nullo modo consentit!
phhh!
contra amorem mihi nulla potio magica est.
amore! pah!
4A
dic mihi soli: placetne tibi illa parva Falbala?
hu! hu! hu! hu!
POC! POC! POC!
fac eam visites! casa Aquaplanigis non longe abest.
ooooh!...
non audeo!
CRAAACC!
ULULUUL!
sed ne minimum quidem sonum sonavi!
4B



te Falbalae aliquid dono daturum oportet, cum salutationem facies.
SNIF
ita habebis, quod cum ea colloquaris!
bonum consilium, optimum consilium est. dictum factum: donum comparabo!
TAP! TAP! TAP!
multarum rerum peritus es, Asterix!
hehe!
ecce donum!
!?!
Num tale ei dono dare vis?
cur autem non? est quidem optimus omnium, quos habeo, cipporum.
at non est donum puellae aptum!
quidnam aliud? megalithumne vel aprum?
immo nihil eiusmodi! te aliquid delicatum atque dulce dono daturum oportet... velut... flores! carpe in silva fasciculum florum. hoc placebit!
optime consulis! iam carpturus sum!
sed ne iterum arbores prostraveris!
pah!
hoc ipso tempore manus Romanorum silvam pervagatur — cautissime per Iovem...
unum hoc cavendum est: ne in Gallorum manus incidamus!


locum prope quercum magnam novi, quo permulti flores caerulei exstent! delicati atque dulces!
venit aliquis per Mercurium! fortasse Galli sunt. cavendum est, ne deprehendamur!
eamus ad illam quercum magnam!
sed... sed eos huc venire credo!
6A
eho... quomodo vales?
nonne vos pudet flores meos caeruleos proculcare?
veniam a te petimus; nescivimus esse interdictum flores proculc...
TAX!
et hominibus rudibus fugatis...
aegre fero, quod vos Romani neque delicati neque dulces estis...
...quodque egomet ita timidus sum!
SNIF!
audivistisne, quae ille dinosaurus dixerit?
audivi! plane delirant isti Galli!
6B


vere pulcher est fasciculus tuus! dulcissimus!
an in cassidem imponam? nonne speciem dulciorem praebebit?
ne imposueris! fac cassidibus depositis fasciculum Falbalae afferas!
at non audeo. ve... venisne mecum?
si vis!
tune quoque mecum venis, Idefix?
phh!
tu quidem fasciculum trades, cum ego discedam...
hic remanebis!
7A
Falbala!
tacedum! nos audire potest!
praesto sum, Asterix!
Obelix, amicus meus, donum tibi tradere vult, Falbala.
mihine?
ita! tibi!
fac flores tradas!
BOM! BOM! BOM!
oh! pulcherrimi sunt illi flores!
assidite paulisper!
dic aliquid!
vrgstrrg!
e... ego... ego nunc discedam!
7B



litteras tibi affero, Falbala!
ah! Claudius Thomasius, cursor publicus!
conceditisne, ut statim litteras perlegam?
nimirum concedimus!
vae! per Belisamam!
quid factum est? aliquid mali?
lege!
MIHI TANTUM TEMPORIS RESTAT, UT TIBI HAEC PAUCA INCIDAM: ROMANI ME VI IN LEGIONEM COEGERUNT. IN AFRICAM PROFICISCEMUR. VALE! TRAGICOMIX
quis est ille Tragicomix, Falbala?
nos Condati in urbe cognovimus. sponsus meus est. me in matrimonium ducere voluit.
8A
desine flere, Falbala. Tragicomigem tuum tibi adducemus, nonne Asterix?
dictum factum! sponsum tuum afferemus, etsi nobis in Africam proficiscendum erit. veni mecum ad Maiestigem, principem nostrum, Obelix.
magnanimitatem tuam valde admiror, Obelix. continentia tua te decet. cum Falbalam sponsam esse cognovisses, tamen non...
8B
ULULUL!
omnium miserrimus sum!


snif!
res mira est, o Maiestix! cur Romani raptim milites conscribunt?
Caesar in Africa difficultates habet, ubi contra cives suos, qui Pompeio favent, pugnat.
phh!
secundum novissimos nuntios Ruspinae* obsidetur. subsidio ei opus est. conquisitores milites voluntarios quaerunt, quos, si militiam detractant, vi in legionem cogunt.
*hodie Monastir in Tunesia
statim Condatem proficiscamur, ubi Tragicomigem adulescentem efferre conabimur, antequam in Africam abstrahetur.
hoc ipsum, mi amici, a vobis atque vestra tanta fortitudine exspectavi, quia sponsus Falbalae...
ULULULUL!
omnia celerrime praeparata sunt...
haec est tua potio magica, Asterix!
gratias tibi ago, o Panoramix, Druida noster!
snif!
...et tempus valedicendi adest...
quomodo vobis gratiam referam?
gratiam refer, cum Tragicomigem rettulerimus. quod fiet, nisi caelum in caput nostrum incidet!
probum te gere, Idefix. brevi redibo!
Idefigem tibi commendo, Falbala!
diligentissime ei prospiciam, Obelix... tam dulcis est!
Grrrr!
SMAC!


ergo non canam?
ita est! non canes!
post iter breve atque non turbatum...
praetorium legionis Romanorum nobis inveniendum est. simulatque aliquem legionarium viderimus, interrogabimus!
CONDATE
eodem tempore prope ab hoc loco in viis Condatis...
ave!
heus tu! cur praesidium non salutas?
ave!
nunc quidem venia datur, sed memoria tene: praesidium semper salutandum est!
ecce praesidium. moremur atque...
fiet!
morare, Obelix!
post punctum temporis...
sed eos morari satis erat!
morantur, ut vides!
nonnumquam urbanitate opus est!
quaeso a te, ut mihi sis benigne explicare velis, ubi praetorium sit!
tertia via a sinistra, sed desine sis benigne me mulcare!
urbanitate omnia assequeris, Obelix!
ave!


ecce praetorium legionis Romanae. mane hic, quia tibi non confido. semper urbanitate opus est.
transire non licet. si vis conscribi, vir Gallice, post ordinem tibi consistendum est ut aliis!
quaeso a te, ut mihi sis benigne explanare velis...
consiste post ordinem, ut iam tibi dixeram!
sed mihi tempus deest.
mea non interest!
enervat me! revera enervat me! per Teutatem!
TAX!
nunc modum transiit...
attat!... quomodo urbanitas eius a mea differatur, non intellego.
VAM!
ubi est ministerium informationis?
nescio, ubi sit. interroga ministros informationis, qui te informabunt.
11


ah! hic est, quod quaeram!
INFORMATIONES
quaeso a te, ut mihi sis benigne explicare velis, num legionarius nomine Tragicomix conscriptus sit.
desine tundere, Processe, quia nil audire possum.
VAP! VAP! VAP!
haec tibi ministerium conscribendi explicabit, quod reperies post quartam portam a sinistra!
in ministerio conscribendi...
TABULA CONSCRIPTORUM
mihi in manu sunt quattuor reginae.
haec tibi lavandaria explicabit, Galle!
12A
vap! lavatrices vap! Lusitaniae vap!...
LAVANDARIA
haec tibi ministerium informationis explicabit! per Iovem!
INFORMATIONES
nunciam satis est!
VAM!
fac mihi explices, ubi sit Tragicomix!
VAP! VAP! VAP!
TAX! TAX! TAX! TAX! TAX!
desine tundere, Galle, quia nil audire possum.
TAX! TAX! TAX!
12B




multiplicaturus sum tabulas voluntariorum, quae omnibus ministeriis permittantur. duodena exemplaria postulantur. cuius quaeris nomen?
Tragicomigis.
litterane ,,T'' sculptum ut illud ,,Timeo Danaos et dona ferentes''?
ah... hic est! Tragicomix paulo ante cum copiis nostris profectus hoc ipso tempore Massiliae navem, ut suspicor, conscensurus est, quae Caesari subsidia in Africam transvehat.
INFORM
in Africam igitur...
sequere me, Obelix!
mene vocasti, Asterix?
revera vocavi!
13A
iam sequor!
paene oblitus sum: urbanitate opus est!
TAX
?!!
Tragicomix hoc ipso tempore navem in Africam conscensurus est. quem reperire non possumus, nisi ultro profiteamur!
nisi... profiteamur!? ...fiat quidem, si nos hoc modo Falbalae usui futuros credis!
paulo post...
eiii! scire velim, quid illi ambo me voluerint!
13B



ecce, nostri voluntarii! intrate, quaeso, iuvenes! nobis omnibus exspectati venitis!
sed nunc quidem nulla urbanitate usi sumus, Asterix,
tempus urbanitatis veniet, Asterix, tempus veniet!
agite, amicissimi! nomina date vestra huic legionario, ut conscribamini!
14A
DAKTYLOS, GRAECUS SUM, PER IOVEM!
Redimix, ego Britannus esse, annon?
Musculix vocor, Belga sum.
Frederic, Gothus!
Allegoric, etiam Gothus!
interpres!
Frederic et Allegoric, Gothi.
quaerit, num hoc deversorium sit.
hac opinione confirmata nomen eius inquirendo reperi, ut conscribi possit.
Campusteniludiis.
TOC! TOC! TOC!
Asterix Obelixque, Galli.
ita est!
TOC! TOC! TOC!
silentium! desinite ridere! nunc estis conscripti!
14B


ordinem constituite! et quidem celerrime!
licetne urbanitate uti, Asterix?
nondum licet, Obelix!
silentium!
quidnam dixit?
dixit se conclave cupere, unde viam videre possit.
dic mihi: quamdiu eiusmodi nugas dicimus? nobis enim tempus non est.
quid? tam diu mihi dicere placet, puerule...
silentium!
quid est?
Aegyptius conclave cupit, unde viam videre possit.
licetne conclave eligere?
quiescam... totus quiescam!
sequimini me. nunc ad medicum militarem adducimini, qui destinet, num satis bona valetudine sitis ad militiam faciendam. consistite quaeso ordinatim!
laevo, dextro! laevo, dextro! laevo,...
heus, centurio! Aegyptius dixit nil interesse, utrum laevum an dextrum conclave accipiat, si modo viam videre possit.
ubi... ubi constiti?
„laevo" clamasti!
ita! et nunc tibi „dextro" clamandum esse credo.



ecce novos legionarios!
bene! impera, ut vestes ponant.
vestes exuite!
veſtes exuite!
me nimis gracilem putat, quam ut legionarius fiam.
minoris me ponderis eſſe dicit.
Aegyptius mores deversoriorum Gallicorum miros iudicat. dixit...
mea non interest! aptus est ad militiam Caesare duce capessendam. movete vos omnes!
accipite nunc vestes militares!
immo nescis, quid velis!
delirant isti Romani!
quid dixit ille Gallus?
dixit centurionem nescire, quid velit.
quis tibi, ut converteres, imperavit?
quid centurio dixit?
quid Gothus dixit?
egon' convertere pergam?
GNGNGNGNGNGNGNGN
animum attende! non hic sumus, ut delectemur. dic tandem, quo nobis eundum sit. severiore disciplina utendum est!
16B


ibi vestitum militarem accipietis!
exstant vestitus trium spatiorum: parvi, medii, magni. dicite spatium vestrum.
parvum!
ecce hic!
medium!
?!!
desine ineptire, Obelix!
quidnam vis? hoc est spatium meum, ut vides!
GNGNGNGN!
quid hoc denuo sibi vult?
VAM!
BOING!
huncne vestitum medii spatii esse pro certo habes?
nescio, num medii spatii sit, sed hoc vestitu indutus in conspectum centurionis venire non potes!
GRR
quid dixit centurio?
dixit
Grr
quid ei dixisti?
GRR
cum eiusmodi nugas narraturi simus, audite haec: novistisne fabulam de illo Druida, cui psittacus erat surdus mutus-que...



BONG! BONG! BONG!
descendite nunciam in aulam exercendi causa!
MANETE PAULULUM! NE UNUM QUIDEM VERBUM ADHUC DE STIPENDIO DICTUM EST!
?!!
sex asses in singulos dies.
NUM ME LUDIBRIO HABES, PER MERCURIUM?
quo loco te esse credis?
QUO SIM LOCO SCIO; SED SCIRE SALTEM VELIM, NUM OPERAE SIT PRETIUM!
iam tibi dixi: sex asses!
OCTO!
pretium quinque assium pro huius modi deversorio maximum esse dixit.
?!
quantae librae pondo sunt quinque asses?
libras pondo esse credo...
quousque tandem verba facite? utrum nos ducere vis ad locum exercendi, an nos accusatum ire mavis, per Teutatem?
paulo post...
permultum temporis trivisti, Milesgloriose! suntne isti nostri novi legionarii?
centurio noster miram quidem speciem praebet.
ULULUL!
visne scire, quam speciem ille mihi praebeat? amantis!


te... te in taberna centurionum exspecto...
audite, barbarorum grex!... exercitor vester sum, cuius munus est vos bonos legionarios reddere...
bene! sed festina reddere, quia nobis non multum temporis est!
quid?
silentium! state immobiles! enervate me, per Iovem!
paulo tardius clama, ut translatio orationi tuae par sit!
TARATANTARA!
tacedum!
et quod ad te, homo inhumane...
sst, quaeso! nonne sentis te tubicinem miserum enervare?
TARATANTARA!
TARATANTARA!
ad ius canitur!
bene contingit! fame premor!
AD IUS?
ad ius!
in taberna centurionum...
ecce, Pulchelle! domuistine iam advenas?
EIIII!
estne captus amore?
19


Aegyptius indicem mensarum videre cupit.
dic mihi: etiamne apros hic apponi credis?
exspectandum non est. quo melior exercitus, eo peior mensa. quod animos militum concitat.
VLAP!
VLAP!
GLUT!
exercitus Romanorum omnium opinione melior est.
Aegyptius statim cum procuratore peni loqui vult!
TALI CONDICIONE PROPOSITA NON MANEBO, NISI DUODECIM SALTEM ASSES OFFERUNTUR.
haec mensa Gothis proponatur!
quidam ex nostris minoribus ex causis discerpti sunt.
BANG!
dic mihi serio: quid hoc rei est?
hic cibus vobis legionariis cottidie apponitur: constat ex frumento, lardo, caseo, quae omnia concoquuntur, ne tempus teratur.
quid si coquum adeamus, Asterix?
GLUT! GLUT!
hoc ipsum tibi proponere volui!
ius optime sapere, excellentissime, nonne?



heus, tune mensam praeparas?
?
quidnam hic me vultis, per Vestam?
me cum eo loqui sine, Asterix!
sapit non bene, quod coquis!
hohoho!
praeferitisne aliquid delicatioris saporis?
ita est! praeferimus apros!
et quidem satis magnam copiam! nobis enim optima corporis firmitate opus est!
et quid ad dulcia?
etiam dulcia cupitis?
quid tu sentis, Obelix? etiamne dulcia cupimus?
ita! ita!
abite in malam rem aut in carcerem!
licetne urbanitate uti, Asterix?
!
licet quidem, Obelix!
TAX!
da veniam, quaeso!
VLOP!
et nunc animum attende, Romane! quotiescumque cena contenti non erimus, te adibimus. sequere me, Obelix!
absuntne?
absunt!
bene! statim emptum ite apros, praeterea farinam, ova, saccharon fructusque candisatos. sed prius ignem sub aeneo exstinguite!


animos attendite! estis primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae. quae omnia vobis dicenda sunt, si coram superioribus nomine vos nominetis!
delirat iste coquus!
cibumne hodie libenter sumpsisti?
revera libenter!
heus tu, homuncule! nomine te nomina!
hmmm?
Asterix, Gallus!
atque ego Obelix vocor. alii sodales sunt. qui autem tu vocaris?
Pulchellus, magister exercendi, primae legionis, tertiae cohor...
gngnstateimmobilesordinemque servategngn... quam celerrime!
nunc pilo exercemini. illam rem, quam in extrema aula videtis, tangere conamini. — Obelix legionarius incipiat!
sit ita!
SSOC
CULINA
age, age! aliquid temporis mihi detur ad apros praeparandos!


em... nunc gladiis vel ferris exerceamur...
...quae quidem arma lignea sunt!
?!
age! fac te defendas!
at ligneum est, ut dixisti!
fac oboedias, Obelix, ne tempus teramus!
attat! bene!
delirant isti Romani!
TLAX!
nunciam satis est! si hoc continuatur, non modo cena sero praeparata erit, sed etiam mirum quendam saporem accipiet!
23A
hoc ipso vespere...
fac bono animo sis, Pulchelle! illis hominibus novis cras prima luce e lecto surgendum erit. saccis lapidinibus completis onerati longum iter facient, quo labore conficientur.
paulo potionis magicae in crastinum diem sumpto dormitum ibo. prima luce surgendum erit.
appone alterum aprum!
iam apponitur!
recte dixit! ridere desinent, cum eos prima luce e somno excitabo.
at post paucissimas horas...
agite! agitedum! surgite!
?
surgite omnes!
omnes! omnes!
fi... fiat!
23B


festinant illi barbari. videbunt, quid fiat!
sibi quisque quam celerrime saccum capiat, per Mercurium!
quemnam vocat?
portatorem.
satis verborum! nullum iam verbum audire volo! proficiscimini!
se querimoniam habiturum de servitio dixit!
24A
neque Beleno neque Apolline neque Horo novis legionariis faventibus solis ardor urit atque torret...
hoc ferendum non iam est.
revera non est!
ha! nunc tandem desinitis iocari, nunc animum dimittitis, nunc vis comica vos deficit, hmm!?
recipe animum tuum! nos omnia tibi componemus!
ne per omne iter haec durent!
?!
heus, vos alii! afferte nobis saccos vestros!
quid?
et nunc citato gradu pergamus, quoniam Africa nos exspectat!
quo celerius his nugis perfuncti erimus eo melius!
24B


manete! manete! non spectat ad hunc finem nostra exercitatio!
sed sacci nobis portandi sunt, nonne?
?!?
agitedum, pergamus!
nonnullis post horis...
Pulchellus cum viris suis brevi redibit... cupiditate incensus sum videndi, quae sit constitutio...
?!?
quid hoc sibi vult?
et... et omnes saccos portaverunt!... et in vicem sodales suos portaverunt... et cucurrerunt... et...
eet... ego me ipsum portare non poossuuum!
bono sis animo! est enim exercitatio finita!
TAX! TAX!
legionarii primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae! hac ipsa hora in Africam proficiscimur, ubi Caesar nos exspectat. mihi persuasum est vos impatientia atque gaudio incensos esse, ut contra hostes proficiscamini et...
agitedum, amici, sarcinam constringamus!
?
quaenam centurio dixit?
per occasionem tibi explicabo!
desine ridere, trunce! tu ipse et coquus nos sequemini!



centurione Milesglorioso imperante milites primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae oppidum Condatem relinquunt...
nos satis iam profectos esse credo! paulum requiescamus!
milites primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae,
state!
requiescite!
quo celerius Tragicomigem reperiemus, eo melius erit Falbalae!
Falbalam cura confici nolo!
credisne nos Tragicomigem facile reperturos?
heus! vos ambo! nunc requiescendum esse dixi!
sperandum est, Obelix!
tempus non est. age, pergamus!
adhuc meum imperium est! tenetisne? requiescite! requiescite tandem!
requiescite modo, nos autem pergimus!
iocus tuus non obsoletus est.
audi hunc: Otto tenet mappam... madidam mappam tenet Otto!
ridicule! revera ridicule!
ut nesciam, num haec Gothice vel Aegyptice dicere possim, tamen coner!
!!!
plane delirant! profecto impatientia atque gaudio incensi contra hostes proficiscuntur!
TAX!


et agmen primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae iter facere pergit, etiamsi ordine paulum mutato...
state! hic manebimus hac nocte.
be... bene... sit ita! castra vallo fossaque munite. ponite tentoria vestra circa praetorium vestri centurionis. disponite vig...
operam perdis! vide, quae faciant!
!!!
epulae vespertinae: primum apri hasta tosti, deinde torta flore lactis condita.
bene! placet!
apros mihi quaeso hastula torreas!
dum tirones ventri dediti sunt, illi ambo praepositi Romani ut simplice ita praescripta cena in tentorio non minus praescripto contenti sunt.
ONC!
SLIP!
SCRIC!
IAM!
et post brevem quietem nocturnam...
HIAA!
?
Milesgloriose! evanuerunt!



evanueruntne? qua ratione evanuerunt?
hac ratione evanuerunt: armis atque impedimentis onerati!
ad quid ad tentorium?
relinque tentorium Plutoni! consequamur eos!
ecce eos!
manete! heus! exspectate nos!
at???... at civili veste induti estis!
aptior est ad iter faciendum!
...et venustior!
iucunde atque celeriter iter pergunt suavibus intervallis intermissis...
hodie, pueri, gulae irritamenta apponuntur!
perventum est tandem Massiliam, ad maximum portum, unde naves in Africam exeunt...
heus, miles! ubi sunt castra legionis?
MASSILIA
at quinam vos estis?
centurio Milesgloriosus atque milites primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae!
?!


castra in portu novo reperietis. sed vobis, ut prius vos in formam referatis, suadeo. si Massiliae talem speciem praebebitis, certe reprehendemini!
paulo post in officina tribuni, qui castris Massiliensibus imperat...
ah! ecce vos, subsidia Condati ex oppido! navis actuaria parata est, quem conscendere potestis. C.I. Caesar prope Thapsum castris positis exspectat, dum aggredi possit.
ecce navis nostra!
ordinem atque disciplinam servate! silentium quaeso tenete!
Milesgloriosus centurio primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae.
29A
quidnam ille dixit?
supercilia ei abradenda sunt!
HAHAHAHA!
eh... bene... remigibus egemus... labor remigandi eos conficiet.
oh... nihil eos conficiet, magister navis, omnino nihil eos conficiet...
navem solvite!
qu...quid?? navem solvite??
navis soluta est!
dixit...
iam scio: non cuicumque datum est habere nasum.
29B



toga candida indutus pulchrorum recordaris dierum solis...
nos cursu navali certare propono!
NUNQUAM DIC SOLIS!
remum teneatis, amici?... hoc est lepidum proverbium! ...remum teneatis, amici?
!!?
?
etiam dicta dicitis!? et ego quaedam dicam: heus tu! fac pulsus acceleres!
quae ille Gallus pusillus mihi iam dixit. viribus meis non parco.
BONG! BONG! BONG!
non longe ab hoc loco...
navis actua'ia a dext'a!
quot naves?
una modo! non ita g'andis!
estne vera Romana? non Gallica?
'omana videtu'. omnes 'omanis vestibus utuntu'!
reverane?
'eve'a! 'a'o fallo'. mihi ac'es oculi atque ve'sutia lyncis sunt!
quae cum ita sint: **pueri, harpagones immittite! niarrgrr!**
quidam in navi Romana inquieti sunt...
navis piratica a sinistra!
attat... fortis firmaque videtur. nos pugnam vitare praestat.
omnibus viribus ad sinistram!
omnibus viribus ad sinistram!
quisnam hic imperat?
manus de tabula!


navis 'omana 'ecta via nos agg'editu'!
rectane via? ergo illi in hac navi sunt. ne ex me quaesiveritis, qui et cur, sed illi sunt. ergo nobis fugiendum est! fugiendum!
fug...
sero!
quomodo valetis?
et...
...iendum!
interea navis actuaria Romana iter pergit...
plane delirant! omnes delirant!
scio, magister, scio!
post navigationem plurium dierum...
adsumus! hoc est litus Africanum. loquar cum vestris!
audite, quaeso! me ipsum navem appellendam curare sinite. hocne mihi permittitis?
hunc autem Aegyptium unum verbum adicientem ex navi proiciam!!!
subsidium denique terram Africanam ingressum est.
vale in crastinum!
hi ne iterum! ne iterum!
statim ad legiones Caesaris proficiscamur, quae prope Thapsum tendunt.



quo vadis?
subsidia sumus primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, secundae centuriae.
centurio decadis, ubi tabernacula vestra sint, vobis monstrabit.
Tragicomix brevissime nobis reperiendus est, ut quam celerrime in Galliam reverti possimus.
qui tacet, consentire videtur.*
hunc pulcherrimum vicum feriis agendis esse dixit.
*hoc proverbium eo loco primum allatum est.
ecce prima legio, tertia cohors, secundus manipulus, prima centuria.
heu!? at ubi est illa prima legio, tertia cohors, secundus manipulus, prima centuria?
?!?
illi duo Galli sodalem quaesitum discesserunt, Graecus autem repperit, qui talis luderent, Belga, Britannus Gothicusque abierunt, ut cervisiam afferrent, coquus, ut pastam ovis subactam pararet Pulchellusque se aegrotare dixit. mene recipere possum?
age, age! reperies, quam amas!



in praetorio C.I. Caesaris...
Scipio, hostis noster, nos a septentrione exspectat, Iuba I., rex Numidarum, Afraniusque proditor a meridie iacent. res in summo...
?
quisnam tu es? qua audacia commotus praetorium Caesaris intrare ausus es?
heus, Campusteniludiis! tune hic es?
quidnam iste dixit?
scire vult, num tus sis moderator huius vici... praelusor... animator...
abi!
33A
repeto: res in summo discrimine est! utrum a septentrione aggrediamur an...?
nullo modo haec caupona est. hic cervisiam apponi non credo!
date veniam, quaeso! sed nos hoc amplissimum tentorium videntes suspicati sumus...
abite in malam rem!!!
hac pugna mihi Pompeiani devincendi sunt et...
estne hic Tragicomix?
quinam isti sunt?
primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae ave!
33B


ehem, iam adestis! satis verborum, res nunc dicta sequentur! disciplina utendum est! carcer exstat! ego equidem intellego, quomodo...
quis est dux primae legionis, tertiae cohortis, secundi manipuli, primae centuriae?
ego sum!
bene! iussu Caesaris, quem loquentem nemo impune interpellat, tu nobis in carcerem includendus es!
ubique locorum Tragicomigem quaerebamus, sed non repperimus.
nullo alio loco nisi in Africa esse potest.
ave, homines novi!... vultisne paulum belli gerere?... scutella vini accepta vobis nonnulla consilia afferam!
ego equidem miles veteranus sum. omnes mihi noti sunt! ad unum omnes!
BONG! BONG! BONG!
etiamne tibi legionarius notus est, qui Tragicomix vocatur?
Tragicomixne? litterane „T" scriptus ut illud „timeo Danaos et dona ferentes"?
estne iuvenis? estne pulcherrima forma?
ita! pulcherrima forma!
age, age! non ita pulchra, non ita pulchra!
ille miserrimus, qui vix navi egressus inter proelium parvulum contra copias Scipionis commissum evanuit!
34



num dicere vis Tragicomigem...?
fortasse vivit...! nonnumquam complures vivos capiunt interrogandi causa.
forsitan aliquid cognoscatis, cum H_2O revertetur.
H_2O.
hoc est nomen peritissimi exploratoris nostri. hoc tempore, quae apud Scipionem fiant, exploraturus est. hac nocte revertetur. quem vobis adducam. est enim mihi sodalis intimus.
mirum nomen est H_2O!
hoc nomine specie et simulatione vocatur. verum eius nomen est Aquariolus... quid ergo nunc ad scutellam vini?
fac eas in tentorium coqui...
dic ei te a nobis missum esse.
gratias ago, pueri! usque ad noctem!
hac nocte ante portam castrorum...
cedo tesseram!
H_2O!
intra!
dignus est intrare.
Caesar te exspectat, H_2O!
Scipio bellum contra te parat, o Caesar. validissimus est!
attat! mihi primo incurrendum est, sed cunctor, cunctor...
heus H_2O! quidam homines novi habent, quid ex te quaerant. in tentorio eorum apotheca inest! incredibile dictu est!
subsequar te, Trimalchio!



ita est! captivos vidi in castris Scipionis, in quibus et Tragicomigem Gallum, iuvenem pulcherrima forma.
phh!
ubinam sunt castra Scipionis?
ad septentriones versus. deerrare non potestis: cum trucidati eritis, adveneritis.
fac vires reficias. restat scriblita sufflata fructibus maritimis parata.
fructibusne maritimis?
iam tibi dixi: **incredibile dictu est!**
nunc tandem sine mora nobis Tragicomix liberandus est!
ille, qui se formosum putat?
abstine rivalitate, Obelix! memento, quid Falbalae promiseris!!
iam abstineo! sed in potestatem Romanorum venire stultitiae est!
36A
ei potio magica non fuit!
sssit ita!
tamen se formosum putat.
GLUT! GLUT! GLUT!
relinquamus nunc haec castra!
noctu cuiquam castra relinquere licere nescivi!
gradum siste! cedo tesseram!
tesseramne? tantum valet, si quis castra intrare vult, nos autem relinquere volumus!
ma... manete! centurio interrogandus est!
fac interroges! sumus denique legionarii, qui disciplinam servemus.
deliramus nos Romani!
POC! POC! POC!
CRACC!
et nunc nullum iam tempus terendum est!
36B



vultum custodis videre velim, cum te portam delevisse sentiet!
ubinam legionarii sunt, qui regionem desertam petunt, cum castra relinquere iis non liceat?
dis... discesserunt! porta deleta est!
omnes ad arma vocandi sunt. certe illi exploratores Scipionis sunt. Caesarem certiorem faciam!
paulo post...
comprehendendi sunt, priusquam cum hostibus conveniant.
DONG!
VAP!
sed amici nostri celerrime cum hostibus conveniunt, e.g. cum manu exercitus Scipionis...
ecce duo Romani!
hoc nil est! et nos Romani sumus!
tantam aegritudinem afficit caedes fraterna!
noli vox esse eius, qui praedicet in regione deserta!
state, vos ambo! cette tesseram!
tibine tessera nota est?
immo nota est: cogito, ergo sum.
tibi ergo praeterire licet!
gratias! sequimini, vos al...
mane paulisper! novos mores inducis!
ad arma! ad arma!
tu ceteros tracta, Obelix!
ad arma! ad arma!
TAX!
haud procul ab eo loco manus Romanorum iussu Caesaris Gallos nostros insequitur.
ad arma! ad arma!
audite! Scipio aggreditur.
revertamur, ut Caesarem moneamus!
ita! revertamur!
revertamur celerrime!


ad arma! ad arma!
sst, quaeso, tacedum! castra Scipionis haud procul inde sunt. hoc tumultu certe iam excitati sunt.
nil interest. aggrediamur!
haec est vera bellandi ratio!
hoc ipso tempore in castris Caesaris...
reverane aggreditur Scipio? bene! hoc modo nil aliud restat. fortasse melius est... aggrediamur!
alea iacta est, ut dicere soleo!
et ante castra Scipionis...
cette tesseram!
aperi!
BONG! BONG! BONG!
tune scis tesseram?
ut scis, linguis minus praeditus sum. ceterum tu cogitas, ego sum.
nil interest!
nolite!
nonne iuvat hoc modo portam aperire?
intrare non licet! nullo modo! intrare non licet!
immo vero licet!
abstine!
VAP!
cogito, ergo sum! nunc tandem memini!
ad arma! castra temptantur! ad arma!
tu semper copiam cupis Romanorum. hic est, quod cupis!
Romani similes sunt ostreis: nimis multi detrimento sunt!


estne hoc corpus gravissimum legionis Caesaris?
non sum, mi domine!
desine disputare, Obelix! reperire praestat, ubi captivi inclusi teneantur.
VAMM!
TAX!
TUX!
hoc modo nil cognoscimus: antequam afflicti sunt, loqui nolunt, afflicti non possunt!
ad arma! illi tantum exploratores erant, nunc totus exercitus aggreditur!
hoc ergo non fuit corpus gravissimum?...
non fuit, mi domine, non fuit!
exercitus C. I. Caesaris nos aggreditur, o Scipio!
bene! obviam imus! intereat ille tyrannus! ex castris erumpimus!
porro!
erumpimus!
egredimur!
et quid ad nos?
da veniam. et mihi erumpendumst!
dic mihi unum hoc: ubi captivi sunt?
in illo saepto. nunc emitte me, quia exspector!
estne hic Tragicomix?
ego sum!
adsumus, ut te liberemus. Falbala nos misit!
tanto gaudio affectus sum, cari amici! maximas gratias!
gratia non opus est.
39


licetne nobis exire?
licet!
licetne mihi pauca ex te quaerere, Asterix?
quidnam?
reverane eum tam formosum putas?
quid accidit? castra vasta atque deserta sunt!
Romani se invicem verberant. quod non attinet ad nos!
„trunce"? cur „trunce"?
nobis iam honori fuit legionem Romanam decurrentem producere, nunc autem gaudio affecti sumus, quod legionem Romanam contra legionem Romanam decurrentem producere possumus...
in phalangem!
agmine quadrato!
in quincuncem!
facite orbem!
testudinem constituite!
at... at tu mihi notus non es!
quid? nonne haec Caesaris testudo est?
non est!
immo vero est!
quaerit, qua de re agatur!
dic ei omnes ad aliquem mercatum proficisci!
instate, viri mei!
viri tui non sumus!
heus! hi mei viri sunt!
Scipio denique taedio affectus receptui cani iubet.
malum! abitur! canite receptui!
solius Caesaris iussa exsequor!
tacedum! mihi quidem hoc imperium dictum est!
40



rebus nostris ex Caesaris castris elatis in Galliam revertamur!
vobis adiuvantibus omnia facilia videntur.
calliditatis nostrae causa!
paulo post...
quid agit Falbala, deliciae meae?
optime valet Falbala!
ecce! exercitus Caesaris revertitur!
quid nunc faciendumst?
quid nunc faciamus?
instamus! per Teutatem!
Obelix!
vo... vocaris!
TSRAACC!
quid est?
parce viribus tuis! C. I. Caesar nos adit!
vos mihi iam notos esse credo, Galli. quae sunt vobis nomina?
Obelix atque Asterix!
primae legionis, tertiae cohortis et cetera, quae oblitus sum.
sponte et ultro exercitui tuo conscripti sumus, ut Tragicomigem domum arcessamus. iussu Falbalae!



vosne postquam e castris meis erupistis, hoc proelium commisistis?
quod proelium?
Galli! vos hostes meos esse certe scio. sed hodie mihi potestatem vincendi fecistis. Caesar ingratus non est. dicite mihi, si quid velitis, et faciam!
domum reverti volumus, Iuli!
sit ita!
Falbalam videbo! Falbalam videbo!
?
deinde hora valedicendi adest...
gloria vestra in I legionem III cohortem, II manipulum, I centuriam resplendet!
des veniam, oro, Milesgloriose!
in aeternum vestri reminiscemur!
re-vera!
PER IOVEM!
hanc pulcherrimam amicitiam sibi memoriam temporis castrensis afferre dixit.
delirant isti Aegyptii!
Falbalam videbo! Falbalam videbo!
42A
proficiscamur! navis a Caesare nobis praebita nos exspectat!
Falbalam videbo! Falbalam videbo!
barbarbar! barbarbar!
paulo post...
perii! illi mente capti!
navem solvite!
navis soluta est!
?
?
?
42B



et dum navis Romana amicos nostros ad litus patrium vehit, in alto hostis insidiatur...
hanc navem deo gratia a Phoenicibus emimus, qui nos rate agitatos invenerunt. sed maximum pretium solvendum nobis erat. celerrime impensae recuperandae sunt.
navis a dext'a!
optime! impensas recuperabimus!
porro, pueri, porro!
po''o!
post tranquillum navis cursum sine ulla intermissione denique in vicum Gallicum perventum est...
Falbala!
Idefix!
gratias maximas! quomodo vobis gratiam referre possum?
oh, dignum non est, quod commemoretur!
quid? per iocum dicitis! te eos videre oportuit, Falbala! fuerunt magnifici! mirabiles! et Obelix unus atque solus exercitum Caesaris aggressus est!
at... at minimus exercitus et nullius momenti erat.


maximi ponderis est! naturae miraculum!...
gratias, Obelix!
quem nihil retinet! stat enim invictus, est...
RUMP!
?
?
?
?
bene! nunc nobis eundum est!
quid? nonne convivio intereritis?
non intererimus. Condatem petemus, ut matrimonio iungamur!
vale et gratias maximas tibi, Asterix!
et cum Obelix Idefigem, hilaritatem, apros valde aestimatos cibique aviditatem recuperaverit, omnes amici nostri convivium opulentum celebrant... potius dicendum est: paene omnes...
?!
!?
bau!
UDERZO & GOSCINNY
FINIS FABULAE